7.° Cada domingo se confiesse y comulg[u]en: y si por alguna causa se diffiriese, el lunes no le den cibo corporal á quien no le vbiese tomado spiritual. Y aunque pueden confessarse dos vezes en la semana, bastará comunicar vna para quien studia [6]. El confessor ordene el Rector. *Pa*.

8.° El sábado antes de la confessión se lean algunos avisos spirituales, como de amar á Dios y el próximo, no hablar sin modo debido, no querer ser gracioso [7] en el dezir, no interpretar mal, tenerse como esclauo de todos, no porfiar, guardar los ojos y otros sentidos y pensamientos, no callar las tentationes, reconocer á X.° en los superiores, y no seguir el proprio juicio, con-

---

Padua; mas en Portugal se hazen antes de misa tres quartos de hora de oratión mental.»

[3] In margine: «En S.ta Marta es la hora de meditatión antes de cena. En Gandía, sin dos horas de oración, ay dos exámenes, después de comer y cenar.»

[4] In margine: «En Portugal es lo mesmo de todas penitentias.»

[5] In margine: «En las de Bologna y Padua vn examen ay al día no más.»

[6] In margine, sed duplicem habet lineam superductam, abs dubio ut deleatur: «En Gandía los que tienen devotión comunican entre semana.»

[7] ser grõso, *ms*.

uersar con modestia, no ver faltas ajenas, mirar los mejores, perseverar en la vocatión etc. *Por.*

9.° Los sábados en la noche tañen una campana para que se aparejen á reconciliarse todos. *Por.*

10.° Los domingos y fiestas tengan su sermón en casa ó fuera, si ay quien predique. *Por.*

11.° Quatro vezes al año, á Nauidad, Pascua, Penthecoste, nuestra Señora de Setiembre, renueuen sus votos los que los tienen hechos. *Bo.*

12.° Ninguno tenga libro ni otra cosa sin espresa licentia. *Bo.*

13.° Ninguno tome cosa alguna de la cámara de otro sin licentia dél. *Por.*

14.° Ninguno salga de casa sin licentia, sino á las horas de la lectión y con compañía, ni se diuiertan para yr á otra parte sin espresa licentia; y quando se podrá, vayan de dos en dos en modo honesto y edificatiuo, y así estén en las escuelas. Mancebos nunca se dexen yr solos por la calle. *Por. Pa* [8].

15.° Ninguno scriua ni lea letras, ni imbíe recado sin que lo sepa el Superior, ni traue conuersatión larga, sino acaso por edificatión etc. *Bo.*

16.° De las cosas de casa ninguna se tomará, ni menos dará ó prestará fuera, sin licentia. Los libros que vbiere menester pida al que dellos tendrá cargo. Tampoco se pidirán ó tomarán de los de fuera sin licentia. *Por.*

17.° En lugares públicos no se haga cosa de nouedad ó singularidad notable, que dé que pensar ó dezir, sino con toda modestia, y más con el espíritu que con el cuerpo se exercite la deuotión. *Por.*

18.° Quando alguno esté doliente, no tome medicina ninguna sin consejo de algún médico, el qual elegirá el Superior y no el doliente. *Pa.*

19.° Cada uno duerma en su lecho de aparte, y en ningún modo dos juntos. *Pa.*

---

[8] Verba *Por.* et *Pa.* habentur in margine; sed primum verbum initio paragraphi, alterum sub finem illius.

20.° Cada uno tenga sus camisas apartadas y señaladas, y no se vista vno las camisas de otro; y limpie su cámara y cosas cada dos días. *Pa. Por* [9].

21.° Quando vno buscare otro de casa, si la puerta está cerrada, llame paso; y si no le responde el de dentro por estar occupado, diga lo que quiere desde fuera, sin hazer ruydo por la casa. *Por.*

22.° Nunca uno esté en cámara de otro á puerta cerrada. *Bo.*

23.° Si alguna passión tubiese algún hermano contra otro, no vayan á dormir antes de reconciliarse. *Bo.*

24.° Ninguno muestre las letras, scritas por los de la Compañía, sin licentia. *Lou.*

25.° Ninguno attienda á confessar, ni predicar etc., sin auctoridad del Superior. *Lou.*

26.° Todos vayan fuera á las lectiones, cada vno de su facultad, y antes de oyrlas, por sí las miren. *Va.*

27.° Cada día aya repetitiones de las lectiones *immediate* después dellas. *Pa.*

28.° Aya cada día vna hora á la noche para disputar sobre las lectiones de aquel día. En Valencia y Portugal ay dos: vna después de comer, otra después de cenar, donde se hazen las repetitiones, cada vno por su orden repitiendo, y los demás preguntan y argumentan, y así se halla que aprouechan mucho. *Pa.*

29.° Cada domingo después de comer aya disputa pública á quantos querrán venir de fuera, de cada facultad que se studia en el collegio, teniendo conclusiones, para las quales será elegido vno, que recoja las conclusiones de todas las lectiones de la semana y el sábado las dé á todos, assignando la hora de la disputa; y el respondiente hará como vn epílogo de lo que se ha leydo entre semana, y prouará las conclusiones como el tiempo lo sufriere; y esto será vniuersal y sin exceptión en lógica, philosophía, theología [10]. *Pa.*

---

[9] Idem intellige ac in annot. praecedenti.

[10] In margine: «En Portugal cada domingo y fiesta tienen conclusiones los artistas por dos horas, y hállanse ay los theólogos y argumentan todos si ay tiempo.»

30.° Entre los gramáticos, los prouectos, que podrán exercitarse en rhetórica y poesía, tendrán disputas, y al modo dicho de 15 en 15 días los domingos; y el domingo de en medio se exercitará en declamationes (tomando el thema el domingo antes) vno contra otro, diziendo y juzgando las compositiones vno del otro: y alguna vez serán de poesía estas compositiones. Los gramáticos inferiores también se exerciten vn domingo en conclusiones, otro en compositiones. *Pa.*

31.° Los dichos gramáticos y humanistas sin estos exerciten el stillo en scriuir, y hablen latín generalmente todos. *Pa.*

32.° En los libros ninguno haga annotationes, ni raye cosa alguna. *Por.*

33.° Aya vna hora ordenada para yr á dormir, tomando entre 6 y 7 horas hasta la hora de leuantarse, de manera que ninguno pueda velar más sin orden del Superior, ni salir de la cámara después que oyere la campana. *Pa. Por.* [11].

34.° Todos vengan á comer y cenar á la primera tabla, si no les fuere ordenada otra cosa; y en tanto que se come se lea algún buen libro *ad edificationem,* según el juicio de quien tubiere el cargo. *Por. S. Mar.* [12].

35.° Sintiéndose vno enfermo ó mal dispuesto, dígalo al enfermero, delante del qual dará relatión al médico de su indisposition, para que se prouea en lo que cumple. *Por.*

36.° Después de comer y el examen se dexará vna hora para honesta recreatión corporal, y antes de cenar otra media: después de cena y el examen se puede tomar vn poco de ayre, de verano, ó de imbierno algún rato de buena conuersatión antes de recogerse á dormir. *S. Mar.*

37.° Al que fuere constituydo por retor ó cabeça de los otros, por amor de Dios se le dé toda obedientia, honor y reverencia, antes á X.° en él; y guárdense en público y priuatamente de contradezirle, ó repugnar, ó mostrar parezer contrario. *Bo.*

---

[11] Lege annot. 8.
[12] *Id.*

38.° El comer, vestir, dormir, curarse, conuersar etc., todo sea según ordenare el que tiene cargo. *Bo.*

39.° Al Superior dicho no aya puerta ni arca cerradas; y déxesele la dispositión de todo. *Pa.*

40.° De la facultad que se ha de studiar, maestros, libros, tienpo de studiar, interponer ó alterar los studios, sea la determinatión del Superior. *Bo.*

41.° En oyéndose la campana á misa, comer y las otras cosas, todo dexado, acudan luego á lo que se señala por ella. *Por.*

42.° Entre los otros officiales aya despertador, y también vn acusador que scriua las faltas de los studiantes, aun en las cosas mínimas (porque tanto menos caerán en las grandes); como si en la calle ó escuela se viese algo indecente, si en casa no se habla latín y guardan las otras cosas; y vna ó dos vezes en la semana, ó como más se juzgase conuenir, acusará los que han faltado delante el Superior, teniendo en scrito lo que cada vno ha faltado. Y tenga el Superior mucho cuydado de reprehender y dar penitentias, según juzgare más conuenir para mayor seruicio de Dios nuestro Señor; y acétese sin repugnar, después de aver dicho su razón. *Pa.*

43.° Todos leerán estas reglas vna vez en la semana. *Por.*

44.° Offreziéndose dispositión para tomar alguna conuersatión spiritual, de donde se sperase fructo, se manifieste á quien tiene el cargo, y se remita á él del todo. *Bo.*

45.° Ninguno dará por scrito á persona de fuera ni de casa meditationes ó cosas spirituales, ni se mandarán sin special licentia del Rector. *Por.*

45.° [*sic*] En los officios de casa ninguno se entremeta sin licentia, saluo siendo requirido para ayudar en algo, y no se hallando fácilmente el Rector, ó siendo la cosa muy poca. *Por.*

46.° En casa no se resciua ninguno para dormir, que no sea de la Compañía, si no fuese con espreso mandado de quien pudiese mandar. *Pa.*

47.° Que no se acette ninguno en casa para ser de la Compañía, ni se ynbíe á Roma sin espresa licentia del Prepósito general ó prouincial. *Bo.*

48.° Que se scriua sienpre á Roma cómo lo hazen los estudiantes, y se dé aviso de todo lo que cumple saber dellos. *Bo.*

49.° Cada vno tenga cuenta no solamente consigo, pero aun á los hermanos, amonestándoles según la orden de la correctión fraterna etc. *Lou.*

50.° Todas las constitutiones dichas obligan á pena arbitraria, y no á culpa ninguna. *Lou.*

L[aus] D[eo].

Inscriptio. Constitutiones para los studiantes de los collegios de la Compañía.

9

ORDO STUDIORVM [1]

THEOLOGI

Praeuideant lectiones. Cum uero audiunt scribant, non quidem omnia, sed ea tantum, quae notatu digna uidebuntur. Vbi lectum erit, repetant terni aut quaterni per mediam horam [2].

Noctu hora prima conueniant ad repetitiones, vbi praeceptores duo, qui scholasticam theologiam profitentur, quique alternis diebus aderunt, primum quidem respondebunt breuiter iis, quae a discipulis quaeruntur (quaerent autem discipuli ordine, ut sit cuique suus quaerendi locus), postea vero ordine item curabunt omnes in disputationibus exercendos.

Singulis diebus sabbathi assertiones de more defendentur, quas component quidem ii, qui erunt defensuri, sed consultis prius praeceptoribus, atque ab eis acceptis iis, de quibus illae erunt conficiendae.

---

[1] Ex apographo antiquo, in *cod. 6 Vatic.*, ff. 245-250. Quaternio, in quo habetur hic ordo, numero 16 signatus est. Vide quae sub finem statim post inscriptionem dicuntur.

[2] In margine, ad initium hujus paragraphi haec ignota manu annotata sunt: «Non faciunt, nec forsan fieri potest.» Haec scriptura ejusdem videtur esse temporis, quo documentum scriptum fuit.

Quarto quoque sabbatho defendent theologi ante prandium per duas horas. Intererunt uero omnes a prandio publicis philosophorum disputationibus.

Praeceptores singulis hebdomadis, ex iis, quae lecta et disputata sunt, puncta aliquot seu capita in scripta redigent, additis breuiter rationibus, quo habeant videlicet ad finem anni parata ea, de quibus conficiendae sunt assertiones publice disputandae.

PHILOSOPHI

Praeuideant itidem, vt theologi, lectiones; et cum audiunt, ea scribant, quae adnotanda uidebuntur.

Repetant etiam terni et quaterni vbi et praeceptor legerit, et uel ipse lectionem repetiuerit, vel aliquis ex doctioribus, quem ille repetere iusserit. Interim uero, dum inter se repetunt, aderunt praeceptores, vt eos, si quid dubitent discipuli, possint subinde consulere; praeceptor quidem dialectices per totam horam, logicus uero et philosophi per mediam temporis partem, quo illi manebunt in classe; manebunt uero per reliquam uel horam, uel mediam horam, usque dum signum detur. Terni autem illi uel quaterni, qui repetere inter se debent, ita coniungantur a praeceptoribus, ut iis, qui imbecilliores erunt, aliquis adiungatur ex doctioribus.

In nocturnis repetitionibus (quibus dialecticae praeceptor semper aderit et item logicus, alii autem alternis) partim respondebunt discipulorum dubiis, partim eos in disputationibus exercendos curabunt. Poterunt etiam, si uidebitur, ab eis quaerere de lectionibus, ea praesertim, quae fuerint difficiliora; id quod etiam theologis facere licebit.

Assertiones defendent singulis diebus sabbathi, consultis prius (vt de theologis dictum est) praeceptoribus suis. Quarto vero quoque mense disputationes habebunt tres praeceptores, id est, omnes praeter dialecticum, a prandio per tres horas, praesentibus omnibus theologis.

Quod de parandis assertionibus, ad finem anni publice defendendis, dictum est supra, id etiam facient philosophi et logicae praeceptores omnes.

IN CLASSE RHETORICAE

Mane vna hora tribuitur partitionibus oratoriis et orationibus Ciceronis alternis; altera partim repetendis lectionibus, partim orationibus, quas discipuli decimoquinto quoque die ostendere debent ac publice legere, corrigendis.

Singulis diebus sabbathi prima hora legitur vel dictatur argumentum componendae orationis, quod fit demonstrandis breuiter locis tum communibus, tum etiam propriis, rei propositae, idque per singulas orationis partes. Secunda hora semper disputatur.

Decimoquinto quoque die oratio publice habeatur. Aliquando etiam forenses actiones exercitationis causa instituantur.

IN GRAECIS

Post prandium a prima hora ad secundam explanatur oratio Demosthenis ad Leptinem et Hesiodus alternis.

Hinc per mediam horam fit repetitio et exercitatio.

Mandent memoriae Hesiodum et recitent die sabbathi.

Componant semel in hebdomada, et diebus sabbathi disputent.

IN CLASSE HUMANITATIS

Mane prima hora legitur Cicero de senectute: 2.ª hora repetitur eadem lectio, et dictatur breuiter id, quod fusius ab Adriano cardinali explicatum est. Reliquum uero tempus in dictandis et emendandis epistolis consumitur.

A prandio prima hora legitur Sallustius: 2.ª repetitur lectio, et graeca recitatur: 3.ª legitur Clenardus.

Die sabbathi, mane recitantur Cicero et grammatica graeca, et lectiones omnes repetuntur. A prandio disputatur.

IN PRIMA CLASSE GRAMMATICAE

Mane hora prima, post orationem recitant Despauterium; deinde repetunt lectionem.

Hora secunda, primum recitant epistolas Ciceronis, deinde leguntur epistolae, postremo lectionem repetunt.

A prandio, hora prima praelegitur Plautus et repetitur lectio; post emendantur epistolae et dictantur in alterum diem.

Diebus sabbathi, mane recitantur totius hebdomadae lectiones et repetuntur. A prandio uero disputatur et dictatur epistola in diem lunae.

IN SECUNDA CLASSE

Mane, post orationem recitant pueri praeterita Despauterii, praelecta die praecedenti; deinde vnus lectionem repetit; tum legitur Despauterius et repetitur; postea recitantur epistolae Ciceronis, leguntur et repetuntur; postremo, si quid temporis superest, disputatur. Vtitur autem praeceptor opera trium aut quatuor discipulorum, qui reliquos audiant recitantes; sed ita tamen, vt ipse aliquos quotidie audiat; atque eo ordine, ut omnes tandem, eo audiente, recitent. Exercet vero in iis, quae legit, discipulos, vbi lectum et repetitum est.

A prandio recitatur Guarinus, legitur, repetitur; demum emendantur compositiones et dictantur.

IN TERTIA CLASSE

Mane fit perinde ut in 2.ª, nisi quod recitantur ante omnia duae lectiones simul et praecepta.

In audiendis iis, qui recitant, discipulorum opera non vtitur.

A prandio recitatur, legitur, repetitur, exercentur, dantur themata, et compositiones emendantur.

IN QUARTA CLASSE

Mane recitant concordantias, declinant et in concordantiis exercentur.

A prandio recitant Donatum de octo partibus; coniugant et in concordantiis exercentur.

DE STUDIO LINGUARUM

In humanitate et rhetorica studeant graecis.

In primo anno artium nihil aliud.

In 2.° et 3.° mathematicis, quarum idcirco quotidie duae erunt lectiones.

In theologia hebraicis.

Artium cursui uidentur impendendi anni tres et dimidium, et legendae quaestiones aliquot, et multa ex Aristotele omittenda, uel dicenda compendio, etc.

Mezza hora legga il mathematico, et mezza repetino, et non si occupino più in quello studio.

Il medesimo faccino gli hebrei, et questo perchè chi odeno queste lettioni hanno altri studi principali.

A UNA LETTION

Arith., 2.	Los lógicos, geometria, 4.
Geometr.ª, 4.	Sphera, 3.
Sphera, 3.	Geographia, 2.
Geographia, 3.	Astrolabium, 3.
Theorica planetarum, 4.	Los philósophos, teórica de planetas, 4.
Astrolabium, 3.	Expositio almanach. aut tabularum, 3.
Prospectiua, 3.	Prospectiua, 3.
Expositio almanach. aut theologia, 2.	De horologiis, 2.
Los summolistas, dos meses de arithmética.	

Inscriptio. IHS. Ordo studiorum. Theologi, philosophi et classium humanarum litterarum. 16.

P. Natalis manu. Agendum cum Ledesma.

10

DE STUDIIS SOCIETATIS [1]

P. HIERONYMI NATALIS [2]

†

Circa studii generalis dispositionem et ordinem animaduertenda haec sunt capita rerum: aliam rationem in eis esse praeceptorum, aliam scholasticorum; scholasticorum aliam nostrorum, aliam externorum; omnia vero selecte ita ordinanda, vt in studiis primum locum pietas obtineat, pro ratione scholasticorum accommodata: esse tamen poterunt multa omnibus communia. Tum studia sunt praeceptorum ordinanda, deinde scholasticorum, si primo ratio pietatis xpianae. et morum honestorum constituatur.

Ab elementis abecedariis studia instituenda, et horum vna classis esto propria. In hac ediscetur Donatus absque vlla interpretatione.

In grammatica tres classes sunto, suo ordine ita digestae, vt in prima rudimenta doceantur, non ea, quae vulgo edita sunt, sed in quibus breui quodam compendio, quae primis institucionibus puerorum necessaria sunt, complectantur. In hac classe parum etiam compositiones per verbum substantiuum exercendae, et si quid paulo amplius possint capere pueri, quo anno in illa classe continebuntur.

In secunda classe ars grammaticae legetur tota Despauterii, praeter ejus syntaxim, cuius loco in ea classe praelegetur de constructione Erasmi. Auctor praeterea aliquis enarrabitur, ut colloquia Viuis, vel selectae epistolae Ciceronis etc., unde sumatur copia ad compositiones.

In tertia classe repetitur de praeteritis et supinis, si necessum videatur, et exacte tota ratio regularum grammaticae exercebitur; simul diligenter syntaxis Despauterii explicabitur, et compositiones exercebuntur. In hac item classe auctores enarrabuntur grauiores, Terentius, epistolae Ciceronis, buccolica Virgi-

[1] Ex autographo P. Natalis, in cod. *De rat. stud., 1583-1613*, ff. 1-23.

[2] Hic titulus alia manu additus fuit.

lii, etc. Terentius tamen, et si quid aliud possit animos puerorum illecebris rerum emollire, ita a preceptore condietur, vel morali interpretatione vel dehortatione, vt prodesse possit auctor de latina sermonis elegantia, non nocere de rerum ipsarum qualitate. Hoc in omnibus classibus erit animaduertendum. Si autem tanta sit auditorum grammaticae copia, vt tres hae classes illis satis esse non possint, coadjutrices aliae adiungentur ad earum rationem administrandae [3].

In quarta classe, quam libet humanitatis appellare, illi traducentur soli, qui iam grammaticam artem teneant, ac pure et congruenter latine scribere sciant, citra labem soloecismi [4] aut barbarismi. Iis est in[ter]pretanda Erasmi copia et de scribendis epistolis, Ciceronis officia ac alia huiusmodi, commentarii Caesaris, Virgilius, etc.; interpretanda ars metrica et exercenda; ad cuius exercitium aliquid ex Ouidio enarrari potest, tum Martialis castus; erit in primis appositus Horatius etc. Huic classi proprium est poësim exercere, tametsi in superiori simpliciter legi possit ars metrica ac simplici exercitio tractari. In hac classe [5] omnes auctores enarrari possunt, modo rethorica ars suae classi seruetur; et in hac classe copia vtraque atque sermonis elegantia accurate conquiratur atque diligenter exerceatur compositionibus, tum soluta oratione, tum carmine.

Quinta classis erit artis rethorices, in qua primum Ciceronis rethorica ad Herennium praelegetur, et partitiones, deinde Quintiliani libri aliquot etc.; enarrabuntur orationes Ciceronis, exer-

---

[3] In margine: «Jus canonicum, an legendum in materiis communibus. Vnus philosophus, qui legat ad pompam. An quinque annis debeant legi artes. An legentur quaestiones in philosophia et logica. Ordo lectionum, studiorum, exercitiorum, disputationum privatarum et publicarum. Exercitia ad gradus parandos: ratio graduum: [va]cationes. Quid et quantum legetur festis: in dominicis quantum.

Omnes quotquot in scholis erunt etc., jurabunt primum obseruaturos se omnes constitutiones etc., et obedientiam Rectori, quoad erunt scholastici. Rector gubernet etiam omnes Vrbis scholas generali quadam gubernatione.»

[4] solescismi, *ms*.

[5] In hanc classem, *ms*.

cebuntur declamationes, excutietur ac exercebitur diligentissime ars, etc.

Classibus omnibus [6], praeterquam rethorices [7], tres horas antemeridianas, item tres pomeridianas dabunt sui professores, in quibus suae lectiones [8], repetitiones, examina, interrogationes, emendationes thematum, ac nonnumquam (vt tempus erit) concertationes extemporaneae scholasticorum tractabuntur. Variationes quoque fient, praesertim in tribus superioribus classibus, pro earum ratione ac qualitate.

In tribus classibus grammaticae, quidquid ad artem pertinet, memoriae mandabunt omnes; ex auctoribus vero aliis singulas saltem praelectiones quotidie ediscent: in classe autem humanitatis, Ciceronis vel etiam Virgilii; vel si contingat nonnumquam neutrum eorum enarrari, ex aliis auctoribus singulae quotidie enarrationes memoriae tradantur; in classe vero rethorices ars ipsa ex Cicerone tradenda memoriae; item [9], aliquot Ciceronis orationes.

Exercitia vero, praeter quotidiana illarum sex horarum, haec sunto. Diebus sabbatinis, quibus nihil nouum praelegetur, scholis antemeridianis repetentur omnes totius hebdomadis lectiones, atque de ipsis denuo a praeceptore interrogabuntur auditores, tum ex tempore inter se conquirent ac disputabunt; pomeridianis vero scholis, die veneris publice propositas theses siue positiones propugnabit vnus, alii oppugnabunt, quod erit omnium classium commune, praeterquam primae. In classe tamen rethorices alternis sabbatis vel positiones disputabunt, [vel] declamationes et actiones aduersariae [habebuntur] [10]. Quamquam auditores istarum classium et reliquarum omnium essent cogendi vt ne in alienis classibus supra captum suum audirent, tamen praeter nostros scholasticos, nullus ad id cogetur; tantum diligenti

---

[6] Sequentia duo verba in margine ab ipso Nadal addita sunt.

[7] In margine: «Rethor satis sit, si det duas ante prandium, duas a prandio.»

[8] In margine: «Vide an plus exercitiorum possit adhiberi.»

[9] Non clare hoc verbum exaratum est; legi potest *item* vel *etiam*.

[10] Praecedentem periodum incompletam reliquit Natalis.

examine discutientur captus singulorum, ac, quod in nobis erit, efficaciter adhortabuntur eos, ne velint supra quam eorum est captus ambire, atque in alienis classibus operam ludere ac oleum, id quod si non persuadeantur, admonendi sunt vel parentes, vel qui eorum curam agunt. Quod si nec hac diligentia quicquam conficiatur, excludendi tamen non sunt ab scholis.

Duabus classibus humanitatis ac rethorices adjungentur litterae graecae in hanc rationem, vt in classe humanitatis primum dimidia hora detur explicandae grammaticae graecae citra dialectos, atque interpretabitur simul statim post cognitionem primam verborum baritonorum libellus aliquis, vt fabulae Esopi, tum aliqua oratio Isocratis, dialogi [11] aliqui Luciani, et exercebitur grammatice. Praeter haec nihil primo anno ipsis legetur graece. At quandoquidem in ea classe biennio saltem scholastici sunt retinendi, secundo anno vnam horam audient graece, vbi iam et dialectos audire, et dificiliores auctores, vt Aristophanem, Homerum et alios; dialogos Luciani. Sed tamen, quandoquidem in hanc classem erit tunc necessum vt e tertia classe grammatices traducantur scholastici qui traducentur, iis dabitur extra ordinem qui det illam mediam horam quotidie in graecis; et illius classis praeceptor ita suas accommodabit lectiones, vt prouectiorum simul, tum inferiorum, ratio sua habeatur, vt ne hi maiora quam pro captu suo, illiue inferiora audire cogantur. Quod si ab vno praeceptore haec praestari non poterunt, erit tunc necessum in schola humanitatis duas classes institui.

In schola ergo rethorices semper enarrabitur aliquis auctor graecus, vt Demosthenes, tum Thucidides, addenturque tragici et Pindarus: breuiter, grauissimus quisque auctor ac dificillimus in hac classe audietur. Quod si contingat eundem praeceptorem graece nescire, quod ad principia academiarum et collegiorum accidere poterit, postea non etiam, adhibebitur ad eas enarrationes praeceptor alius.

Litterae hebraeae non conjungantur cum latinis, sed esto classis vna linguae sanctae propria, cui, postquam jam satis prouene-

---

[11] dialogis, *ms*.

rit quis in latinis et graecis, ante quam ad altiora studia traducantur dabunt saltem vnum annum, quo tempore toti erunt in hebraicis, nec quidquam aliud audiant: obiter tamen priuato studio confirmabunt simul et exercebunt latina et graeca, quoad eius fieri poterit sine detrimento studii hebraici.

Post hunc annum, vt erit commodum ad rationes aliorum studiorum et ingeniorum, audient studiosi litterarum hebraicarum vnam lectionem extra ordinem, praesertim quo tempore dabunt operam theologicis, etc. In hebraicis grammatica aliqua deligatur ex his, quae vulgo circumferuntur; tum ex veteri testamento [12] aliquid semper enarrabitur; huic classi adiungi poterit lingua chaldea ad eorum eruditionem, si qui erunt paulo aptiores ad linguarum peritiam.

Alia classis instituenda (vt ecclesiae Romanae decretum amplectamur) linguae arabicae, siue saracenae, cui erit sturchica adiungenda. Haec classis ad consilium viri alicuius boni, atque in his linguis periti, et disponetur et administrabitur.

In philosophia, in logica, philosophia naturali, morali ac methaphysica sunto 4 classes, ac quattuor annis absoluatur totius philosophiae (vt vulgo aiunt) cursus. Et vt primum de morali philosophia dicatur, ethicae nicomachia Aristotelis enarrentur singulis diebus festis ac dominicis in vna tantum classe, quae lectio propria erit philosophorum naturalium ac methaphysicorum, etiamsi et rethores et logici alioqui eam audire possent. Huius lectionis erit hora commodior a prandio. Professor huius lectionis deligetur ex quatuor classicis a Rectore academiae.

Reliquae tres partes philosophiae ita disponentur, vt in ipsis sint perpetui quatuor praeceptores, ac singulis annis inchoët cursum vnus, ac logicam profiteri, ac post quartum annum singulis annis item vnus cursum alsoluat, et methaphisicam interpretari.

Primo igitur anno professor logices dabit tres [13] menses introductionibus dialecticis, quae ex aliquo auctore eorum, qui circunferuntur, deligentur, vel certe compendium conficiatur ex

[12] ex veteri instrumento, *ms*.

[13] *Natalis in margine*: ℥. 4.

aliquo eorum, qui sophistae habentur, vel ex Dominico Soto, eiusque summula (vt ajunt) ad methodum aliquam concinnetur [14]. Ad haec autem a Porphyrio et praedicamentis totam logicam Aristotelis interpretabitur logicus; verum propterea quod tota logica exercitio disserendi constat, accuratissime opera illi facultati tradenda est, plus scilicet temporis, plus exercitii.

Tres igitur lectiones logicus praeleget quotidie: duas ante prandium, a prandio tertiam. Ex duabus antemeridianis vna ante celebrationem missae audietur, quae nil aliud quam repetetui magistro ab aliquo auditore. Intermissa autem vna hora, ad secundam lectionem venient logici (vna autem hora erit tempus omnium lectionum, nec aliquid temporis praeterea vni enarrationi dare poterit quiuis praeceptor). Hoc item erit omnium commune, vt post lectiones vnus ex auditoribus, non certus ille quidem, sed post absolutam lectionem designandus ab suo [15] praeceptore, auditam lectionem ex tempore repetat. Post secundam igitur lectionem ac suam repetitionem extemporariam, inter se logici, praesente praeceptore, repetent vtramque lectionem, ac de vtraque inter se disputabunt, cui exercitio tribuent vnam horam cum dimidio, vel duas horas, quoad scilicet grammatici in classibus continebuntur. A prandio statim ad classes reuocabuntur, vbi, praesente praeceptore, de eius diei lectionibus interrogabit praeceptor, tum ipsi inter se interrogabunt et disputabunt vna hora, quod genus exercitii vocant Parisini reparationes [16].

Alia erit praeterea lectio pomeridiana, quam sequentur suae repetitiones; hinc domum discedent, atque rursum redibunt ad classem vel post coenam, vel vna ante coenam hora, vt erit commodissimum pro temporis ratione, atque in disputationibus erunt de eius diei lectionibus, disputante aduersus eos vel praeceptore, vel ipsis inter sese. In hac erunt concertatione saltem vnam ho-

---

[14] concinnentur, *ms*.

[15] Prius scriptum fuit, *ab ipso;* sed deletum est *ipso*, et supra scriptum fuit *suo*.

[16] In margine: «Haec lectio secunda, praeterea antemeridiana, poterit excedere horam, et ad quadrantem horae excurrere, vel etiam ad dimidiam horam.»

ram; diebus autem sabbatinis, antemeridianis scholis, compendio repetentur vniversae hebdomadis enarrationes; praeceptor autem, sicubi opus erit [et] commodum [17], eas repetitiones illustrabit suis animadversionibus et auctariis annotationibus; pomeridianis vero vno sabbato conuenient in classem metaphysicorum logici ac metaphysici cum suis praeceptoribus, et aduersus designatos a praeceptoribus suis propugnatores argumentabuntur libere de rebus quibuslibet auditis auditores: altero vero sabbato bini proponent positiones. Argumentabuntur primum regens metaphysicus aduersus logicum, dein regens logicus aduersus metaphysicum, dein, si qui sint artium magistri vel licentiati, ii argumentabuntur, ac si tempus fuerit residuum, aliquis ex auditoribus.

Similis erit ratio exercitiorum sabbatorum quattuor classium philosophiae, nam physicus et naturalis eamdem rationem obseruabunt. Singulis tamen mensibus, vltima die veneris, a prandio repetentur lectiones omnes in quattuor classibus philosophiae eius hebdomadis, ac postridie, hoc est, die sabbati conuenient in classem logicorum quattuor praeceptores philosophiae cum suis auditoribus ad communes disputationes, in quibus quattuor scholastici propugnabunt suas positiones. Quattuor scilicet classium primum argumentabuntur praeceptores, singuli aduersus tres. Secundo loco, si qui sint magistri in artibus vel licentiati. Tertio loco scholastici. Istae disputationes durabunt totum diem, ita vt tempestiue post missam eatur ad disputationem vsque ad horam prandii, et statim a prandio eodem redeant omnes.

Diebus festis, hoc est, qui [coluntur siue de praecepto, vel consuetudine praeceptiua, duas habeant logici lectiones, vnam ante prandium, aliam a prandio: diebus dominicis vnam, eamque a prandio. Sciant vero logices auditores hanc molestiam sustinendam, hanc solicitudinem halacriter adhibendam, ad difficultatem dialectices superandam; in aliis partibus philosophiae et labore leuandos, ac rerum dignitate subleuandos; sed tamen eo quisque sibi persuadeat, faciliores reliquas disciplinas fore, quo disertior ac promptior dialecticus ad eas accesserit.

[17] Verba «sicubi opus erit commodum» in margine addita sunt sine signo, quod indicet ubi inserenda sint.

Legetur autem tota logica Aristotelis vno anno. Itaque ad mensem Januarii inchoari poterit Aristoteles de physico auditu, vel ante id tempus, si logica absoluta fuerit. Antequam autem ad interpretandam philosophiam naturalem transeat regens, dabit quindecim dies repetitionibus summariis totius anni et interrogationibus; tum generales positiones defendentur quattuor classium de enarratis toto anno, quae propugnabuntur duos dies integros etc. Cursus inchoabitur postridie festi diui Remigii.

Tribus vero reliquis annis, vel circiter, quiuis regens philosophiam naturalem profitebitur et metaphysicam, hoc est: Aristotelis octo libros de physico auditu, quattuor de coelo, quattuor de meteorologicis, duos de generatione et corruptione, tres de anima, parua naturalia et duodecim metaphysicorum. Haec in tribus classibus praelegentur a tribus praeceptoribus, saltem post tertium annum, quo inchoata fuerint studia.

Proprium erit his classibus, vt duae tantum lectiones in eis enarrentur, vna ante prandium post auditam missam, alia a prandio. Erit vero tempus lectionis, horae vnius; repetitionum, alterius, vt quattuor tantum horas sint quotidie scholastici in classe: excurrere possint ad dimidiam praeterea horam; imminuere nihil possint. Ita fiet grauius ad grauiora studia attendant, suumque iudicium et studium domi exerceant; simul tempus illis suppetet vt mathematicam lectionem possint adire. De harum trium classium exercitiis reliquis dictum est superiori capite.

Praeceptor praeterea instituetur mathematices. Hic quotidie leget tres lectiones in schola metaphysicorum, post eorum lectiones et repetitiones. His enim non licebit praeterire duas horas in singulis suis lectionibus et repetitionibus; itaque liberum erit mathematico in ea classe legere non solum a prandio [18], sed post prandium quoque. Tertiam lectionem interpretabitur in eadem classe metaphysicorum, antequam classem ingrediatur metaphysicus, a prandio. Leget autem suas lectiones mathematicus; nec aliud habebit exercitii quotidiani, nisi quod repetet vnus auditam lectionem, praesente praeceptore, atque ad disputationes men-

[18] Ita clare; etsi forte debeat dici, *ante prandium*.

struas atque annuas dabit suos propugnatores positionum. Ita vero suas praelectiones dispensabit, vt primo anno, vbi soli erunt logici cum physicis, nec audire poterunt mathematicen nisi physici, vnam legat lectionem, secundo duas, tertio tres, ac deinde perpetuo tres.

Lectio prima, ex Euclide et arithmetica aliqua practica et principiis astronomicis, quae sphaeram vocant. Haec, si alia commodior non emergat, erit Orontii cosmographia. In his principiis versabitur prima lectio, ac vno anno absoluentur, et praeterea singulis annis rursus inchoabuntur. Ex Euclide autem quantum poterit legetur; quandoquidem praxis arithmetices et sphaera non adeo multum temporis solent occupare. Hac lectione forsan erit commodum demonstrare ex aliis mathematicis aliquid, vt ex omnimodis triangulis Ioannis de Monteregio, vel ex Iordon [19] etc.

Secunda lectio complectitur musicen speculatiuam et perspectiuam. Haec legetur, vel communis vel Vitellionis; illa Fabii Stapulensis, vel alterius, si quis commodior videatur. In hanc lectionem poterit reiici vt aliquid dicatur de praxi geometriae et mensurationibus ex aliquo auctore, etc. In his versabitur secunda lectio totum annum, et denuo proximo anno eaedem legentur.

Tertia lectio singulis annis versabitur in astrologia, inchoando a theoria planetarum; poterit coniungi semper aliquid ex magna constructione Ptolomaei, vel saltem epitome Joannis de Monteregio, tabulae Alfonsi, astrolabium, etc. Haec dispositio faciet vt triennio philosophi audiant principia saltem totius mathematices, ac quotidie singuli audiant tantum vnam lectionem. Physici primam, naturales secundam, methaphysici tertiam. Mathematicus vero nihil possit interpretari astronomiae iudiciariae, sed totum ejus negocium constet speculatiuis mathematices.

In theologia sint perpetuo tres lectores: duo interpretentur summam Sti. Thomae; vnus binis lectionibus quotidianis, una ante prandium, alia a prandio ex suis partibus summae; alius mane ex alia parte leget aliam lectionem, aliam a prandio ex sa-

[19] Forte *Jordan* vel *Jordano:* primum scriptum fuerat *Iordonâ,* sed deleta fuit ultima littera.

cris litteris. Sint vero lectiones duae ante prandium, sibi immediate [succedentes]. Inchoentur vero vbi aliae lectiones omnes inchoantur.

Post lectiones mane repetent inter se auditores lectionem vtranque, praesente vtroque praeceptore, vt possint consuli, interrogari quaestionesque inter ipsos exortas terminare. A prandio, vltimo loco leget lector Thomae suam lectionem, et suor[um] repetitionibus aderit: inchoabit autem legere vbi [possit] post primam horam illarum trium communium. Tertius lector unam lectionem enarrabit ex sacris litteris; lectionum sacrarum litterarum non est necessum habere repetitiones. Legentur autem ambae post prandium, altera vna hora antequam lectiones communes inchoëntur, altera prima hora communium lectionum [20]. Enarrationes vero sacrarum litterarum scholastice fiant, et ex quibus auditores scholasticae theologiae fructum magnum concipere possint; tametsi ratio aliqua semper erit habenda multitudinis imperitae, si quando ad eas lectiones confluat. Intelligantur tamen interpretari, vt formentur ac instituantur scholares theologi. Disputationes ordinariae theologorum ad rationem philosophorum, hebdomadariae, menstruae atque annuae exerceantur.

Lector theologus, qui vnicam quotidie lectionem ex scriptura interpretabitur, is leget doctrinam xpianam. diebus veneris, ac concionabitur singulis dominicis diebus ac festis. Legentur tamen duae lectiones ante prandium diebus sabbatinis, praeterquam vltimis singulorum mensium, in quibus totum sabbatum disputabitur [21].

Vna autem lectio sacrarum litterarum erit ex veteri testamento, alia ex nouo perpetuo. Quidquid vero legetur, id praescribet Rector vniuersitatis. Studium theologicum (siue, vt vulgo aiunt, cursus theologiae) quadriennio conficietur. Priori biennio auditores theologi solum Thomam audient, posteriori studium sacrarum litterarum quaestionibus Thomae adiungent. Censeo

---

[20] lectionem, *ms.*

[21] Praecedens periodus in margine addita fuit sine ullo signo, quo indicetur ejus collocationis locus.

autem intermitti posse nonnullos articulos ex secunda secundae et 1.ª 2.ae, vt quadriennio tota schola theologiae complectatur, et eo quadriennio vacare possint auditores sacris etiam literis. Quod si quadriennium non satis sit ad studia theologiae consummanda, non alienum putarem ad quinquennium extendi debere, praesertim donec sit Thomas legendus, qui admodum prolixus est. Spero enim futurum, Jesu Xpo. dante, vt ex omnibus scholasticis conficiatur summa theologiae, quae et quidquid in ipsis est doctrinae contineat, eorum controuersias conciliet, et factiones thomistarum, scotistarum, nominalium explodat: breuiter, puram synceramque theologiam scholasticam tradat, quantum fieri poterit, compendiosissime.

Erit praeterea quotidiana vna lectio casuum conscientiae ex aliqua summa. Fortasis erit consentaneum vt legatur summa Fumi. Rursum erit alia lectio juris canonici [22] vel ex decretalibus summorum Pontificum, vel ex Decreto. Non legentur autem nisi ea, quae ad theologum et ad casuum conscientiae dissolutionem attinere possunt. Nihil autem attingetur eorum, quae ad forum spectant et iudiciorum strepitum. Enarrabitur vero haec lectio mixtim, vt decet peritum et in theologia et in jure canonico. Vtramque lectionem, et casuum conscientiae et juris canonici, poterit interpretari vnus doctor horis extraordinariis, vt non solum iis, qui ad maiora studia non contendunt, satisfiat, sed theologi quoque ex iis lectionibus fructum accipere possint. Harum lectionum erit simplex repetitio ad rationem theologorum, praesente doctore [23].

Post sextum annum a magisterio et quod audivit theologiam, admittitur ad tertiam licentiam bacchalaureus, currens duobus annis, primo vnam orationem in laudem magistri, praesentibus omnibus bacchalaureis, et quaestionem; secundo anno de sacris litteris et quaestionem. Post haec, tentatiua, quae est scholastica

---

[22] Haec in margine addita sunt: «ius canonicum, quo ad theologum spectat.»

[23] Quae sequuntur, usque ad regulas Rectoris, extant in semifolio oblongo, folio 14, quod purum est, adglutinato. Ut legenti patet, adversaria sunt, quibus nondum ultimam manum imposuerat P. Natalis.

tota, et dant vota bacchalaurei primi, ad quae admittitur informatus: et in secunda licentia, posteaquam illi de prima sunt licentiati, dein biennio debent legere quattuor libros Sententiarum aut triennio, et probare singulos facultati. Post haec in prima licentia tres actus. Post haec ponuntur ex scholastica facultate tum a Cancellario, ac indicitur dies licentiarum.

†

[REGULAE RECTORIS.]

Rector vniuersitatis eligatur a Praeposito generali Societatis per se, vel per alium. Electus vero ab alio per commissionem, ab Praeposito generali debeat confirmari. Non possit autem eligi nisi professus Societatis, et is quidem magister in artibus et theologia, ac qui trilinguis sit ac mathematicus: breuiter, tantum in omnibus iis studiis, quibus praefuturus est, habeat judicii, ut probus et habeatur et sit gubernator futurus totius academiae. Erit praeterea singularis pietatis, vt vtramque rationem officii sui digne administrare possit, et quod ad mores attinet, et quod litterarum eruditionem spectat.

Rector mutabitur ad arbitrium generalis Praepositi; vtile tamen erit, si idem in eo ministerio veterascat, tum propter auctoritatem, quam diuturnitate temporis sibi facile conciliabit, tum propter experientiam rerum, et vsum, qui bonus esse solet et certus magister actionum.

Rector, ut primum creatus erit, sibi in Domino persuadeat cum omni humilitate et pietate, ab Deo et Patre Domini nostri Jesu X.i prouinciam suae fidei concreditam esse, in qua pius ac misericors Pater filio suo Jesu Christo, Domino nostro, commilitones paret, erudiat, armet, animet, vt ad bella procedant, summumque omnium imperatorem Xpum. Jesum sequantur, et cum eo ac pro eo in acie stent, pugnentque sapienter simul ac fortiter aduersus daemones omnes, mundum et carnem. Propterea iam primum ad nouum spiritum nouamque gratiam accipiendam Rector se comparet. Nam vt magnum accipit ministerium, ita magnam in se habebit sentietque virtutem a Jesu X.°, modo gratiae ipsius non desit. Hanc gratiam et a principio agnoscere debet

humiliter et solicite curare, non solum vt conseruetur, sed vt in dies augeatur. *Dominus enim est, qui dat et velle et perficere pro bona voluntate* [24].

Erit consentaneum, vt idem sit vniuersitatis rector collegiique superintendens; collegium autem suum praeterea habeat rectorem, qui subordinatus sit superintendenti. Rectoris igitur vniuersitatis prima erit semper cura, vt sacrificiis et orationibus suis, item applicatione communium orationum et sacrificiorum tum vniuersitatis tum collegii, apud Deum et Jesum Xpum. commendatam faciat totam vniuersitatem, cuius erit pars collegium Societatis aliaeque doctorum ac magistrorum congregationes; totumque ipsius statum, profectum, prosperitatem, ad gloriam Dei Omnipotentis sustentet in Xpo. Jesu, et, quasi Moyses aut Paulus, anathema esse cupiat pro sua vniuersitate suisque scholasticis; offeratque se, ad Jesu X.i exemplum, pro veritate et iustitia ad mortem, interius quidem animi promptitudine, cupiens exterius etiam sibi martirii gratiam concedi, idque totum applicet offeratque Deo pro statu, profectu et prosperitate vniuersitatis atque scholasticorum omnium, ad scopum finemque totius Societatis, qui est, animas a draconis faucibus eripere, Deoque et Xpo. eius lucrificare.

Ad haec, Rectori incumbit cura totius vniuersitatis ac suppositorum eius, primum quod ad mores attinet xpianos., pietatem ac vitam, dein ad studia litterarum. Ita igitur vtrumque gubernet quasi coram Deo, cui rationem est redditurus de omnibu districtissimam. Curabit Rector vt constitutiones communes totius vniuersitatis publice pendeant, de meliori nota conscriptae, vt facile ab omnibus legi possint; ac similiter vt in suis classibus suae constitutiones extent. Legentur autem singulis mensibus publice omnibus post missam communes, classium vero in suis classibus.

Habebit suum secretarium. Is habebit librum, vt aiunt matriculae, in quo omnia scholarium nomina atque fides iurisiurandi, quod praestabunt scholares, conscribentur. Nullus igitur recipie-

[24] Ad Philip., II, 13. «Deus est enim, qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.»

tur in scholam aliquam, saltem qui grammaticam vel cursum artium siue theologiae audire velit, a quo non accipiat Rector juramentum vniuersitatis, quo polliceatur obseruaturum se omnes constitutiones ac consuetudines vniuersitatis, ac obedientem fore in omnibus honestis Rectori ac suis praeceptoribus, tum in iis quae ad mores pertinent, tum in ratione studiorum. Pro pueris pollicebitur qui eos sub potestate habet (donec adultus sit puer, a quo iuramentum exigi[tur] hoc, quatuordecim annorum), eique denuntiabitur, pueros verberandos vbi visum erit suis praeceptoribus et Rectori.

Rector nihil poterit recipere pro quibuscumque literis, nec pro gradibus quibuscumque, vel pro receptione in matriculam, non pro stipendio praeceptorum, non munera a quouis scholastico: breuiter, nihil accipere poterit, ne in eleemosynam quidem, pro praedictis vel aliis quibusuis nominibus et rationibus, nec per se, nec per alium. Si quem vero sciret quocumque nomine accepisse siue praeceptor siue minister vniuersitatis, non solum id restituendum curabit, sed grauiter in illum sua auctoritate animaduertet, ac pure, ac si vnice Deo, suam exhibeat seruitutem in Xpo.

Habeat Rector sua concilia suosque ordinarios consultores. Unum erit concilium linguarum: id constabit ex praeceptoribus omnibus linguarum: aliud philosophorum, quod erit ex omnibus regentibus totius philosophiae: tertium theologorum, quod fiet ex professoribus theologiae ac sacrarum litterarum. Ad haec concilia addere poterit Rector duos aut tres alios in illis facultatibus peritos, vbi viderit id esse vel necessarium vel vtile. Concilium vero commune complectetur tria haec concilia. Ad priuatas facultatum difficultates conuocabitur suum concilium, ad communes, commune. Non tamen ita sit ligatus Rector, vt nihil agere possit sine concilio. Illa enim dantur, vt is possit illorum consilio adiuuari: tota tamen auctoritas gubernationis ipsius erit, ita tamen, vt singulis annis simul Praeposito generali Rector collegii, tum etiam omnes regentes, libere ac bona fide coram Deo et Xpo. Jesu, quid censeant de Rectore eiusque ministerio significent per secretas litteras ac consignatas generali Praeposito, eas-

que tradant confessori collegii ad generalem Praepositum mittendas.

Ad haec sit Rectori aliquis collateralis, qui illi quidem debeat in omnibus obedire. Sit ipsi liberum censere de Rectore, ac teneatur, si quid iudicarit in Rectore notandum, id iudicium secretis litteris, quoties erit vtile, scribere ad Generalem.

Rector accurate dabit operam, non solum vt praeceptores ac scholastici seruent constitutiones ac consuetudines omnes, et quae ad mores attinent et quae ad litteras, sed ad singulos praeceptores primum, dein etiam scholasticos, quoad eius fieri poterit, aduertet, quam diligenter quantoque cum fructu in moribus et litteris versetur quisque, ac suo consilio, auctoritate, imperio remedia adhibebit opportune in Domino, sicubi operae pretium videbitur. Nam et poenitentias in scholis iniungere poterit, moderatas quidem illas et quae aedificent in charitate. Aliam praeterea poenam exercebit, exclusionis ab vniuersitate; tertiam, vt in his, quae ad litteras et mores attinent, possit sententiam quoque excommunicationis ferre, si ita videatur summo Pontifici vt tanta sit eius potestas. In ciuilibus alioquin et criminalibus nullam exerceat iurisdictionem, sed in his iudicet ordinarius, nisi ad fauorem scholasticorum saecularium iudex aliquis concedatur, ab Rectore eligendus, qui ex priuilegio vtriusque potestatis iudicia omnia exerceat in scholasticos iuratos vniuersitatis saeculares: nam religiosi, tum nostri, tum aliarum religionum, a suis praelatis sunt iudicandi.

Rector attendet ad obligationem, quam suscepit Societas in fundatione vniuersitatis, et illi primum obligationi plene satisfieri curabit. Si quid autem amplius addendum ipsi videatur, siue necessarium, siue vtile, id non poterit vel ordinare, vel vsurpare, nisi de consensu generalis Praepositi.

Rectoris sit praeceptores omnes omnium classium designare atque eligere vel mutare, quemadmodum sibi in Domino videbitur. Ii semper erunt ex Societate eligendi, nisi contingat tanta penuria et raritas praeceptorum ex Societate, vt satisfieri non possit obligationi. Ibi vero erit honesto stipendio aliquis conducendus extrinsecus, qui illam penuriam defectumque suppleat,

donec possit Societas munus excipere. Professores vero omnes erunt in suis facultatibus insignes, nec poterit quis profiteri humanitatem vel rethoricen, nisi sit magister in artibus. Sint autem professores ipsi pietatis quoque xpianae. egregii cultores, vt lectiones omnes saecularium auctorum, nedum sacras, sua pietate condiant ad aedificationem auditorum in charitate, in Xpo.

In singulis classibus habebit [25] Rector suos censores secretos, e quibus de omnibus, quae in classibus geruntur, cognoscere possit. Illi, quoties [26] aliquid relatu dignum accidat, statim referent ad Rectorem. Si nihil erit, tamen singulis sabbatis rationem reddent classis. Censores erunt ex auditoribus Societatis, qui, si non erunt, deligentur a Rectore ex aliis scholasticis aptissimi.

Et quandoquidem constabit vniuersitas ex duabus Congregationibus, theologorum et philosophorum, sub philosophia autem intelligantur artes liberales, nullus recipietur in Congregationem, nisi in ea facultate sit magister siue doctor, ad cuius facultatis Congregationem erit admittendus; neque quisquam ad Congregationes admittetur, nisi graduatus in hac vniuersitate; praeterea nisi dignus iudicetur a Rectore, qui in Congregationem admittatur. Hi poterunt argumentari in omnibus disputationibus suae facultatis: tamen in iis, quae pertinebunt proprie ad graduationes, accipient stipendium qui saeculares erunt, pro binis argumentis in artibus dimidiatum iulium, pro binis in theologia unum iulium. Nihil tamen pro argumentis a supositis Societatis accipere poterunt [27]. Tantundem accipiant religiosi in eleemosynam. Nostri nihil poterunt accipere. Qui erunt ex his Congregationibus magistri artium, pro antiquitate et loco gradus sui, priorem habebunt locum in omnibus beneficiis simplicibus suae dioeceseos. E saecularibus siue religiosis aliis nullus poterit gerere aliquod officium in vniuersitate, nisi aliquando, in penuria nostrorum, examinatores necessum sit desumere ex aliis, quos idoneos arbitrabitur Rector ad id munus obeundum.

Qui veniunt examinandi, eos primum mittet ad praefectum ianitor; ipse vero plus minus iudicabit ad quem examinatorem mittendi sint, *et ad illum mittet.*

De eo, qui *examinatus fuerit,* [k] referet ad praefectum examinator: *eum vero praefectus* constituet in ea classe, ad quam videbitur aptus, et commendabit praeceptori, diligentius vero si [l] peculiaris fuerit aliqua causa commendationis; et de omnibus referet ad Rectorem.

Habebit librum, in quo per singulas classes scribentur nomina omnium auditorum nostrorum, ex quo eximentur qui amplius non *videntur* ad scholas *venturi* [m].

Intelliget ex Rectore, quibus diebus sint renouanda studia et fieri debeant promotiones auditorum ad superiores classes. Nam vna solet esse renouatio primaria, in Italia et Germania quidem ad finem, *in aliis nationibus ad initium uel medium Octobris* [n], alia solet in omnibus fere collegiis fieri ad Pascha.

Proponet Rectori initio mensis *Junii* [o] pro primaria renouatione, quas praeparationes velit fieri; nam pro magnitudine collegiorum uel celebritate plures fieri possunt. Solent autem in hac renouatione studiorum fieri disputationes publicae, quas dicimus annuas, in ea facultate quam profitentur, ad grammaticam vsque, distributae per suos dies; *quae distributio* erit in ar-

---

j *Prius,* illi enim a rectore designabuntur.
k » quem examinauerit.
l » diligentius uero illum et peculiariter, si.
m » non ueniunt ad scholas. n *Prius,* ad finem Octobris.
o » Julii.

bitrio Prouincialis [p], et, ex eius commissione, Rectoris. Deinde comedia vel tragedia, uel omnino dialogus exhiberi solet, recitari orationes, carmina; orationes et carmina affigi in loco disputationis, qui poterit esse in his annuis disputationibus templum, nisi capax locus esset in scholis, vbi et disputationes haberi possint. *Comedia tamen in templo non exhibebitur* [q].

Eodem tempore referet ad Rectorem quosnam libros uelit in renouatione illa legi; intelligat tamen prius professorum iudicia.

Eorum librorum, quos probabit Rector legendos, curabit ut habeatur copia, non solum pro domesticis, sed pro externis; curabit per bibliopolas vt habeatur.

Curabit etiam libros haberi pro lectoribus, qui videbuntur necessarii illis uel etiam vtiles futuri, et lectorum aget causam apud Rectorem, quibus potius videtur hac ex parte indulgendum: idem curabit pro aliis domesticis.

Animaduertet si quis erit professor, qui sit *mutandus* [r] quauis ratione, siue propter taedium, siue propter diuturnum tempus quo legit, siue quod non satisfaciat, siue quod sit ad superiorem classem, vt legat, promouendus, siue ad alia studia mittendus.

Intelliget an nouus cursus (ut dicimus) philosophiae sit inchoandus, et curabit tempestiuius designari quis sit futurus professor, et illi significari vt se parare possit. Similiter curabit tempestiue designandos et parandos alios nouos professores; *parandam comediam uel dialogum; componenda quae sunt et recitanda et affigenda.*

Aliquot diebus ante hanc renouationem curabit vt Rector designet examinatores, qui post examen iudicent quinam auditores sint ad superiores classes promouendi. Debebit etiam ipse

---

p *Prius,* quod erit in arbitrio prouincialis.

q » «haberi et agi comedia possit». Deinde manu Natalis haec prius addita fuerant: «quod factum tempore Patris Ignatii. Comedia tamen nunquam in templo exhibita». Tandem, his cancellatis, ipse Natalis emendavit ut habetur in textu.

r Idem prius scriptum fuerat, sed clarius in margine a Natali exaratum est.

adesse vbi examinantur, etiamsi non examinet, sed videat quemadmodum examinantur.

Ratio vero examinis *sic* erit. Designabunt singuli professores ex suis classibus, qui sibi videantur idonei ad superiorem classem, uel ad artes liberales audiendas; *et id quidem secreto facient; et dabunt praefecto catalogos; deinde* classicos cathalogos oportebit examinari per selectos.

Adhibebit *de* segregationibus et cathalogis, quos fecerint examinatores, iudicium suum praefectus, et de re tota ipse referet ad Rectorem, ex cuius authoritate fient hae promotiones [s].

Est alia renouatio studiorum, quae fit in omnibus fere collegiis *ad* Pascha. *Haec simpliciter fieri solet absque vllo apparatu, praeuio tamen examine, vt modo diximus* [t].

Posset institui puerorum inter se concertatio pro loco superiori in classe uel pro paruo aliquo munusculo, de qua in instructione pro literariis *dicetur* [u].

In praefecti officio illud quoque erit, vt designet ipse qui sunt promouendi in artibus liberalibus et theologia ad graduum insignia, et de iis referat ad *Rectorem et Prouincialem* [v]. Hic cum definierit *(si quidem eam habebit* facultatem) quinam sint promouendi, et quando, et ad quos gradus [x], erit cura praefecti vt illa fiant, quoad eius fieri poterit, decentissime, et ad existimationem collegii augendam accommodatissime.

---

s *Prius,* «per selectos, hoc est per rhetorem et humanistam, qui scilicet sunt inferiorum classium, praeter primam grammatices, examinatores: huius erit rhetor cum alio ex domesticis: classium humanistae et rhetoris erunt duo ex domesticis, uel omnino designabit, qui uidebuntur idonei per [*sic*] examinatoribus rector». Haec omnia cancellata sunt. Prius autem ita emendavit Natalis: «per selectos et id quidem secreto et dabunt praefecto in catalogo; deinde illos oportebit...» Tandem in *cod.* 7 emendatum fuit a Natali, sed librarii manu, ut habetur in textu.

t *Prius,* in Pascha. In hac non solent fieri publicae disputationes nec recitare comediae.

u *Prius,* «dicitur alibi. Examinabuntur auditores similiter atque dictum pro primaria renouatione, et promouebuntur qui uidebuntur idonei ad superiores classes». Hic paragraphus totus cancellatus est.

v *Prius,* Superiorem.

x » Haec cum definierit, quinam sunt promouendi et quando et quibus examinibus et ad quos gradus.

Quibus vero disputationibus et examinibus tentandi sint, qui sunt insignia graduum accepturi, id certo constituet generalis Praepositus; interim seruentur receptae consuetudines.

Habeat praefectus regulas omnes, quae ad studia attinent, vt regulas pro scholis, regulas professorum, distinctionum, classium, et rationem exercitiorum scholasticorum, regulas scholasticorum Societatis, *et* instructiones peculiares, quae de studiis et scholis sunt datae, vt ea, quae Superior ordinabit in re praesenti, intelligat, et ex his colliga[t], quae sit observaturus, de quibus relaturus ad Superiorem, quomodo suum officium obiturus. Nominatim vero in eius officio erit, vt frequenter ad classes, quo tempore docetur, veniat, quo possit compertum habere quemadmodum doceant professores, quemadmodum obseruent regulas suas, num lectiones omittant, num exercitationes scholasticas. *Intelligat etiam* quemadmodum satisfaciant auditoribus, quantum auditores proficiant; non tamen habebit facultatem, uel admonendi, uel reprehendendi, uel praeceptores uel Societatis scholasticos, *in scholis;* poterit externos, si videretur necessarium.

Nostros praeceptores et scholasticos poterit domi priuatim sui officii admonere; quod si non proficiet, referat de illis ad Rectorem.

Haec non solum praesens per se curabit videre, sed ex nostris etiam auditoribus intelliget, si qui fuerint, vel etiam ab externis, commode si poterit absque iactura existimationis praeceptorum, si non per se, saltem per aliquem ex nostris, num seruent suas regulas nostri *scholastici,* num sua exercitia. Id quoque curabit scire tum per se, tum per peculiares exactores studiorum, qui erunt singuli praeceptores suorum discipulorum. Idem sciat per obseruatores singularum classium, qui ad exactionem studiorum sunt constituti.

Si quem viderit praeceptorem, si quem auditorum, qui nimius sit in studiis, si quem qui remissior et negligentior, eum poterit familiariter admonere, et de eo simul referre ad Superiorem.

Si quem, cui noceant studia, viderit, de eo referet ad praefectum sanitatis, tum ad Superiorem, et non omittat curam, nisi

prouisum fuerit uel dixerit illi Superior se curaturum, et nihil esse quod amplius ipse ea de re sit solicitus.

Si animaduerterit, propter studia aliquem fieri in rebus spiritualibus negligentiorem uel ineptiorem, uel contra, cupiditate et vsu illarum rerum studiis non affici, de eo referat ad praefectum orationis et Superiorem; tum ipse per se iuuabit admonitione et instructione quoad poterit.

Si quid erit quod attineat ad studia, quo egere sibi videantur nostri, vel praeceptores uel scholastici, vt plus temporis scilicet habeant, minus occupationis in aliis rebus, *an* selecto aliquo libro vel scripto egeant, et id genus aliis, ea omnia procurare attinebit ad praefectum, siue de his ad eum referatur, siue ipse per se ea nouerit, quod debebit inuestigare etiam non admonitus [y].

Consulat et agat frequenter cum praeceptoribus de eorum lectionibus et studiis, et profectu suorum *auditorum*.

Praescribere poterit rationem legendi et studiorum praeceptoribus; et non solum ipsis, sed auditoribus etiam rationem studiorum praescribere poterit, prius de his rebus cum ipsis praeceptoribus agendo, re *etiam* collata cum Superiore.

Studebit intelligere qua facultate ingenii valeant nostri, et ea ex parte curabit illos proficere; vt si quis *ad* eloquentiae *studia idoneus sit* [z], eum [a] curabit accuratius et diutius humanioribus literis et oratoriae arti operam dare; et animaduertet diligenter, vt in arte grammatica studiosissime omnes exerceantur. Eadem erit cura si quis ad poësim iudicaretur esse *habilis, si quis ad litteras graecas,* si quis ad philosophiam [b], si quis ad scholasticam theologiam, sive ad eam, quae studio constat sacrarum literarum et doctorum, tum conciliorum, et eius iuris canonici partis, quae spectat ad theologiam.

Contra vero, ad eius curam spectabit, ne quis, qui ad aliquam disciplinam vel studium non videretur idoneus, in eo diutius de-

y *Prius,* non admonitus; et admonitus iudicare.

z » si quis eloquentiae idoneus sit, eum.

a » «eum» quod habetur in *cod. 3,* ab amanuensi ad *cod. 7* non est translatum.

b *Prius,* si quis ad poësim iudicaretur esse propensus, si quis ad scholasticam philosophiam.

tineatur, quam ad mediocritatem aliquam acquirendam; et simul, qui non adeo amplo ingenio est, in paucioribus disciplinis curabit occupari.

Si quis simul ad omnes *disciplinas* videatur habere ingenii facultatem, *huic* omnes *concedi poterunt, magno tamen iudicio adhibito et continenti obseruatione* [c].

Qui facultatem habent ad concionandum, eos curabit non occupari in docendo, praesertim in classibus inferioribus. Quod si vtrumque munus *tueri posse viderentur* [d], theologiam docere et philosophiam possent, vel rhetoricam. Erit *vero* vtile in primis, qui in concionando valent, eos euadere doctissimos, saltem vt sufficientes sint theologi, quod *plane* est necessarium.

Curabit vt, qui videntur posse habere facultatem docendi in scholis, ii in refectorio exerceantur, legendo quando et quam frequenter Rectori videbitur; *deinde poterunt esse substituti classium.*

Eorum *literaria exercitia* [e] peculiariter curabit esse ordinata, qui vel aliquod studium absoluerint, et illud repetunt vel omnia, et in eorum repetitione et confirmatione versantur.

Non negliget omnium domesticorum, etiam si non sint auditores, studia, si quibus operam dare debent, dirigere et promouere iuxta quod intelligat velle Superiorem.

Qui, absolutis studiis scholasticis, student tamen et exercentur in collegiis ad comparandam industriam et facultatem, qua vtantur suis studiis, ad ministeria Societatis obeunda et fructum in animabus faciendum, horum exercitia non tam erunt in eius cura quam Superioris.

Curabit praeterea peculiari diligentia, vt praeceptores magno studio *dent* [f] *operam* simul cum literis, vt imbibant pietatem christianam sui auditores, et mores christianos et orthodoxo homini necessarios; nec omittantur quae ad hoc sunt instituta exercitia,

---

c *Prius,* facultatem ut ei omnes concedantur, in omnibus exerceatur.

d » utrumque munus mereri possent.

e » studia.

f In *cod.* 7 librarius perperam legit *etiam,* ubi Natalis *dent* clare scripserat.

missae auditiones, et conciones, et catechismi, confessiones menstruae, et quicquid praeterea vel ex regulis ad hoc institutis iuuabit, vel in re praesenti praeceptoribus videbitur vtile futurum, vel praefecto curandum, *modo nullus nouus ritus inducatur* [g]. Et illud omnino ne omittant praeceptores, quod, cum quotidianum esse possit, magnum momentum habebit haud *dubie* [h], ut, inter legendum exercitia scholastica, referant, quae poterunt *commode,* ad pietatem et bonos mores animis auditorum imprimendos.

Curabit illa *etiam,* quae ad res externas scholarum attinent, ut scilicet sint scamna sufficienti numero, ut reficiantur, ut suus sit sugestus in singulis classibus; breuiter, vt nihil in externis rebus desideretur.

Haec hoc tempore dicta sint compendio, *quae* omnia interpretari Superior *poterit,* si quid in eis difficultatis occurrat [i]. Si tamen aliquid addendum videretur Rectori *vel mutandum, id non faciet* [j], nisi consulto Prouinciali. Hic non concedet noui aliquid fieri in re parui momenti, vel alioqui necessaria, de qua prius tamen admoneat Patrem Generalem [*sic*] [k].

REGULAE PRO SCHOLARIBUS SOCIETATIS

Finis doctrinae, quae in hac minima Societate discitur, est, cum diuina gratia non solum *saluti et perfectioni propriarum animarum vacare, sed saluti et perfectioni proximorum incumbere impense* [l].

Nitantur igitur habere puram animam et rectum studendi propositum, *qui literis dant operam.*

---

g *Cod. 3* Natalis manu, *inducatur:* amanuensis vero *introducatur,* in *cod. 7* transcripsit.

h *Prius,* dubium.

i » Haec hoc tempore dicta sunt compendio, in quibus si quid desideretur, ex iudicio superioris id poterit adhiberi, consulto prouinciali, ut haec omnia interpretari a superiore debeant, si quid in eis difficultatis occurret.

j *Prius,* addendum uideatur rectori, id non faciat.

k » P. generalem, et facultatem poterit rectori prouincialis, eam quam ipse habet, dare si ipsi uidebitur.

l *Prius,* cum diuina gratia propriis animabus et dein proximorum opitulari.

Nullus *ex*[m] literis, praeter diuinam gloriam et animarum bonum, quicquam aliud querat.

Ad haec frequenter gratiam *a Deo omnes* implorent, qua ad praemissum finem magnos possint in doctrina facere progressus.

Praeterea serio et firmiter animo statuant esse *se scholasticos* [n], et omni diligentia studeant; persuadeantque sibi, nihil gratius Deo Domino nostro praestare se posse in collegiis, quam *praedicta* [o] intentione *in Xpo.* sedulam nauare operam literis; tum illud etiam habeant persuasum, totum hominem requirere studia ipsa de more Societatis suscepta.

Illud praeterea [p] intelligant, quod, licet numquam detur occasio exercendi ea quae didicerint, ipsum tamen studiorum laborem, ex charitate et obedientia susceptum, prout suscipere debent, futurum esse opus ante diuinum conspectum valde meritorium.

Solicite cauere debent scholares, ne studendi feruore in verarum virtutum amore tepescant; simul prolixas mortificationes, orationes aut meditationes eo tempore *ne desiderent* [q] sine necessitate.

Intelligant vero, quod pura intentione diuini servitii incumbere studiis erit tunc non minus gratum, immo magis, Deo Domino nostro, quam mortificationes, orationes et meditationes non necessariae.

Studeant nostri scholastici illam deuotionem, illum virtutum habitum ac orationis vsum, quem adducere eos necesse est insignem ex novitiatu, conseruare in studiis, ac pro virili etiam augere in Christo.

Quod si sentirent se propter studia fieri remissiores in rebus spiritualibus, ac statum suae conscientiae fieri imbecilliorem, id significent Superiori vel confessario, ac petant auxilium.

Sciant autem omnes duo esse Societatis media, quibus ad suum finem contendit: alterum est vis quaedam spiritualis ac di-

---

m *Prius,* in. n *Prius,* esse scholares. o *Prius,* recta.
p » Sic etiam.
q » et simul prolixae mortificationes, orationes aut meditationes pro eo tempore exerceantur.

uina, quae acquiritur ex gratia vocationis [r] vsu sacramentorum, orationis, virtutum omnium exercitio religioso, tum [s] ex peculiari gratia, quam accipiunt scholastici pro suo statu [t]; alterum est positum in facultate, quae ex studiis comparari solet. Simul intelligant primarium esse prius illud medium, immo vero ex quo *secundum hoc* [u] efficaciam habere debet, vt simul et nobis et omnibus possimus efficatius *opitulari* [v].

Conserventur igitur summo studio illa arma spiritus, et fiant quasi forma, *vita et* perfectio scientiarum omnium, ex qua scilicet virtutem scientiae accipiant spiritualem ac diuinam; et ne simus [x] seculariter ac *ieiune* scholastici vel doctores, sed religiose et spiritualiter. Ita fiet, Christo propitio, vt *non solum falsitates* [y] *ac deceptiones* mali spiritus, veri spiritus efficacia et luce dissipentur, *sed vt purissime scientiae animo suscipiantur et conserventur* [z].

Persuadeant sibi omnes, vt semper fuit scientia necessaria in Ecclesia Dei, *ita nunc* esse multo maxime propter insanam quamdam haereticorum scientiae persuasionem, ut orthodoxa veritas ab illorum iniuria uindicetur, atque Ecclesiae catholicae romanae sacrosancta authoritas propugnetur, proprie vero esse nobis *necessariam vt finem* nobis praescriptum *consequi possimus* [a].

Orationis tempus intelligant ex regulis communibus; instructionem, ex Superiori et confessario et praefecto orationis, a quibus in oratione sunt gubernandi: et sciant esse facultatem in Superiori *ex officio,* in confessario et praefecto orationis *ex commissione,* vt commutent orationem vocalem in mentalem, et etiam

---

r Haec tria verba desiderantur in *cod. 3,* et addita sunt in *cod.* 7 ad oram, librarii manu.

s Haec particula non habetur in *cod. 3.*

t Praeced. sex verba, addita librarii manu, desunt in *cod. 3.*

u Pronomen «hoc», praetermissum a librario in *cod.* 7, habetur etiam in *cod. 3.*

v *Prius,* prosimus efficacius.

x *Cod.* 7, scimus.

y *Cod* 7, falcitates.

z *Prius,* ut falsitatum deceptionem mali spiritus huius temporis, ueri spiritus efficacia et luce dissipentur.

a *Prius,* ad finem nobis praescriptum consequendum.

tempus prolixius orationis concedant, vt iudicabitur esse necessarium *vel vtile*.

Est ipsis (ut omnibus) vtile imprimis, alte imprimere cordi amorem finis Societatis, et *huius* consequendi ardens desiderium, vt *scilicet* animas omnium iuuemus per media et ministeria, quae ex vocatione et instituto accipimus, *et* confirmauit Ecclesia sancta.

Quod vero ad reliqua attinet, scientiarum et omnium studiorum ordo ex Superioris praescripto gubernetur.

Et *in* linguarum studiis, inter alios bonos fines sit intentio defendendi, interpretandi, omnemque authoritatem tribuendi illi sacrarum literarum versioni, quae a concilio Tridentino vetus dicitur et uulgata, atque ab Ecclesia est recepta.

Omnes scholares eas lectiones et ab illis praeceptoribus audiant, quos Rector collegii praescribet.

Singuli autem studendi sibi rationem aut a studiorum praefecto, aut a praeceptore datam, diligenter seruent; neque quicquam immutent, remittant vel omittant [b], sine facultate legitima.

Erunt scholares diligentes praeuidendis suis lectionibus et studiose audiendis.

Lectiones eas, quas audierunt, solicite repetant; et quae minus in illis intelligunt, diligenter quaerunt [*quaerant?*]

Quae notatu digna *significabit* [c] praeceptor ipsis, quae rara, quae egregia videbuntur, vel etiam usui futura ad conciones vel alia Societatis ministeria, aut certe quae non *confident* memoriae haesura *esse*, ea omnia in paratis libris papyraciis annotabunt [d].

Intelligant omnes magnam ex disputandi exercitationibus *afferri* vtilitatem, iis praesertim, qui *philosophiae* [e] et theologiae scholasticae [f] student.

---

b *Prius,* quisquam... immutet, remittat uel omittat.

c » signabit.

d » quaeque aut ignota hactenus fuerunt aut certe non ita memoriae haesura putant». Dein Natalis manu in *cod. 3,* «quaeque ipsis vel rara, vel egregia videbuntur, vel etiam vsui futura» etc. Tandem ab ipso Natali librarii manu ut in textu, hac clausula cancellata, quae in *cod. 3* addita huic paragrapho fuerat: «Attente uero praeceptorem audiant, quem etiam consulere debent si quid minus fuerint assecuti.

e *Prius,* artibus.

f *Cod. 7* «scholastici» errore librarii. In *cod. 3* recte «scholasticae».

Adsint disputationibus et *circulis* [g] ordinariis earum classium, quas frequentant.

In disputationibus publicis nemo sententiam suam interponat *praeter* disputantes [h], nisi facultatem antea habeat a praefecto, cuius etiam arbitrio et incipere et desinere omnes continuo debent, *et alias praeterea regulas diligenter obseruare, quae de disputationibus traditae sunt* [i].

Qui vulgarem linguam addiscunt [j], quotidie hora quietis a coena *vel a prandio,* et eo die, quo itur ad hortum, tum eundo, tum redeundo, et quamdiu illic fuerint, *eadem illa* loquentur: idemque facient et reliqui omnes, *cum* quibus his ipsis temporibus sermo fuerit. Reliquo tempore [k] cum omnibus omnes, tam scholastici quam professores, latine loquentur. Dominicis ac festis diebus singuli uel sua, uel *qua* lingua maluerint, loqui poterunt. *Fuit tamen postea inducta consuetudo, vt alternis recreationibus libertas omnibus fiat vtendi, qua lingua maluerint* [l].

In studiis consultum erit, *vt quaeuis* facultas absoluta repetatur, adhibito vno, duobus, vel pluribus authoribus quam *prius,* habito tamen Rectoris consensu.

Utile erit *de his,* quae spectant ad *quamuis* facultatem, facere compendium breuius et ordinatius, quam erant illa prima scripta, quae *parauerant,* quando, *vt fit,* non ita rem intelligebant: compendium tamen nullus faciat absque Superioris facultate [m].

---

g *Prius,* Adsint in disputationibus et circis.

h » disceptantes.

i Post hunc paragraphum, prius scriptum fuerat, quod cancellatum est: «Contendant, modeste tamen, insignes se in doctrina ostendere».

j *Prius,* «Omnes *quidem,* humanistae tamen praecipue, communiter loquantur latine; qui tamen uulgarem germanicam linguam addiscunt» etc. Adverbium *communiter* cancellavit Natalis, et ejus loco «vt plurimum» in margine scripsit.

k *Prius,* Toto reliquo tempore.

l Post hunc paragraphum hoc prius scriptum fuerat, quod cancellatum est: «Scribant *etiam priuatim et quasi compendiate* ea omnia, quae *annotare* expediet ad faciliorem rerum intelligentiam et compensandam librorum penuriam ac memoriae defectum, et quibus se iuueut cum id opus erit».

m *Prius,* «Vtile erit ex iis [?], quae spectant ad eam facultatem, facere unum compendium breuius et ordinatius, quam erant illa p.ª scripta, quae

Etsi in scholis *faciant* repetitiones, necessarium erit vt fiant *etiam* domi *sua exercitia circa eamdem lectionem* [n].

Scholares bini *adeant* scholas publicas (si eo eundum est); *similiter* etiam *ad* nostras; et a scholis eodem modo redeant ea externa internaque modestia, quae pro sua ipsorum aedificatione atque aliorum exigitur.

Eorum colloquium cum aliis scholaribus (si colloquendi habebunt facultatem cum externis) erit de rebus literariis uel spiritualibus, quibus quaerant per omnia se et alios iuuare ad maiorem gloriam Dei, *et in iis eo potissimum spectabunt et contendent, vt promoueant ad pietatem et deuotionem scholasticos.*

Caueant, si qua in re a praeceptoribus fortassis publice corrigantur, ne *quasi* contentiose *sese* defendant. Licebit tamen sententiae [o] suae rationes explicare, ita tamen vt obseruantiam praeceptoribus debitam semper praeseferant *et exhibeant.*

E classe nullus vnquam exeat, dum praeceptor in ea est, nisi primum a praeceptore facultatem habeat.

Nemo ultra sexquihoram, aut duas horas vt summum, studium continue pertrahat, quin aliquantulum quiescat. Nec libros legat spirituales, aut a praecipuo suo studio alienos, sine Superioris facultate vel confessarii. Nec hora quietis aut studio suo quisquam incumbet, aut disputabit vel leget [p].

Singulis diebus sabbati sint parati ad reddendam suorum studiorum rationem, eaque memoriter referenda, quae per hebdomadam didicerint, *quibus* fuerit constitutum [q]. Hoc vero ad eos presertim pertinet, qui in humanioribus literis versantur [r].

---

excepit quando non ita rem intelligebat atque *post* absolutum suum cursum: compendium uero nullus faciat absque superioris facultate». Hic paragraphus varias exhibet Natalis emendationes, quas cancellavit; et rem tandem ut habetur in *cod.* 7 reliquit.

n *Prius*, Si in scholis non fierent repetitiones, necessarium erit ut fiant domi, postquam redierint a studiis, si fieri poterit. Quod si statim non licebit eas facere, eligat rector aliquam horam commodiorem.

o Prius, Licebit tamen apud eundem sententiae.

p *Prius,* uel leget, nec in cubiculum etiam suum eo tempore ingredietur citra facultatem.

q *Prius,* sicut eis fuerit constitutum.

r Post hunc paragraphum alter prius subsequebatur, qui cancellatus

12

†

QUAEDAM CIRCA STUDIA ET MORES

COLLEGII ROMANI

PROPOSITA R.DO PATRI GENERALI [1].

†

Jhs. Maria.

Admodum Rde. in Xpo. Pater. Referam hic ea, quae sentio circa mores et studia litterarum hujus nostri collegii Romani; neque vero dicam ea, quae michi placent, quae quidem sunt multa et magna: tantum dicam aliqua, quibus studia aliqua ex parte meo judicio promoueri possunt, et in moribus fieri maior aliquis progressus; et quidem simpliciter efferam, non subjectis rationibus dictorum.

IN MORIBUS

1. Mortificatio magistrorum maior, et subjectio superioribus et regulis.

2. Maior vnio, simplicitas, synceritas, charitas maior ipsorum magistrorum inter ipsos, vt bene de se inuicem sentiant et loquantur.

---

fuit. Ita habebat: «Omnes demum, cum in lectionibus attente audiendis et diligentia in reliquis exercitiis, quae in classe fiunt, tum modestia et humilitate dent operam totis uiribus, ut externos aedificent, sicut ad diuinam gloriam et animarum auxilium expetitur; atque, ad hoc singulariter adipiscendum, diuinum auxilium suis precibus quotidie implorent».

[1] Ex adversariis autographis P. Ledesmae, in *cod. Rom. stud., I,* ff. 151-153.

3. Nullum priuilegium magistris aut alicui [a] eorum concedatur in cibo, potu, vestitu, cubiculo, officio, culina, refectorio, exercitio, seruicio, audiendis concionibus et exhortationibus, conuersatione, tonis, poenitentiis; et in omnibus denique exercitiis domesticis, etiam sordidis et infimis, exerceantur cotidie, vt caeteri; et in omnibus denique regulis sint omnia illis cum caeteris communia: et hoc puto esse caput omnium.

4. Ita magistros tractare, vt intelligant, et sibi habeant persuasum, nec ex eis pendere collegium nec Societatem; atque nisi se gesserint ut debent, intelligant et putent futurum, quod ab eo officio amouebuntur, et alii eorum loco substituentur, etiam si habeantur doctissimi; sed nec Deus deerit, et potens est ex lapidibus suscitare [2].

5. Nullus fiat magister cujusque facultatis vel classis, quantumuis doctus, nisi qui in spiritu multum promouerit, et oratione ac mortificatione, et qui alios possit juuare verbo et exemplo; alias nullo modo docere permittatur; et eo minus, quo fuerit doctior.

6. Non magnifiant docti; sed boni, etiam indocti, in omnibus praeferantur doctis, etiamsi sit minimus coadjutor.

7. Modus docendi non sit, vt placeant externis, nec seculari modo aut verbis, nec se laudando, nec scholasticos alliciendo etc.; sed simplex, honestus, verus et sanctus docendi modus: sic etiam disputandi, et conuersandi quoque cum suis discipulis.

8. Ne audiatur quidem in collegio aut inter nostros nationum nomen, vel earum aemulatio, aut in magistrorum electione, aut in rebus aliis; quod quidem maximum est odii et dissensionis seminarium: et quae jam coepit, extinguatur prorsus.

9. Plus orationis et mortificationis toti collegio esset concedendum, vt uidetur. Fortasse quaerendae essent viae, quomodo plus in spiritu proficerent; nam videtur, nisi fallor, post quinque annos imminutus aliqua ex parte spiritus: forte expediret, diuide-

---

[a] aliquo, *ms*.

[2] «...potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae.» MATTH., III, 9: LUC., III, 8.

rentur in quinquagenarios, et singulis praeficeretur proprius immediatus superior, atque Rector deinde praesset omnibus, vt saltem illi quinquaginta se [*sic*] nossent etc.

10. Item, nec magistri, nec discipuli, nec alii, se intromittant in studiorum ordine, praeter praefectum studiorum et consiliarios ejusdem, et syndicos a superioribus constitutos: nec reprehendant, imo nec laudent, nisi moderate, magistros, concionatores, carmina, orationes etc., et maxime conferendo vnum alteri, aut praeferendo: nec de iis, quae constituentur, liceat eis judicare aut pro libitu sententiam dicere; sed quae sibi perscripta [b] sunt, servent, et proprium munus quisque exeqúatur.

11. Item, cum corriguntur ab eo, qui habet curam, assertiones, carmina, orationes etc., etiam male correctus, acquiescat; aut si ei uidebitur, dicat Superiori: et hac de re forte esset conscribenda regula, quae, cum aliis, singulis mensibus legeretur in mensa.

12. Item, nisi in praedictis rebus modo adhibeatur remedium efficax, vereor ne in dies serpat malum longius, et fiat incurabile malum, praesertim in mortificatione magistrorum etc.

IN LITTERIS, AC PRIMO IN COMMUNI

1. Scribatur liber, in quo distincte et particulatim contineatur totus ordo studiorum, tum hujus collegii, tum caeterorum, in quibus est vna, duae, vel tres, vel plures grammaticae classes, aut aliarum facultatum; et hic ordo per singulas singilatim classes et facultates, et per singula personarum officia et rerum diuersitatem, actuum, disputationum et aliorum omnium exercitiorum litterariorum, distincte et particulatim; et, adhibito juditio et sententia superiorum, ille statuatur seruandus, immutandus omnino, nisi de summo Patrum consilio, vt sit jam tandem aliqua regula, quam Praefectus studiorum et magistri sequantur.

2. Videtur michi vt Rdus. Pater Natalis habitet in collegio nostro, et sit eius praefectus saltem per annum; idque tum maxime propter mores, tum propter praedictum studiorum ordinem

---

[b] Sic: forte melius *praescripta*.

conscribendum et statuendum certo, tum propter maximam ejus experientiam, et cognitionem multorum annorum hujus collegii et personarum ejus etc.

3. Item, videretur expedire, ut aliquis vnus esset studiorum praefectus, et is cum potestate, qui vteretur consiliariis, uel qui ordinem datum sequeretur. Et is gubernaret quoque studia collegii Germanici et Seminarii, licet per immediatos ibi existentes. Fortasse bene etiam habebunt studia collegii, si sint tres praefecti: vnus vsque ad rhetoricam inclusiue, alter artium, tertius theologiae.

4. Vacationum et remissionum tempus fortasse deberet mutari et imminui, atque aliorum dierum intermissionis, augerique lectionum tempus; nam, omissis humanioribus, caeteri aliarum facultatum magistri cum rhetoricis solum docent per centum triginta dies plus minus: imo qui vesperi docent, tantum per centum decem plus minus, vt vix per tertiam anni partem doceant; cujus numeri rationem et supputationem olim dedi Vestrae Paternitati [3].

5. Expedire videtur, vt ex singulis artium cursibus relinquantur theologiae auditores Romae, saltem duo aut tres ex praecipuis, qui maiori doctrina et ingenio valent, qui quidem absoluant totum theologiae cursum, et postea etiam fortasse in theologia secundum Constitutiones promoueantur.

6. Videtur expedire vt sit, quanta fieri possit maxima, theologorum et artium scholasticorum multitudo Romae, ac similiter rhetorum; nam tunc maior fructus fiet, et vnus omnibus magister erit optimus, et perfectionem sic scientiarum assequemur, et missiones erunt faciles, et magistri multi suppetent, qui ad alia collegia mitti possint.

7. Fortasse initio anni essent substituti designandi singulis magistris, si eos infirmari aut nimis defatigari contigerit: atque hoc maxime in humanioribus.

8. Distributio horarum diei fortasse expediret esset certa et

[3] Autographum P. Ledesmae inferius sub hoc titulo damus: «Dies quibus non docetur in classibus superioribus collegii Romani usque ad rhetoricam inclusive...»

firma per totum annum; sed hoc fieri credo non potest, nisi mutato horologio pro nostris saltem, vt vteremur, inquam, astrologico, scilicet duodecim horarum horologio, vt in Hispania, Gallia et Germania.

9. Possentque tunc externi scholastici admoneri campana aliqua maiori, in aedito loco posita, quae ante tempus lectionum per horam pulsaretur, vt fit Patauii. Deinde per singulas horas pulsu horologii ingrederentur ad lectiones et egrederentur.

IN GRAMMATICIS ET HUMANIORIBUS

1. Rudimenta Codreti deberent melius excudi et apte, vt facile pueri discerent. Et uiderentur quaedam muttanda uel addenda ex rudimentis Conymbricensibus.

2. Syntaxi alia fortasse commodiori vtendum, quam qua nunc utimur.

3. Constituatur classium debita aut optima proportio, et singulis praescribatur legendi modus, exercendi, libri quos docebunt etc.; et quidem scripto, vt sit certum quod sequantur.

4. Diebus festis uideretur expedire fierent aliqua exercitia litteraria, si non omnibus, at certe in aliquibus classibus, vt orationes carmine vel prosa, declamationes priuatae, disputationes rhetoricae etc.; et praesertim in classe rhetorices et humanitatis.

5. Fiant declamationes publicae et solemnes bis aut ter in anno, et prosa et carmine, ac etiam interim graece aliquid similiter carmine vel soluta oratione.

6. Praemia publica semel in anno proponantur.

7. Dialogus vnus semel in anno exhibeatur; comoedia aut tragoedia latine in renouatione tantum studiorum.

IN PHILOSOPHIA ET ARTIUM CURSU

1. Vt sequantur aliquem authorem, atque ex eis, quae extant, eligatur optimus in singulos libros Aristotelis; nam etiamsi in singulis libris sint diuersi, nihil refert aut parum, et longe erit vtilius quam nullum sequi.

2. Sequendi vero modus erit, vt primo loco dicantur, et fusse, quae illic continentur; deinde pauca alia possit addere magi-

ster sua vel ex aliis; et quaestiones et materias eo ordine tractabit magister, quo illic tradduntur, non alio; neque facile discedet ab opinione illius, vel a communi; sed aliqua, tamen parua, concedatur opinandi libertas.

DOCENDI MODUS

1. Item, modus docendi sit hic, ex quo maxime tota vtilitas pendet, vt mihi uidetur: sic doceant, ut vel mediocria ingenia possint lectionem memoriter apprehendere et memoriter repetere. Item, doceatur semel per tres quartas horae plus minus, et deinde per quartam sequentem iterum eandemmet lectionem repetat ipse magister brevius: postea interroget quem velit vnum vel plures eamdem lectionem. Finita tali repetitione, ipsi terni vel quaterni discipuli inter se repetant, ac si fieri possit, magistro praesente, per aliquam saltem temporis partem. Item, non obrruat multitudine testimoniorum Aristotelis discipulos, eorum inquam librorum, quos discipuli nondum audiuerunt; est enim prorsus inutile, et potius perturbat discipulos; sed vrgeat praecipuum fundamentum et id, in quo est sita dificultas.

2. Item, non laudet nimium Auerroim, imo ne laudet quidem; neque alios impios authores interpretes Aristotelis; neque nimium laudet graecos aut arabes; sed si quis sit laudandus, sit D. Thomas vel Albertus Magnus, aut alius ex piis interpretibus. Non uideatur aut appareat propensus vel addictus dictis authoribus, Auerroi, vel graecis, vel aliis impiis, contemptis latinis. Non videatur auersus a latinis, neque instituat disputationes latinorum contra graecos, et contra; saltem id fiat raro. Non alienet scholasticos a doctrina latinorum; minime vero a doctrina D. Thomae: neque illum grauiter reprehendat, sed humiliter ab ejus opinione discedat, si quando sit discedendum, et simul cum ejusdem laude: ne videatur frequentius illi aduersari aut studio id facere; sed bene scholasticos afficiat erga D. Thomam et ejus doctrinam. Non vsurpet sibi aut arroget nomen peripathetici, neque doctrinae peripatheticae vel platonicae; sed tantum dicat simpliciter quid sentit ipse. Non sit nimius in reprehendendis aliis authoribus, et praesertim eo, quem docet: neque id arroganter, aut cum fa-

stu etc.; neque propriae opinionis amator; neque novarum opinionum aut rerum velit haberi inuentor et aliorum contemptor; nam tales discipuli imbibunt mores; sed neque aliquem alium magistrum reprehendat, neque studio aduersari uideatur, aut dicta alterius reprehendere.

3. Nunquam reprehendat theologos scholasticos in genere, sed eorum aestimationem augeat et alat apud discipulos; neque grauiter in aliquem eorum inuehatur, etiam particulatim: et multo magis caueat, ne a theologia scholastica alienet, neue eam vllo pacto reprehendat.

4. Item, cum pro fide aget, et in aliquam quaestionem inciderit, quae ad fidem spectat, aget totis viribus et toto conatu, semper opinionem piam sequendo, non vero languide, aut pro parte contraria vehementius.

5. Item, defendent ex iis, quae ad fidem attinent, has opiniones, quas alia separata papyro seorsim offerimus, et oppugnabunt contrarias.

EXERCITIA LITTERARUM RELIQUA

1. Examen licentiandorum aut magistrorum graue et certum esset perscribendum [c], et vt constaret qui deberent promoueri, et quot, et quando; et modus commodus reperiendus, vt fieret sine aemulatione caeterorum, qui non promouentur, et solum digni admitterentur.

2. Forte expediret vt essent gradus bachalaureatus, licentiae et magisterii, distincti.

3. Forte expediret vt aliqui actus philosophici insigniores intra annum fierent, vel eorum, qui promouentur, uel aliorum.

4. Forte expediret vt, finito cursu trium annorum, daretur medius annus sequens sustinendis actibus, et praeparationi ac examini promouendorum.

5. Plenitudo scientiae in artium cursu esse uideretur, vt tribus annis cum dimidio cursus absolueretur; et deinde sequens medius annus concederetur praeparationi et examini actibusque

---

[c] Sic: melius fortasse *praescribendum*.

sustinendis etc., vt asserunt Constitutiones [4]; sed nescio an hac aetate et operariorum inopia fieri possit.

6. Disputationes diei sabbathi durent per tres horas, aut uero duas cum dimidio; tempore videlicet lectionum.

7. Priuatae aliae scholasticorum disputationes institui forte possent semel in hebdomada, eaeque vel diebus festis, quibus non sunt conciones, vesperi, vel dominicis, vel alio die, quae durarent saltem per horas duas.

8. De lectione aethices uidendum an legi debeat, et an ab ipsomet magistro vel ab alio etc.

IN THEOLOGICIS

1. Doctores non fiant nisi qui merebuntur, et pluribus actibus praecedentibus, et non ante quinquenium, vt minimum; imo, si fieri posset, creandi essent secundum Constitutiones [5], et non aliter.

2. Videtur expedire ante doctoratum sint alii gradus, nempe bachalaureatus ac licentiae, quibusdam actibus precedentibus.

3. Si fieri posset, plurimum referret, tum ad scientiae perfectionem, tum ad actuum frequentiam et celebritatem, tum ad maiorem scholasticorum vtilitatem, tum ad praeceptorum doctrinam et ad alia pleraque, essent hic Romae in hoc collegio decem doctores theologiae, qui in actibus disputarent, praeessent, sustinerent, etiam quandoque examinarent etc.

4. Possent hi esse omnes occupati, vt, praeter duos scholasticae et alterum positiuae theologiae professores, alius doceret casus conscientiae, alius controuersias, alius posset esse concionator, alius praefectus studiorum, alius aliiue scriberent, et occurrentibus negociis et casibus responderent etc.

5. Modus docendi theologiam sit is: ut uel mediocria ingenia possint memoria lectionem concipere et memoriter repetant; saltem in scholastica theologia id erit necessarium; et ad id omnes hortentur, vt, quantum in se sit, memoria concipiant et repetant; nam aliter vix judicant, et male intelligunt, et pejus

[4] Parte IV, *Cap. XV. De cursibus et gradibus.*
[5] Ibid.

memorantur. Et hinc fit, vt tam repetitiones classis, quam domesticae, quam etiam disputationes langueant.

6. Nouam opinionem, in re praesertim graui, non inducet sine consilio et licentia Superioris; sed communem opinionem fere semper sequetur, aut D. Thomae.

7. Dicat primo quae D. Thomas, et eodem prorsus ordine: argumenta, solutiones et fundamentum ejus presse et diserte explicet: deinde similiter aliqua ex praecipuis Cajetani, et eodem ordine fere semper: deinde addat quae sibi videbuntur. Nam instituere tractatus proprios per materias, proprio ordine et inuentione, non est ita vtile scholasticis, sed minus memoria retinent, et non se possunt praeparare antequam audiant lectionem; et diuersitate methodi et ordinis ac modi tractandi ab ipso D. Thoma et Caietano magis perturbantur.

8. Actus fiant et publicae promouendorum disputationes infra annum, et quidem frequentes.

9. Disputationes diei sabbathi durent per tres horas, vel per duas cum dimidia, toto videlicet lectionum tempore.

10. Forte expediret essent praeter has aliae priuatae disputationes scholasticorum, semel saltem in hebdomada, per duas horas, vel diebus festis, quibus non sunt conciones, vesperi, vel diebus aliis; valde namque indigent nostri scholastici exercitatione maiori.

Laus Deo, et Domino nostro Jhsvxpo.,
et Virgini sacratissimae Mariae, matri ejus gloriosissimae. Amen.

13

GENERALIA QUAEDAM

CIRCA STUDIA ET DIVERSOS COLLEGII ET SCHOLARUM MODERATORES [1].

†

Jhs. Maria.

Rde. admodum in Xpo. Pater.

Adscripsi in fine singulorum quid quisquam dixit primis nominum litteris, quae sic erunt intelligenda.

E.	T.	Pa.	L.	Achi.	Acos.	Fu.
Emanuel.	Toletus.	Parra.	Ledesma.	Achiles.	Acosta.	Fuluius.

Pe.	Mi.
Perpignianus.	Michaël Angelus.

Doctor vero Mariana nihil voluit circa studia dicere [a].

†

CIRCA STUDIA IN COMMUNI

FRUCTUS

1. In omnibus studiis omnium facultatum non fit fructus plusquam mediocris, et in quibusdam infra mediocritatem. L.

2. In latinis, graecis et poësi [b] paruus progressus; et in hoc

---

a Praecedentia, quae P. Ledesmae manu sunt exarata, desiderantur in *cod. Rom. stud., II.*

b Additum in altero exemplo et postea deletum (quod in sequentibus annotationibus indicabimus hoc modo, *Del. in alt.):* «et in moribus scholasticorum».

1 Ex archetypo Patris Ledesmae, in *cod. Rom. stud., I,* ff. 134-139r. Aliud exemplar, et quidem autographum, extat in *cod. Rom. stud., II,* ff. 205-208, cujus varias lectiones in annotationibus damus. Archetypum exemplar autographo ideo anteponendum duximus, quod perfectius videtur; nam praeter ea, quae in autographo continentur, non paucae annotationes, ipsius Ledesmae manu, reperiuntur, quae abs dubio ad perficiendum primum opus superadditae fuerunt.

et in moribus scholasticorum multa accidunt incommoda ex defectu ordinis. Mi. [c]

ORDO STUDIORUM

1. Conscribatur ordo studiorum et statuatur firmus, non solum in genere, sed particulatim per singulas facultates et classes, cum exercitiis, tempore, ordine et modo etc., ne tot fiant muttationes et consultationes singulis annis. E., L., Pe., Mi.

2. Item, ne hoc differatur, aut haec relinquantur indecisa: alioqui non solum male procedent studia, sed forte aliqui magistrorum, et alii, quibus haec cura incumbit, offendentur, uel tentabuntur, uel male iudicabunt, uel despondent animum, uel nihil aut parum posthac curabunt, cum uideant [d] toties petita et proposita esse uaria, quae iudicant commoda, et nihil fieri, et modo praesertim, cum scriptis omnia dederint, spectant quid fiet etc. L.

3. Item, hic ordo fiat ab aliquo ualde experto. Pe.

4. Item, iudicetur is, quem scripsi et collegi ex regulis et praxi collegii et experientia, et consilio aliorum; et uel ille uel alius statuatur. L.

VACATIONES

1. Remissiones studiorum et uacationes simul diutius durant quam expedire uideretur, uidelicet, per quatuor menses cum dimidio integros, plus minus, uidelicet: a 24 Junii inclusiue usque ad tertium Nouembris uel octauum, plus minus. L.

2. Item, in facultatibus superioribus theologiae et philosophiae, et etiam aliquando rhetoricae, non solum non docent per mediam anni partem, sed [e] uix ultra tertiam partem anni; nam ex 366 diebus anni, non docent nisi 136 uel 128 diebus, «facta supputatione quam habeo, si uidere libeat. L.» [f].

3. Et professores, qui docent uesperi, quia [non] docent die sabbati, tantum docent per dies 116 uel 108. L. «Item non uide-

---

c 3. Quantum patitur spiritus et sanitas. *Del. in alt.*

d nihil fieri. *Del. in alt.*

e paulo plus. *Del. in alt.*

f Praecedentia 8 verba sunt autographa P. Ledesmae.

tur fieri posse magnus fructus in tam paruo tempore lectionum. L.» [g].

4. Item, esset ualde utile, tum ad instituendum nouos magistros, tum ad quietem antiquorum, ut per duos menses aestatis, tempore remissionis studiorum, aut etiam uacationum, eis assignarentur sustituti; toto uero reliquo tempore, imminutis bona ex parte tot uacationibus, ipsi docerent; et hoc esset remedium commodum. L.

5. Experientia ostendit tempore remissionum studiorum et uacationum minus proficere scholasticos in spiritu; et nec melius tunc ualere, imo peius, cum in cubiculis tunc diutius studeant et plura scribant. L.

«Nam et classis exercitia potius juuant ad salutem. Item, externis scholasticis multum certe nocent ad mores et studia tot vacationum dies. L.» [h].

HORARUM MUTATIO

1. Horarum incertitudo et uarietas cum molestia professorum et imminutione authoritatis collegii. Pe.

2. Item, cum studiorum ordinis priuati perturbatione et iactura, ut experientia ostendit. L.

3. Item, mutantur horae 9 uicibus in annos, imo forte pluries, ita ut sit in illis necesse inire nouam studii rationem et nouum ordinem, non solum communem, sed priuatum singulorum. L.

4. Item, forte expediret, ad priuatam saltem collegii nostri gubernationem, uti horologio astronomico, quo aliae nationes utuntur, et esset firmus semper ordo, vna tantum facta mutatione in aestate. L.

5. Item, ut campana quadam maiori, quae longe exaudiri posset, ante lectiones per horam mane, et uespere per aliquod tempus, pulsaretur pro externis scholasticis. L.

---

g Praecedens periodus addita fuit manu P. Ledesmae in margine.
h Manu P. Ledesmae in margine.

PERSONAE AC PRIMO PRAEFECTUS COLLEGII AUT SUPERIORES

1. Accipiatur consilium a magistris, et eorum maxima ratio habeatur in iis, quae ad illorum munus et prouinciam spectant, sicut in iis, quae fiunt publice, quales sunt orationes, dialogi, carmina etc. Fu., Pe.

PRAEFECTUS STUDIORUM

1. Praefectus constituatur studiorum aliquis, qui huic dumtaxat muneri scholarum gubernandarum incumbat, cum auctoritate et prudentia. Pe.

2. Item, is sit doctus et expertus. Pe.

3. Item, omnes ipse examinet: *passen por su mano,* etiam collegii Germanici et Seminarii. Pe.

4. Item, is ipse gubernet studia, et nostrorum et collegii Germanici et Seminarii, per eos qui ibi degunt, et aliorum externorum scholasticorum. Pe., Mi.; et etiam scholasticorum societatis beatae Virginis. Mi.

5. Item, interim dum ordo studiorum conscribitur, praefectus studiorum uideat unde incommoda nascantur, et remedium adhibeat, ne semper totum tempus elabatur consultationibus. Mi.

6. Item, praefectus studiorum maiori ualeat auctoritate, et praesertim apud magistros, et maxime in disputationibus. Achi.

7. Item, ut praefectus remoueat et dimittat ineptos ab studiis, et caetera diligenter curet, quae ad gymnasii in litteris gubernationem pertinent; et ut tam praeceptores quam discipuli suum officium facerent. Fu.

MAGISTRI SED PRAECIPUE PHILOSOPHI AC THEOLOGI

1. Magistri ne alliciant scholasticos, aut pertrahant ad se sermonibus, aut ad suam doctrinam, aut ambiant ut se audiant, uel ab aliis magistris aliorumue doctrina alienent uel detrahant etc. Pa., L., Achi.

SCHOLASTICI NOSTRI

1. Nimis aut saepe occupantur scholastici in aliis rebus, in

quibus consumitur bona pars temporis, quod studiis esset tribuendum; ne id fiat. Fu.

EXTERNI SCHOLASTICI

1. *Mores externorum et remedia.* «Excogitentur efficacia et suauia, et praesertim pro iis, qui de nouo accedunt dialecticis et rhetoricis, et pro iis, qui eiiciuntur ex collegio Germanico. Puto necessarium, ut confiteantur singulis mensibus dialectici et rhetorici, sicut caeter[a]e classes; et vt non admittantur sine examine, aut certe sine licentia praefecti, a magistris, vltra octo dies [i].»

2. Item, ut proponantur eis regulae cum accedunt ad collegium, et polliceantur ipsi uel parentes se seruaturos. Eas regulas ego obtuli Rdo. Patri Natali, quae michi uidebantur. Imo per singulas classes sint quoque regulae propriae, quae in eadem affigantur. «Quae ad ipsam scholam spectant priuatae, harum aliquot collegi: judicentur. L. [j].

3. In officio praefecti studiorum, michi dato, dicitur, vt proponantur hae regulae obseruandae scholasticis, et ipsi polliceantur se seruaturos. L.» [k].

CIRCA GRAMMATICAM ET LITTERAS HUMANIORES

CONSTITUTIO 7.[m] CLASSIUM

1. Constitutio et dispositio ipsa septem classium non ita commoda: ut fiat aliqua melior, aut optima. L.

2. Item, iudicetur [l] earum constitutio, quam scripsi. L.

EXERCITIA PRIUATA ET QUOTIDIANA

1. Exercitia priuata seu quotidiana et eorum modus in singulis classibus statuantur, praesertim haec tria: modus recitandi lectiones memoriter, modus docendi, modus corrigendi themata

---

i Praecedens periodus addita est manu P. Ledesmae.

j 2. Si fieri posset, expedire videretur, vt vnus esset confessor omnium scholasticorum, vel certe duo tantum aut tres tantum, et praesertim classium inferiorum. *Del. in alt.*

k Duae praecedentes periodi sunt autographae P. Ledesmae.

l triplex. *Del. in alt.*

et ea dictandi. «Nam multum in iis nunc perit temporis cum paruo fructu. L.

2. Item, nostri in collegio cotidie lectiones auditas repetant inter se uicissim, certa eis assignata hora. L.» [m].

EXERCITIA PUBLICA

2[n]. Diebus festis litteraria exercitia publica fiant, eaque uel octauo quoque die dominica, uel saltem 15 quoque die, praesertim in humanitatis classe et rhetorices, orationes uel disputationes etc., uel alternis humaniores cum rhetoricis. L.

«De iis exercitiis dici uidetur ut fiant, in Constitutionibus, p. 4, cap. 6, etiam diebus dominicis: et Pater noster Generalis mihi dixit ut fierent.» [o].

3. Item, exercitia publica in classibus altioribus, quae illustrent et nomen dent collegio, ac fructus facti specimen praebeant, atque ea certo constituta. Pe., Mi.

4. Item, ut tunc aliquando darentur praemiola. L.

5. Item, ut fiant solemniores declamationes, saltem post Pascha, aliquoties, bis aut ter. L.

Item, fiant declamationes aut orationes unius uel duorum singulis hebdomadis. T.

GRAMMATICES PRAECEPTA

1. Rudimenta non ita commoda, tum in typographia turpi et inordinata, tum in longitudine ipsorum. L.

Vt ex rudimentis Conymbricensibus et nostris fiat tertium quid, accipiendo optimum ex utrisque. Quod coeptum est fieri, ut perficiatur, et distincte excudatur. L.

2. Syntaxis non ita commoda atque oporteret. L.

Vt iudicetur parua et magna syntaxis, quas scripsi, num sint commodiores et utiliores praesentibus: et si ita sit [p], aut hae aut aliae inducantur meliores. L.

---

m Duae praecedentes periodi sunt autographae P. Ledesmae.

n Sic etiam extat in altero exemplari.

o Addita est praecedens annotatio, ipsius Ledesmae manu, in margine.

p et si ita judicatum sit. *Del. in alt.*

3. Denique tota grammatica aliqua commodior. Pe.

Haec fiat ab aliquo docto et experto, qui non solum possit colligere, sed iudicare. Pe.

MAGISTRI

1. Magistri sint doctiores, in inferioribus classibus praesertim. L., Fu., Pe., T.

2. Item, in quibusdam superioribus docendi modus magistrorum. Pe.

3. Item, in omnibus tales, ut possint docere in multo altiori classe, et ualeant dexteritate docendi, modo, uoluntate, authoritate. L.

4. Item, ne tam crebra sit magistrorum muttatio, et praesertim inexpertos et indoctiores pro indoctis sufficiendo. Fu.

5. Item, ut cum tot sint scholastici, ut unus solus magister eorum non possit curam commode gerere, instituantur duo, aut tot, quot ualeant utilitati scholasticorum commode uacare. T.

6. Designentur initio anni ex artium scholasticis ac theologis, aut rhetoricis, substituti singulis magistris, ut, si aegrotauerint, sciant se debere succedere, ne postea tententur aut grauentur. L.

SCHOLASTICI

1. Ne ascendant scholastici nisi bene fundati, in quo multum peccatur. Pe.

2. Item, mandent cotidie memoriae Ciceronis aliquid, uel alterius probati authoris, et sint qui aliorum exigant rationem et ad magistrum deferant. T.

3. Item, frequenter latine componant scholastici, et uertant ex latino in italicum, et contra; et semper latine loquantur; et assignentur syndici, qui deferant ad magistrum, ut ipse emendet. T.

SCHOLASTICI NOSTRAE SOCIETATIS

1. Nostri, praesertim qui ualent ingenio et per aetatem eis

licet, plus temporis rhetoricis impendant et perfectius; alioqui cito destituemur lectoribus. Pe.

2. Item, sic in collegio latine loquuntur, ut, cum id emendari nequeat, potius expediat prohiberi ne latine loquantur. Pe.

3. Item, correctio accentuum in refectorio contra omnem rationem, quod quidem notabitur ab iis, qui ueniunt ex Hispania et Sicilia. Pe.

Judicata haec jam fuit semel et statuta, quam servamus. L.

CIRCA PHILOSOPHIAM SEU CURSUM ARTIUM

1. Doctrinae sit maior unitas in collegio, quam est inter magistros. L., Acost.

2. Cursus artium conscribatur commodus, quem plus minus magistri sequantur, et quem omnes habeant discipuli, et ibi praeuideant lectiones. L., T., Pa.

3. Item, hic fiat pro tota Societate, et ita non fiat solum a magistris unius collegii tantum, sed diuersorum et diuersarum prouinciarum magistris, qui ad id eligantur. Pa.

4. Item, ex iis, qui modo extant, accipiantur interim optimi quique [q] authores, dum spectamus hunc cursum. L.

Et assumatur ad hoc author, qui grauitate doctrinae, breuiter, et perfecta rei compraehensione atque etiam methodo sit insignior; nam inde erit maior discipulorum utilitas, minor magistrorum labor, et animorum maior consensio. Acost.

EXERCITIA, AC PRIMO DISPUTATIONES PRIUATAE

1. Exercitia literaria sunt pauca, et frigent, et paruo durant tempore, et ob id parum proficiunt scholastici. L.

2. Instituantur disputationes priuatae scholasticorum in collegio semel aut bis in hebdomada per horas duas saltem, et uel ipsi sibi praesint uicissim, uel magister intersit; idque fiat die dominica et mercurii loco repetitionum, uel etiam diebus quoque festis. L.

3. Item, fiant priuatae, sed concurrant omnes magistri si-

---

[q] cuique, *ms*.

mul; idque semel aut bis in hebdomada, et praesit qui ualeat authoritate. Achi.

DISPUTATIONES PUBLICAE DIE SABBATHI

1. Disputationes die sabbathi durent per tres horas, per tempus, inquam, totum lectionum; aliter perparua est utilitas. Pa., «L.

Et cura adhibeatur vt magis ferueant. Pa.» [r].

DISPUTATIONES GENERALES

1. Disputationes generales fiant frequentius, quindecimo quoque die. L., T.

Fiant frequentius quam fiunt, tam in philosophia quam in theologia, et omnium magistrorum concursus. Acost.

ACTUS PHILOSOPHIAE

1. Actus item fiant publici philosophiae sparsim per annum, finito cursu laureandorum. Acost.

2. Sint singulis mensibus actus uel philosophiae uel theologiae, et intersint omnes utriusque facultatis magistri et discipuli; et id posset fieri loco generalium disputationum utilius. Pa.

3. De omnibus praedictis disputationibus, et priuatis et quotidianis, scholasticorum, et publicis in classe, et generalibus, et de actibus dictis, dici uidetur, ut fiant omnia haec. In Constitutionibus, part. 4, c. 6, etiam diebus dominicis uel aliis diebus [s].

EXAMEN LAUREANDORUM

1. Fiat examen laureandorum acrius, plenius et maiori uigore, quam modo fit. L.

2. Et post cursum detur laureandis sufficiens tempus, in quo se praeparent. L.

3. Item, habeatur maior delectus eorum, qui ad magisterii gradum aut doctoris promouentur. Acost.

Non promoueantur in fine cursus, sed tunc apti designentur

---

r Praecedentia 8 verba sunt manu P. Ledesmae addita.

s ut fieri passi [*sic*]. *Del. in alt.*

et doctiores, qui in sequenti anno sparsim disputationes publicas et actus singulatim sustineant: ac tunc erunt caelebres ac insignes, ut desiderantur. Acost.

MAGISTRI, AC PRIMO QUALES

1. Magistri sint insignes. Acost.

2. Nullus doceat philosophiam aut philosophiae cursum, qui non sit theologus. Achil.

3. In discipulis magistri dialectices, cum praeficiantur cursibus et docendae philosophiae, caueatur et inuigiletur [*sic*]. Achil.

4. Magistri solent abesse a repetitionibus domesticis: ne absint sine magna causa aut licentia Superioris. T., L.

Item, citius egredi solent eorum aliqui a disputationibus diei sabbati, quam detur pulsus. L.

DOCENDI MODUS [t]

1. Docendi modus sit, ut uel mediocria ingenia possint lectionem memoria [u] concipere, et memoriter repetere, et ad id hortentur scholastici; nam ob hoc tum repetitiones post lectionem, tum domesticae repetitiones, tum etiam disputationes frigent, cum male iudicant et peius memorantur. L.

Id fiet, si per quartam postremam horae integram magistri repetant eandem lectionem summatim, et sequantur aliquem auctorem cursus plus minus, eis perscriptum [v]. L.

2. Item, docendi modus sit honestus et grauis, ut decet religiosos. Pa.

Item, non affectando lepores aut facetias inter docendum, uel incitando, uel sequendo modos alios seculares, ut uoluptate demulceat, uel risum concitet auditorum. Pa.

Item, ne in legendo ulli doctori aut scriptori illudant.

Item, interpretentur Aristotelem. T.

3. Item, post lectionem spectet ad ianuam, aut prope, per

---

t opiniones et doctrina eorum quae et qualis esse debeant. *Del. in alt.*

u Manu P. Ledesmae scriptum est «memoria»: antea scriptum erat «memoriter», et sic extat nunc in *Cod. Rom. stud., II.*

v Sic: melius fortasse *praescriptum*.

aliquod tempus, ut [x] quisque petat scholasticorum, uel obiiciat quod uelit, ac ipse respondeat. Quod erit ualde utile scholasticis.

Item, vt externi agnoscantur, et detur occasio cum eis de spiritualibus agendi. Pa., L.

OPINIONES MAGISTRORUM ET DOCTRINA QUAE ET QUALIS ESSE DEBEAT

1. Vnitas sit doctrinae in magistris, quantum fieri potest. L., Acos.

2. Ne magistri nouas opiniones inducant contra communes, inconsulto Superiore, aut etiam pro libitu contra Aristotelem, sine authoritate antiquorum; sed inuentio sit accommodata doctrinae communi. L., T., Achi.

3. Item, semper traddant sententiam communem, cum quaestiones tractant, siue eam sequantur siue non, vt eam scholastici agnoscant. T.

4. Item, ne laudent nimis, imo ne laudent quidem, Auerroin uel alios impios interpretes: sed si qui laudandi sint, potius laudent D. Thomam, Albertum Magnum, vel alios xpianos. et pios. Quod si sit discedendum ab eorum sententia, id modeste faciant. L.

5. Item, ne alienent scholasticos a doctrina D. Thomae aut theologorum, sed potius alliciant. L.

6. Item, non se ostendant [y] esse auerroistas, aut graecorum factionem sectare vel arabum contra latinos aut theologos. L.

7. Imo neque instituant [z] disputationem, sub hoc vniuersali nomine graecorum vel arabum, contra latinos vel theologos, sed propria authorum varie opinantium nomina referant dumtaxat. L.

8. Securiorem et magis approbatam doctrinam, et eos authores, qui eam docent, in quauis facultate sequantur. In Constitutionibus, 4. parte, cap. 5, numero 4.

---

x Quae sequuntur usque ad finem hujus monumenti sunt manu P. Ledesmae exarata.

y factiosi, vt Averroistas. *Del. in alt.*

z in genere. *Del. in alt.*

9. [a] In docenda philosophia duplex abusus uitetur: primus nimiae libertatis, quae quidem nocet fidei, ut experientia ostendit in accademiis Italiae; 2.us esse adstrictos unius tantum aut alterius authoris doctrinae; nam hoc efficit in Italia odiosos [b] et contemptibiles. Achi.

10. Item, sic doceatur philosophia, ut seruiat theologiae; et ideo notentur opiniones non tenendae in his, quae fidem concernunt, ac eae, quae sunt defendendae, vt omnes sic doceant, et totis uiribus defendant, et ad id obligentur expresse, etiam secundum Aristotelem, vt de immortalitate animae etc.; ac per totam Societatem sic seruetur. L., Achi. [c]

11. Item, prohibeatur ne magistri interpretentur digressiones Auerrois uel Simplicii aut alterius; sed simpliciter proponantur opiniones eorum indiferenter. Achi.

12. Item, inter disputandum aut probandum non admittatur eorum impiorum authoritas, sed habeantur ut caeteri interpretes; nec ordinarie sequatur plus vnum quam alium. L., Achi.

13. Item, in reliquis omnibus probabilibus opinionibus, quae ad fidem non attinent, ne obligentur omnes in omnibus materiis eandem prorsus opinionem sequi: nam, vt dictum est, efficit odiosos in Italia, et contemptibilem doctrinam, et impeditur doctrinae perfectio, et etiam vt dubia relinquantur vt dubia, et detur locus ingeniis; et ex eo aedificantur externi, cum id videant in Societate; et est dificile vt omnes captiuent intellectum; et ob alias causas, quas refert Achil. [d]

14. De modo docendi magistri *dialectices: multa Achi. in ejus scripto.* [e]

---

a In altero exemplari habetur num. 7, ideoque perperam sequitur paragraphorum numeratio usque ad finem capitis.

b Monachos. *Del. in alt.*

c 2. It., nullus doceat philosophiae cursum, qui non sit theologus. Achi. *Del. in alt.*

d In altero exempl. additur: «Legenda ibi».

e Quae italicis characteribus sunt notata, sic extant in altero exempl.: «Benedicti. Achi. legenda ibi. De suis discipulis cum praeficiantur cursibus et docendae philosophiae caueatur et inuigiletur. Achi».

15. De modo docendi et opinionibus *magistri tertii anni philosophiae: idem Achi. in suo scripto* [f].

CIRCA THEOLOGIAM

1. Disputationes priuatae .....
2. Disputationes publicae et generales.
3. Actus theologiae.... .....
4. Examen [g] laureandorum .....
5. Docendi modus .....

} Omnia prorsus eadem petuntur ut fiant ab iis aut ab illis magistris, sicut in philosophicis.

6. Item, aliqui particulatim haec propria addiderunt, vt actus theologici fiant singulis mensibus, et omnes doctores intersint: et sit eis liberum replicare scholasticis argumentantibus. T., Pa.

Alii vt sint frequentius quam semel in mense; sed incipiant tempore quadragessimae, vel post Pascha. L.

7. Vt in priuatis disputationibus scholasticorum, scilicet domesticis, diebus festis singulis et dominicis, quae loco repetitionum debent fieri, adsit vnus magister theologus. T.

Vel vicissim ipsi sibi scholastici praesint, vt fit Compluti in collegio Theologorum: ac si uelit interesse magister, erit utile, sed sit liberum ei. L.

9. Item, ne facile fiant doctores theologiae, sed pluribus praecedentibus actibus celebrioribus, et solum qui digni judicarentur: alioqui peribit authoritas collegii et nihili fient. Possent alii mediocriter docti in gradu bacalaureatus theologiae conquiescere. L. [h]

SCHOLASTICI

Relinquantur semper saltem sex scholastici, uel [i] certe aliqui ex iis, qui ingenio maiori et eruditione pollent, qui absoluant

---

f In altero exemplari: «Patris Acosta».

g doctorum et. *Del. in alt.*

h Laus Deo et domino nostro Jesu Xpo. et Virgini Sanctissimae Mariae matri eius. Amen. *Del. in alt.*

i plures. *Del. in alt.*

totum theologiae cursum; et eo absoluto, per duos annos, vt dicunt Constitutiones, actus sustineant, vt Societas possit creare sibi ipsa uiros doctos, et ipsum collegium Romanum se ipsum possit conseruare et promouere, nec semper indigeat externis [j] auxiliis. L.

Item, ii minus occupentur in aliis rebus quam reliqui, toto suo studiorum tempore. L.

Tandem summum et praecipuum est omnium quantum intelligo: alienatio quaedam animorum ipsorum magistrorum inter se, et se inuicem dijudicantium, et de se inuicem, cum quadam amaritudine, non rectam opinionem habentium. Id autem nascitur ex duobus principiis, vt mihi persuadeo. Primum est, quod aliqui magistri in docendo, quaedam agunt et dicunt, quibus captent plausum scholasticorum et eos alliciant ad se, quae tamen non videntur decere religiosos. Alii, quibus haec displicent, nec ea volunt imitari, dolent quod hoc eis succedat, et quod discipuli ob id eos sequantur et applaudant, se relictis; et idem accidit in conuersandi modo cum eisdem discipulis. Alterum principium est, quod quibusdam magistris concedantur aliqua priuilegia prae aliis, et quae aliis displicent, cum mallent omnes seruarent communem vitam, et nihil majoris dignitatis in vno quam in altero appareret: ac nisi huic rei medetur, frustra, vt arbitror, in aliis laboratur.

Item, forte haec aut similia fuerunt causa morbi doctoris Marianae, et [k] forte fuit causa vt sit amissa simplicitas et mutua beneuolentia inter magistros.

Laus Deo et Domino nostro Iesvxpo.
et Virgini sacratissimae, Mariae matri ejus gloriosissimae. Amen. [l]

---

j magistris. *Del. in alt.*

k forte. *Del. in alt.*

l Haec periodus posita fuit in altero exemplari paulo superius, ante titulum SCHOLASTICI.

14

†

Jhs. Maria.

AD FERENDUM JUDITIUM DE SINGULIS CLASSIBUS,

EARUM GRADU, CONSTITUTIONE, ORDINE ET MODO, ETC., HAEC CONSIDERANDA VIDENTUR [1]

Primum, ut ita constituantur omnia classis exercitia, ut, quantum fieri possit, magistri non grauentur, et tamen scholastici maxime et diutius et utiliter occupentur. Item, conandum, quantum fieri possit, sit vna et simplex ratio classis et non multiplex, id est, vt omnia sint omnibus scholasticis communia; et praeterea, ut non magna uarietas rerum et exercitationum, sed simplices et optimae, et factu non ualde dificiles.

Secundum, exercitia, quae classibus distribui possunt, esse haec, plus minus videntur.

1. Mandare memoriae intra uel extra classem.
2. Recitare memoriter, quae memoriae mandarunt.
3. Docere et audire.
4. Dictare et excipere.
5. Repetere lectiones:
   1. interrogante magistro.
   2. bini vel terni distributi.
6. Examinare lectiones.
7. Exercere in praeceptis verbo.
8. Themata.
   1. Dictare.
   2. Componere intra et extra classem.
   3. Corrigere compositiones.
9. In graecis quoque et carmine, exercere et componere.

Transcribere Ciceronis lectiones audiendas et graecas.

Transferre epistolas Ciceronis in linguam uulgarem, vel ex aliis ejus libris.

---

[1] Ex adversariis autographis Patris Ledesmae, in *cod. Rom. stud., I*, ff. 144 et 145r.

10. Concertationes inter discipulos se vicissim interrogantium, et respondentium, et emendantium, seu disputationes, et hae tum priuatae cotidie in classe, tum celebriores singulis mensibus, contendentes tunc de premiis vel de locis.

11. Orationes habere ac recitare diebus festis uel dominicis, vel aliis diebus, carmine aut prosa, vel etiam graece, vel in eadem classe, uel alternis cum altera classe humanitatis.

Item, docere discipulos more praeceptorum, enarrando aliquem authorem, vel ex auditis lectionibus.

12. Declamationes publicae ter saltem in anno.

13. Doctrinae xpiane. recitatio et exhortatio.

Tertium, inferiorum classium alia etiam esse puerilia exercitia, scilicet: [1.] Declinare. 2. Coniugare. 3. Exercitium de octo partibus. 4. In concordantiis. 5. In generibus et praeteritis. 6. In paruula syntaxi exercitatio.

Quartum, in singulis rebus dictis, per singulas classes statuendus modus haec agendi, ex quo vno omnia pendent: ex modo, inquam, recto haec peragendi, praesertim in his, et quidem per singulas classes.

1. Legendi seu docendi praecepta modus: legendi, inquam.....
   1. Praecepta:
      1. de octo partibus.
      2. genera et praeterita.
   2. Syntaxim parvam et a[u]thorem.
   3. Rhetorices praecepta.
   4. Gramaticam graecam.

2. Legendi seu interpretandi authores modus, praesertim haec authorum genera.....
   1. Ciceronis
      - epistolas, vel alios ejus libros:
      - orationes Ciceronis.
   2. Poëtas.
   3. Historicos.
   4. Graecos authores.

Atque hic etiam modus dictandi et dictata excipiendi.

3. Modus recitandi memoriter lectiones.

4. Modus repetendi lectiones, et modus examinandi in lectionibus et praeceptis.

5. Modus exercendi in syntaxi verbo, tam in parua, quam in altiori et pleniori.

6. Modus dandi themata, modus componendi, et modus ea corrigendi.

6. [*sic*] Modus exercendi in rhetoricis praeceptis.

7. Modus in graecis seruandus et eorum exercitatione.

8. Modus concertationum et disputandi.

9. Item pro inferioribus.
   1. Modus declinandi.
   2. Modus coniugandi.
   3. Modus exercendi in concordantiis.

Quintum. Item in singulis dictis exercitiis hae circunstantiae plus minus notandae et explicandae.

1. Quibus classibus conueniant.

2. Quibus diebus hebdomadae, vel mensis, uel anni.

3. Qua hora diei, et quot horis, et quanto tempore debeant durare singula: et totum classis tempus.

4. Quo ordine fient, quid scilicet prius et quid posterius.

His visis omnibus et consideratis, haec et isto ordine essent per singulas classes singillatim praescribenda et scribenda, ut sic ratio certa et ordo studiorum constaret.

1. Quot classes esse conueniat statuendum. Deinde:

2. Quis earum gradus et proportio, hoc est, qui libri authorum et quae praecepta in eis legendi.

3. Qui ad illam classem admittendi.

4. Quandiu manent ibi scholastici, et quo modo, et ad quam aliam classem sint ex illa transmittendi, ut ita scilicet constituantur classes, ut optima ingenia non retardentur, sed optima minori tempore, mediocria mediocri, tarda tardiori, possint ad rhaetoricam peruenire.

5. Quibus libris vtentur magistri ad recte in ea classe docendum, et quibus discipuli: imo etiam quis priuatus vtrorumque discendi modus domi.

Deinde secundo, oporteret in singulis classibus distribuere tempora et exercitationes, quae conuenire judicarentur, id est, quid, quo tempore et quo ordine, hoc modo.

DISTRIBUTIO TEMPORIS ET EXERCITATIONUM

SINGULARUM CLASSIUM

7.ª CLASSIS

1.° Matutino tempore.—1.ª hora, hoc et hoc, etc.—2.ª hora...—3.ª hora...

2.° Vesperi.—1.ª hora...—2.ª hora...—3.ª hora...

3.° Die, quo otiantur semel in hebdomada a prandio.

4.° Diebus sabbathi.

5.° Diebus dominicis, aut etiam festis saltem celebrioribus, ut orationes latinas recitare, vel disputationes, et pro infimis classibus in doctrina xpiana., ut fit, exerceri, vt dictum est.

6.° Semel aut bis in mense, ut certare de locis classis compositione longiori ad aemulationem, vel celebriori disputatione, vel compositio[ne] etiam longior[i], quam domi componant, praeter illam, quam cotidie in classe componunt, etc.

7.° Post medium annum sequentem similiter, quid aget, et post mutationem, praesertim in initio, cum suscipit ex inferioribus classibus rudiores.

8.° Tempore remissionis studiorum, quid, etc.

9.° Semel in anno, uel singulis duobus annis, vt praemia publica solemniora, et in eis seruandus modus: vel dialogus, aut comoedia, vel tragoedia, componenda et exhibenda; vel omnium classium publicae affixae compositiones omnis generis, et aenigmata, et inter se conflictationes, aut unum collegium cum altero, vtpote Seminarium cum collegio Germanico et contra, ut fit Luthetiae, vel quid simile; quae solent non parum promouere studia, et augere nomen vniuersitatis.

Tertio tandem, modum singularum exercitationum (de quibus supra) illi classi aptum perscribere oporteret, et scripto magistris singulis dari.

Quod de vna classe dictum est, de caeteris pari passu eodem modo, quid cuique conueniret, perscribendum.

Ultimo, aliqua in genere omnibus classibus communia constituenda, in quibus conuenirent, tum in litteris, tum etiam in

moribus, vt de audiendo sacro cotidie ante vel post lectiones, confessione singulorum mensium, oratione praemitenda in classe ante lectiones, correctione scholasticorum, et similibus.

Haec si semel recte constituerentur et firma et stabilia, tunc melius multo (ut arbitror) succederent studia, et facilior esset studiorum gubernatio; et vel quiuis mediocriter doctus esse posset praefectus studiorum: quamuis semper expediret esset aliquis in humanioribus optime versatus.

Laus Deo et Domino nostro Iesvxpo.

et Virgini sacratissimae Mariae, eius matri. Amen.

15

†

Ihesvs. Maria.

TRES ORDINES

SEU DISPOSITIONES SEPTEM CLASSIUM

PRIMUS IN MEDIOCRITATE; 2.^us^ OMNES CLASSES ELEUANDO; 3.^us^ OMNES DEPRIMENDO [1].

PRIMUS ORDO SEPTEM CLASSIUM

GRAMMATICAE VIDELICET HUMANIORUM AC RHETORICAE IN QUADAM MEDIOCRITATE CONSTITUTUS

1. Videtur optandum, vt hae classes ita disponantur, vt duobus annis, plus minus, possint peruenire mediocria ingenia, vt in plurimum, ad prima rhetorices rudimenta; nam, ut modo res se habent, multo longiori tempore accedunt.

2. Item, vt sic disponantur et sint attemperatae classes, vt maiora ingenia citius possint ad metam peruenire, et tardiora

[1] Ex adversariis autogr. Patris Ledesmae, in *cod. Rom. stud.*, *I*, ff. 46 et 47. Tres partes, quibus hoc monumentum constat, diversis numeris (15, 16 et 17) distinguimus, quo brevius et facilius citari valeant. In quaternione, quem integre hoc tripartitum scriptum occupat, haec habetur inscriptio: «Ihs. † Maria. | Constitutio seu dispositio et ordo septem classium, grām., humanitatis et rhetoricae collegii Romani. D.»

tardius, ac mediocria mediocri tempore: ne uel hi alios retardent, uel illi hos praecipitent.

3. Item tertio, ita sint constitutae atque iis gradibus, vt in prima classe doceantur, et doceri liceat, grauissima quaeque rhetorices praecepta et grauissimi quique authores; vt, uidelicet, ad summum in eo genere perueniat.

Igitur, quod ego assequi potui, breui attingens capita, perstringam.

7.ª ET INFIMA CLASSIS, DUOBUS DISTINCTA ORDINIBUS.

Quot lectiones: 2 singuli, mane et vesperi [2].

1.ˢ ordo: declinationes et conjugationes discit.

2.ˢ ordo: rudimenta et incipit concordantias.

Doctrina xiana. parua cotidie.

† Forte tertius eos, qui tantum legunt, per aliquot dies, si recipiendi uidentur, et scribunt.

Tempus quo manent ac mutantur. Singulis tribus mensibus mutationes fiant ad 6.ᵃᵐ

6.ª

3 lectiones.—1.ª per tres menses primos, regulae paruae syntaxis, verborum activorum tantum, ac iterum idem singulis tribus mensibus.

2. Epistolae selectae vel Cato.

3. De generibus per tres menses cum paucis declinationum regulis, ac iterum idem singulis tribus mensibus.

Doctrina xiana. parua ter in hebdomada; et qui eam sciunt discunt catechismum Canisii paruum.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, similiter.

Recipit tertio quoque mense, et mittit singulis tribus ad quintam.

[2] Quod reliquum est hujusce scripti sic in tres columnas dispositum est, ut in prima tanquam titulus generalis habeatur: *Quot lectiones;* in tertio vero hic alius: *Tempus quo manent ac mutantur.* Nos illud in simpliciorem formam reduximus, primum titulum initio cujusque classis, alterum autem sub finem illius collocando.

5.ª

3 lectiones.—1. Primo mense de generibus: deinde de praeteritis et supinis vsque ad Pascha.

2. Epistolarum familiarium liber facilior.

3. Regulae paruae syntaxis ab initio, quam absoluit sex mensibus vsque ad Pascha; licet in concordantiis quoque pariter exerceat.

Catechismus Canisii paruus; aut qui nesciunt, parua doctrina xiana. bis in hebdomada.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno eodem modo.

Sexto quoque mense mittit ad quartam; at rara ingenia, scilicet paucos et optimos, ad tertiam.

4.ª

3 lectiones. Primis duobus mensibus.—1. De praeteritis et supinis repetit. 2. [*sic*].

2. Syntaxis paruae posteriorem partem et aliqua dificiliora ac vtiliora.

3. Epistolae familiares.

Reliquo tempore vsque ad Pascha.—1. Epistolae familiares quoque.

2. Ouidius de tristibus vel de Ponto.

3. Syntaxis altior tota, sed simpliciter, docendo quae illic sunt; nihil aliud.

Catechismus Canisii paruus, vel parua doctrina qui nesciunt, bis in hebdomada.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno eodem modo.

Sexto quoque mense mittit ad 3.ªm non solum bonos, sed etiam mediocres ac ineptos; sed rara ingenia, id est, paucos et optimos, ad 2.ªm, praesertim circa medium anni pauciores.

3.ª QUAE PRIMA EST GRAMMATICES

3 lectiones.—1. Ciceronis epistolarum familiarium liber gra-

uior per duos aut tres menses uel quatuor: deinde de avaritia uel de senectute, vsque ad finem anni.

2. Ouidius de tristibus uel de Ponto per duos aut tres menses: deinde eglogae Virgilii, vel Aeneidos facilis liber, usque ad finem anni.

3. Syntaxis altior ab initio, sed exacte.

Catechismus Canisii semel in hebdomada, die sabbathi.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio, eodem modo.—1. Iterum ab initio syntaxis.

2. Prosequitur Ciceronem.

3. Prosequitur poëtam.

Sexto quoque mense mittit ad 2.am ; sed circa medium anni pauciores et doctiores; in initio vero anni plures, etiam mediocres.

2.A HUMANITATIS

3 lectiones praeter graecam. Primo medio anno vsque ad Pascha.—1. Cicero de oficiis, uel de amicitia vel senectute, vel Tusculanae, vel de finibus, vel paradoxa.

2. Historicus aliquis, vt Caesar, vel Suetonius, vel Liuius, uel Salustius.

3. De vtraque copia Frusii.

Catechismus Canisii, forte semel, die sabbathi.

Sequenti medio anno post Pascha.—1. In lectione Ciceronis progreditur; sed duobus aut tribus mensibus postremis oratiuncula aliqua facilior Ciceronis.

2. Poëta loco historici, ut Virgilii Aeneid., uel Horatius, uel Martialis correctus.

3. Ars metrica, loco copiae, per duos menses: deinde rethorica ad Herennium, 1.us, 2.us et 4.us liber, uel de inventione, vel Cypriani rhetorica.

Constituit hoc medio anno duos ordines: eos qui tunc de nouo accedunt, et eos qui habebat; et se parum dimittit in initio propter hos.

Discunt memoriter Ciceronis lectionem, poëtam, grecam grammaticam, de arte metrica cum leguntur: alia non ita, nisi

ex utraque copia; et ex rhetoricis praeceptis, definitiones tantum et diuisiones.

Recipit sexto quoque mense. Singulis annis tantum mittit vel ad rhetoricam ved ad alias facultates.

1.ª RHAETORICES.

3 lectiones praeter graecam.—1. Partitiones Ciceronis vno anno; altero, de oratore 2.us et tertius liber, vel topica Ciceronis. Licebit aliquando ex Quintiliano interponere aliquas lectiones ex 3.° vel 4.° vel 8.° vel 9.°

2. Oratio Ciceronis.

3. Poëta et historicus, alternis; vel modo hunc, modo alterum, diversis temporibus. Ex poëtis, Virgilii Aeneidos gravior liber vel georgica, vel Horatius, vel post medium annum tragoediae Senecae, Lucanus. Ex historicis Liuius, vel liber aliquis philosophicus Ciceronis, praesertim de fato et academia.

Discunt memoriter solum poëtam et primam orationem Ciceronis, quam audiunt: non alia, nisi ex rhetoricis praeceptis definitiones et diuisiones solum.

Singulis tantum annis recipit et mittit.

IN GRAECIS.

In 2.ª, grammatica Clenardi, et author facilior postea, vt Isocrates, vel Aesopi fabulae etc.; atque hoc uel ab initio anni, vel forte post Pascha; aut iterum post Pascha docet eamdem grammaticam pro iis qui accedunt.

In 1.ª, Demosthenes vel Homerus, vel postea epigrammata graeca, aut Hesiodus, Pindarus etc.

Laus Deo.

IDEM ORDO AC DISPOSITIO CLASSIUM

ELEUANDO DUMTAXAT 3.AM ET 2.AM CLASSEM

7.ª vt supra.—6.ª vt supra.

5.ª vt supra.

Tamen sexto quoque mense mittit ad 4.am etiam mediocres.

Sed in initio anni optimos et bonos ad 3.am; mediocres ad 4.am

4.a vt supra.

Tamen in initio anni mittit optimos et bonos ad 2.am; reliquos, tam mediocres quam ineptos, ad 3.am Circa medium annum vero, bonos et optimos ad 3.am; reliquos retinet.

3.a

3 lectiones. Primo medio anno usque ad Pascha, vt supra.

Sequenti medio anno.—1. Ars metrica per duos menses; deinde poëta grauior, vt Virgilii Aeneidos, vel etiam eglogae.

2. Historicus, ut Salustius uel Caesar.

3. Cicero de amicitia uel senectute.

Componunt carmine et prosa scholastici alternis vltimis quatuor mensibus: vltimo mense forte rudimenta graeca.

Recipit sexto quoque mense vel ex 5.a vel ex 4.a Sed singulis tantum annis mittit optimos et bonos ad 1.am, reliquos, tam mediocres quam ineptos, ad 2.am

2.a

3 lectiones. Primo medio anno.—1. Cicero de oficiis uel de amicitia, senectute, uel Tusculanae, vel de finibus.

2. Historicus et poëta alternis, uel certis temporibus per uices, vt Virgilii Aeneidos liber grauior, vel Horatius, vel Martialis, vel georgica: et ex historicis Caesar, Livius, vel Salustius, vel Suetonius etc.

3. Ars metrica per duos menses: deinde de utraque copia usque ad Pascha.

Sequenti medio anno.—1. Orationes Ciceronis faciliores.

2. Rhetorica ad Herennium, 1.us 2.us et 4.us liber, vel de inuentione, vel Cypriani rhetorica.

3. Historicus et poëta, vt primo medio anno, vel alternis vel per uices.

Discunt memoriter Ciceronis lectionem, poëtam, grammati-

cam graecam; non alia, nisi ex rhetoricis praeceptis solas definitiones et diuisiones.

Singulis annis mittit ad 1.am vel ad alias facultates. Recipit forte sexto quoque mense vel ex 3.a vel ex 4.a

1.a classis, vt supra.

In graecis, vt supra.

Laus Deo et Domino nostro IESVXPO.

et Virgini sacratissimae MARIAE matri ejus. Amen.

16

†

Jesvs. Maria.

SECUNDUS ORDO SEPTEM CLASSIUM

HUMANIORUM, GRAMMATICAE AC RHAETORICAE, OMNES ELEUANDO [1].

7.A ET INFIMA HABET TRES ORDINES

1.us Declinationes nominum et conjugationes discit memoriter.

2.us Rudimenta.

3.us Concordantias, quibus etiam Cato vel epistolae selectae.

Doctrina xpiana. parua, cotidie semel.

Discunt memoriter duas lectiones singuli, mane et vesperi: aut binas mane, et vesperi totidem.

Singulis tribus [2] mensibus mittit bonos ad 5.am, reliquos mediocres ad 6.am

6.a

Tres lectiones.—1. De generibus, praeteritis et supinis Dispauterii.

[1] Ex adversariis autographis P. Ledesmae, in *cod. Rom. stud.*, *I*, fol. 48.

[2] Superscriptum est *sex*, non deleto verbo *tribus*.

2. Epistolae selectae, uel Cato; deinde familiarium liber facilior.

3. Syntaxis parua tota.

Doctrina xpiana. parua bis aut ter in hebdomada; cum uero sciunt, catechismus Canisii paruus.

Discunt omnia memoriter.

At initio anni per mensem repetit concordantias solum et in eis exercet: deinde auspicatur syntaxim paruam; sed partim etiam semper exercet in concordantiis, et etiam declinando et conjugando.

Sequenti medio anno, post Pascha, eodem prorsus modo.

Sexto quoque mense mittit optimos et bonos ad 4.am: reliquos, tam mediocres quam ineptos, ad 5.am Rara uero ingenia aliquando mitti etiam possent ad 3.am, praesertim innitio anni.

5.a

3 lectiones.—1. De generibus, praeteritis et supinis Dispauterii.

2. Epistolarum familiarium faciliores libri.

3. Syntaxis parua tota, et statim ab initio anni: exercet tamen eos partim et mixte in concordantiis, et declinando et conjugando.

Doctrina xpiana. parua bis aut ter in hebdomada: cum uero sciunt, catechismus Canisii paruus.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, eodem modo prorsus.

Sexto quoque mense mittit optimos et bonos ad 3.am, mediocres ad 4.am, ineptos retinet forte.

4.a

3 lectiones.—1. Epistolae familiares.

2. Ouidius de tristibus uel de Ponto; sed in initio per duos menses repetit de praeteritis, dein de poëta.

3. Syntaxis altior simplici explicatione; sed in initio, per mensem paulo plus, repetit aliqua dificiliora et vtiliora syntaxis paruae, et exercet per omnes ejus regulas.

Catechismus Canisii semel in hebdomada, die sabbathi, aut bis; qui nesciunt, parua doctrina xpiana.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno.—1. Progreditur in epistolis familiaribus.

2. Ars metrica per duos menses: deinde progreditur in poëta, vel alternis cum poëta quousque absoluat artem metricam.

3. Syntaxis altior iterum ab initio; exactius item, post artem metricam, componunt carmine et prosa alternis post duos menses plus minus.

Discunt omnia memoriter.

Sexto quoque mense recipit. Sed singulis annis mittit, optimos et rara ingenia ad 1.am, bonos ac mediocres ad 2.am, reliquos ineptos ad 3.am

At circa medium anni posset optimos ad 3.am quoque mittere.

3.ª

3 lectiones. Primo medio anno.—1. Epistolae ad Quintum fratrem, ad Atticum, ad Brutum.

2. Ouidius de tristibus uel de Ponto; aut aeglogae Virgilii, aut liber Aeneidos facilior.

3. Syntaxis altior exacte.

Catechismus Canisii.

Sequenti medio anno.—1. Lectio Ciceronis. Forte postea oratiuncula Ciceronis: Cicero de senectute, vel de amicitia et de officiis etiam postea.

2. Ars metrica per duos menses; deinde Vergilii Aeneidos.

Rhetorica ad Haerenium, 4.us liber: in fine, ultimo mense, forte rudimenta graeca.

Discunt omnia memoriter.

Recipit sexto quoque mense; sed singulis tantum annis mittit optimos et bonos ad 1.am, reliquos omnes ad 2.am

2.ª QUAE ET HUMANITATIS SEU RHETORICA INFERIOR

3 lectiones praeter graecam.—1. Cicero de officiis initio anni,

uel paradoxa post tres menses, uel statim ab initio oratio aliqua facilior Ciceronis. Deinde aliae atque aliae; vel in fine anni de officiis, etc.

2. Virgilii Aeneidos dificiliores libri, vel Horatius; deinde vel Lucanus uel Martialis.

Historicus, vel alternis cum poëta, uel vicissim certis temporibus, ut Caesar, Salustius.

3. Ars metrica: deinde rhetorica Cypriani; uel ad Haerenium 1.us, 2.us et 4.us; vel de inuentione, et 4.us ad Haerenium deinde.

4. Grammatica graeca, et facilis deinde aliquis author, ut Isocrates, Aesopi fabulae, etc.

Sequenti medio anno progreditur in eisdem.

1.ª Rhaetorica altior, vt supra.

Singulis annis mittit vel ad 1.am vel ad alias facultates.

Laus Deo et Domino nostro Jesuxpo.
et Virgini sacratissimae ejus matri Mariae. Amen.

17

TERTIUS ORDO SEPTEM CLASSIUM,

GRAMMATICAE ET RHAETORICAE, OMNES DEPRIMENDO [1]

7.ª DUOS HABET ORDINES

1.us Declinationes et conjugationes.

2. Rudimenta, et incipiunt concordantias.

Mittit singulis tribus mensibus ad 6.am, sed rara ingenia et optimos etiam ad 5.am initio semestris, at rarissime ad 4.am

6.ª

3 lectiones.—1. Concordantiae.

2. Epistolae selectae et Cato.

3. Syntaxis paruae aliquot species actiuorum, uel omnes.

[1] Ex adversariis autographis P. Ledesmae, in *cod. Rom. stud.*, *I*, fol. 49 r.

Sequenti medio anno, eodem modo.

Singulis tribus mensibus mittit ad 5.am; sed rara ingenia initio semestris ad 4.am possent mitti.

5.a

3 lectiones.—1. De generibus, singulis tribus mensibus.

2. Epistolae familiares.

3. Syntaxis parua tota ab initio. Sed post tres menses repetit ab eo loco, vnde alter finiuit praecedens.

Sequenti medio anno, eodem prorsus modo.

Recipit singulis tribus mensibus; sed sexto quoque mense mittit ad 4.am

4.a

3 lectiones.—1. De generibus, praeteritis et supinis.

2. Epistolae familiares.

3. Syntaxis parua tota, et incipit altiorem forte.

Sequenti medio anno, eodem modo.

Sexto quoque mense mittit ad 3.am

3.a

1. Epistolae familiares.

2. Ouidius, de tristibus vel de Ponto. Forte tribus primis mensibus aut duobus repetit de praeteritis, et tunc posset recipere rara ingenia ex 5.a

3. Syntaxis altior.

Sequenti medio anno, eodem modo.

Sexto quoque mense mittit ad 2.am

2.a HUMANITATIS

3 lectiones praeter graecam. Primo medio anno.—1. [De] officiis Cicero, vel de senectute, amicitia.

2. De vtraque copia.

3. Historicus, vt Caesar vel Salustius.

Sequenti medio anno.—1. Tusculanae [quaestiones] Ciceronis, vel de finibus, vel paradoxae.

2. Poëta, vt Virgilius, uel Horatius, vel Martialis.

3. Ars metrica per duos primos menses, et deinde componunt carmine et prosa.

4. Graeca grammatica Clenardi, cum aliquo authore facili.

Recipit sexto quoque mense; sed mittit tantum singulis annis ad 1.am vel ad alias facultates.

1.ª RHETORICAE

3 lectiones praeter graecam. Vt supra, praeterquam quod initio docebit compendium aliquod rhetoricae et artem metricam forte per duos primos menses, et tunc posset recipere rara ingenia ex 3.ª initio anni.

Laus Deo.

18

ORDO SEPTEM CLASSIUM [1].

Jhesus. Maria.

7.ª CLASSIS

1. Solum declinationes nominum et coniugationes. Doctrina xiana.

Muttatio. Emittit singulis tribus mensibus [a].

6.ª CLASSIS

Lectiones. Rudimenta accidentium de octo partibus, simul cum concordantiis etc., usque ad passiua vel neutra [b].

---

[1] Ex adversariis autographis P. Ledesmae, in *cod. Rom. stud.*, *II*, fol. 223. In altera hujus folii pagina, haec manu P. Brunelli leguntur: «†Imperfecta et rudia, et nihil ad quorsum haec noua asseruentur! nisi forte ob authoritatem tantorum uirorum». Quae quidem ad superiora a fol. 211 referuntur, quorum hoc est ultimum folium. Inscriptio seu titulus desideratur in *ms*.

[a] *In margine:* Placet pro modo. Si quis esset prouectior, ante muttationem potest incipere mandare memoriae rudimenta de octo partibus.

[b] *In margine:* Experientia ostendet num hoc melius foret, rudimenta et concordantiae doceantur in 7.ª

2. De generibus nominum.

3. Epistolae Ciceronis selectae, vel epistolarum familiarium liber facilior.

Doctrina xiana.

Muttatio. Recipit et emittit singulis tribus mensibus, sed initio semestris tantum.

5.ª

Vt est scripta; sed debet absoluere syntaxim parvam singulis tribus mensibus.

Recipit tertio quoque mense, et emittit sexto, qui mittendi erunt ex juditio praefecti.

4.ª

Vt est, praeterquam quod P. Fuluius et P. Mapheus nollent ibi legi poëtam; mihi videretur et P. Cypriano ut doceretur.

Recipit et emittit sexto quoque mense.

3.ª

P. Fuluius. Primo medio anno.—1.ª Epistol[a]e ad Atticum etc. (ut in ordine), ac idem per totum.

2.ª Syntaxis exacte.

3.ª Dictaret aliquid ex Laurentio Valla, vel Adriano, vel de ratione componendarum epistolarum.

Sequenti medio anno.—1. Epistola[e] ut supra.

2. Virgilius aut Horatius.

3. Ars metrica, qua finita, succedet statim grammatica graeca.

Recipit sexto quoque mense et emittit singulis annis.

P. Mapheus, ut P. Fuluius.

P. Ledesma, vt est in ordine, et videtur conuenire etiam Cyprianus.

2.ª

P. Fuluius.—1. Ciceronis aliquid ex philosophicis.

2. Poëta, vt in altera.

3. Ars [c] metrica; ea finita, historicus.

4. Grammatica graeca, cum aliquo authore facili.

Sequenti medio anno.—1. Rhaetorica Cypriani, vel ad Haerennium.

2. Oratio aliqua facilis Ciceronis, ut pro Marco Marcello, pro Archia poëta, post reditum, pro lege Manilia, Catilinariae.

3. Poëta vel historicus, vel vterque alternis.

4. Progreditur in graecis.

Discunt memoriter, vt supra, praeter catechismum Canisii.

P. Pietro Maphei, idem quod P. Fuluius.

Muttatio. Singulis annis, vt in antiquo.

2ª

Ledesma, ut antea erat, et concordat Cyprianus.

1.ª

1. Rhetorica, ut in altera antiqua, vel etiam rhetorica Aristotelis.

2. Oratio aliqua grauis.

3. Lectio graeca, vt in altera antiqua, cum poëtica Aristotelis.

Quatuor mensibus postremis anni, loco artis rhetorices jam absolutae, aliquis poëta eorum, qui in antiquo ordine, praeter Senecam et Lucanum.

---

[c] Arte, *ms*.

19

CONSTITUTIO SEU ORDO SEPTEM CLASSIUM

†

Jhs. Maria.

CONSTITUTIO SEU ORDO SEPTEM CLASSIUM EX CONSENSU COMMUNI P. PERPIGNIANI, P. FULUII, P. RECTORIS, P. LEDESMAE [1].

7.ª ET INFIMA HABET TRES ORDINES

3 ordines.—1.us Declinationes nominum et coniugationes.

2.us Rudimenta octo partium.

Jhesus. Maria.

CIRCA SINGULAS CLASSES, DEINDE IN GENERE QUAEDAM ERUNT OMNIBUS COMMUNIA PRAESCRIBENDA [2]

Primo particulatim, particulatim vero tria: primo gradus seu constitutio ipsarum classium definiendus, tanquam primum omnium fundamentum, ex quo caetera pendent. 2.° Exercitationum genera et distributio temporis. 3.° Modus in singulis exercitationum generibus.

CONSTITUTIO SEU ORDO 7 CLASSIUM

7.ª

1. Declinationes nominum et coniugationes, ut scilicet optime hic discant declinare et coniugare omnia genera verbo-

---

[1] Ex *cod. Rom. stud.*, *II*, ff. 221 et 222, adversaria autogr. P. Ledesmae, ab ipso multis lituris emendata. In eodem codice, ff. 354 et 355 extat exemplum nitide exaratum, ex praecedenti, ut videtur, transcriptum, cum quo in omnibus fere concordat. Quoniam duo sunt autographa exemplaria de eadem re et ab iisdem Patribus elaborata, quae tamen inter se non parum discrepant, licet in multis etiam conveniant, ea duplici columna edere visum est, ut facilius inter se comparari possint.

[2] Ex *cod. Rom. stud.*, *II*, ff. 211 et 212, adversaria autogr. P. Ledesmae.

3.us Concordantiae. Quibus etiam epistolae selectae uel Cato.

Doctrina xiana. parua cotidie semel.

Discunt ac reddunt duas lectiones singuli memoriter mane et vespere, praeter doctrinam xianam.

Mutatio. Singulis tribus mensibus mittit ad altiorem classem qui apti judicantur, praeuio examine. Sed initio cujusque semestris, bonos ad 5.am, reliquos mediocres ad 6.am; post tres uero menses tantum ad 6.am vtrosque.

rum, etiam difficiliorum, et nihil aliud.

Doctrina xíana. cotidie semel memoriter.

Muttatio. Recipit quouis anni tempore, sed emittit tantum singulis tribus mensibus. Ante muttationem, si quis esse uideretur prouectior, posset incipere discere memoriter rudimenta de octo partibus.

6.a

3. lectiones.—1. De generibus, singulis tribus mensibus, cum pauculis quibusdam regulis declinationum, quae conscribentur.

2. Syntaxis paruae regulae actiuorum singulis tribus mensibus, exercendo pariter in concordantiis, et declinando et conjugando.

3. Epistolarum familiarium facilior aliquis liber.

Doctrina xiana. parua ter in hebdomada; et qui eam sciunt,

6.a

Lectiones tres.—1. Rudimenta accidentium de octo partibus cum concordantiis et prima specie uel speciebus actiuorum, vt, elapso mense post initium, incipiant componere.

2. De generibus, paulo post initium.

3. Epistolae Ciceronis selectae, uel Cato aliquando [5].

Discunt omnia memoriter.

Singulis tribus mensibus ea-

[5] Praecedentia tria verba lineam circum ductam habent, forte ad indicandum ea delenda fore.

discunt catechismum Canisii paruum.

Discunt omnia memoriter.

Singulis tribus mensibus eodem modo se gerit.

Mutatio. Recipit quoque ac emittit tertio quoque mense; sed initio semestris tam bonos quam mediocres ad 5.am; elapsis autem tribus mensibus cuiusque semestris, solum bonos ad eandem quintam.

dem omnino repetit ab initio.

Doctrina xiana. memoriter ter in hebdomada.

Muttatio. Singulis tribus mensibus et recipit et emittit, sed circa medium semestris paucos et prouectiores.

5.ª

3. lectiones.—1. De generibus, cum praedictis regulis declinationum, praeteritis et supinis.

2. Syntaxis tota parua, eam incipiens ab initio; exercet tamen eos partim et mixte in concordantiis, et declinando et conjugando.

3. Epistolarum familiarium faciliores libri.

Doctrina xiana. parua bis aut ter in hebdomada; cum uero eam sciunt, catechismus Canisii.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, eodem prorsus modo.

Mutatio. Singulis tribus mendem omnino repetit ab initio.

Doctrina xiana. memoriter ter in hebdomada.

Muttatio. Singulis tribus mensibus et recipit et emittit, sed circa medium semestris paucos et prouectiores.

5.ª

Lectiones tres.—1. De generibus cum quibusdam regulis declinationum, et deinde de praeteritis.

2. Syntaxis tota parua.

3. Epistolarum familiarium faciliores libri.

Doctrina xiana. bis in hebdomada; et cum eam sciunt, paruus Canisii catechismus.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, eodem prorsus modo.

Muttatio. Singulis tribus [4]

[4] Hoc verbum lineam habet subductam, et in margine scriptum est: «sex potius fiat».

sibus recipit, ac se demittit pro captu eorum quos recipit, praesertim elapsis primis tribus mensibus cuiusque semestris.

Mutatio. Sexto quoque mense emittit ad classem altiorem; sed initio anni bonos ad 3.am, mediocres ad 4.am: circa medium anni vtrosque ad 4.am tantum.

mensibus recipit; emittit uero singulis sex mensibus.

4.a

3 lectiones.—1. Syntaxis altior simplici explicatione; sed in initio per mensem cum dimidio plus minus repetit aliqua difficiliora et vtiliora syntaxis paruae, aut uero posteriorem eius partem, et exercet per omnes eius regulas.

2. Ouidius de tristibus uel de Ponto, aut eclogae Virgilii; sed in initio per mensem cum dimidio plus minus repetit de praeteritis; deinde poëta.

3. Epistolae familiares.

Catechismus Canisii paruus bis, aut semel in hebdomada,

4.a

Lectiones tres.—1. Syntaxis *altior* [5] simplici explicatione; sed initio repetit aliqua difficiliora et discipulis vtiliora syntaxis paruae, aut uero posteriorem eius partem.

2. Epistolae familiares Ciceronis.

3. *Ouidius de tristibus uel de Ponto, aut eglogae Virgilii; sed in initio per mensem fere repetit de praeteritis, deinde poëta* [6].

Catechismus Canisii bis in hebdomada.

[5] Etiam verbum *altior* lineam habet subductam, et in margine legitur: *plenior*.

[6] Quae praecedunt italicis characteribus, in *ms*. lineam habent subductam.

die sabbathi; at qui nesciunt, doctrina xiana. paruula.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, prorsus eodem modo, praeterquam quod si scholastici capaces uiderentur, judicio praefecti, posset duobus vltimis mensibus auspicari artem metricam, et inciperent carmina componere.

Mutatio. Sexto quoque mense recipit, et sexto quoquo mense mittit. Sed initio anni rara quaedam ingenia ad 1.am rhetorices, bonos ad 2.am, mediocres et ineptos ad 3.am. Circa medium anni bonos ad 3.am tantum.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno prorsus eodem modo, *praeterquam quod si scholastici capaces uideantur juditio praefecti, posset duobus ultimis anni mensibus auspicari artem metricam, et inciperent carmina componere.* [7]

Muttatio. Sexto quoque mense recipit et sexto quoque mense mittit.

Hactenus conuenimus in omnibus, praeterquam in hac 4.ª de poëta ibi legendo et de arte metrica circa finem anni; nam Pater Fuluius et Petrus Maphei nollent ibi legi duobus tantum, aliis relictis vatibus. Ledesma vero, et Cyprianus in suo ordine, et Perpignianus in ordine quodam facto ante eius discessum, uellent legi.

In sequentibus hoc est discrimen.

P. Fuluius et Petrus Maphei.

3.ª

3. lectiones.—1. Syntaxis altior exacte.

2. Epistolarum Ciceronis familiarium liber grauior, vel

3.ª

Lectiones tres.—1. Syntaxis altior exacte.

2. Epistolarum Ciceronis familiarium liber grauior, uel

[7] Idem intellige ac in praecedenti annotatione, et in margine dicitur: «Non placet hoc».

ad Quintum fratrem, uel ad Atticum, uel ad Brutum.

3. Ouidius de tristibus uel de Ponto, uel eglogae Virgilii, aut liber aliquis Aeneidos facilior.

Catechismus Canisii semel in hebdomada, die sabbathi.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno.— 1. Ars metrica Dispauterii duobus mensibus cum dimidio, plus minus, ac deinde 4.us liber ad Haerennium.

2. Ciceronis de amicitia, uel senectute, vel de officiis; et postea circa finem anni, vltimo mense, oratio aliqua Ciceronis facilior, scilicet, vel pro Q. Ligario, pro M. Marcello, pro Archia poëta, uel post redditum.

3. Virgilii Aeneidos.

Sed in initio anni per mensem vnum aut alterum repetit difficiliora syntaxis altioris vel posteriorem aliquam ejus partem magis vtilem et necessariam, pro iis praesertim, quos recipit circa medium annum; deinde poëta.

Catechismus Canisii, et discunt omnia memoriter vt precedenti medio anno.

Mutatio. Sexto quoque mense recipit; sed singulis tantum annis mittit, bonos ad rhetori-

ad Quintum fratrem, uel ad Atticum, uel ad Brutum.

3. Dictaret aliquid ex Laurentio Valla uel Adriano, uel de ratione componendarum epistolarum.

Catechismus Canisii semel in hebdomada.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno.— 1. Epistolarum Ciceronis, ut supra.

2. Poëta, vt Virgilius aut Horatius.

3. Ars metrica, qua finita succedet grammatica graeca.

Muttatio. Recipit sexto quoque mense et emittit singulis annis.

cam, mediocres ad 2.am, scilicet, humanitatem.

2.ª QUAE ET HUMANITATIS, SEU RHETORICA INFERIOR	2.ª, QUAE ET HUMANITATIS
3 lectiones praeter graecam. —1. Ars metrica Dispauterii per menses duos plus minus; deinde rhetorica Cypriani, vel ad Herenium 1.us et 2.us ac 3.us liber.	*Lectiones tres praeter graecam.*—1. Ciceronis aliquid ex philosophicis, ut officia, de senectute, de amicitia, Tusculanae, vel de finibus etc.
2. Virgilii Aeneidos grauiores libri.	2. Poëta, vt Virgilii Aeneidos grauiores libri, vel Horatius, vel Martialis correctus aliquando.
3. Initio officia Ciceronis, vel de amicitia, vel senectute; et post tres menses, uel statim et ab initio, orationes Ciceronis faciliores, quas diximus, vt pro Q. Ligario, pro M. Marcello, pro Archia poëta, post reditum etc.; deinde alias grauiores.	3. Ars metrica et, ea finita, historicus.
Per tres quartas docet Ciceronem et repetitur praesens lectio.

Per tres quartas repetit et docet poëtam.

Per mediam bini et terni vtrasque lectiones vicissim repetunt, et deinde concertant quod superest temporis.

Vesperi per mediam horam recitant syntaxim, et corrigit unum uel duo themata publice.

Per mediam horam repetunt syntaxim, et in ea exercet per uarias phrases ad elegantiam.

Per tres quartas [t] horae docet syntaxim et repetitur praesens lectio; alia vltima quarta horae dictat thema componendum.

Per horam integram componunt, et priuatim corriguntur themata [u].

Die sabbathi.....
Diebus festis..... } ut in praecedente classe.
Semel in mense, etc.....

Sequenti medio anno. Per mediam horam recitant Ciceronem de officiis, et artem metricam; atque, ea finita, quartum ad Haerennium.

Per mediam repetunt Ciceronem.

Per tres quartas [v] docet Ciceronem, et repetitur praesens lectio semel aut bis.

Per tres quartas [x] repetitur ars metrica, et deinde docet; atque, ea finita, quartum ad Haerennium.

Per mediam repetunt bini aut terni vtrasque lectiones, et concertant.

Vesperi. «Per mediam horam recitatur poëta et corrigitur vnum uel duo themata publice. Per mediam repetitur. Per mediam docet poëtam. Per mediam repetunt praesentem poëtae lectionem et dictat componendum thema.» [y] Per horam integram componunt, et quidem, finita arte metrica, alternis carmine et prosa.

---

t *In margine:* per mediam.

u *In margine:* Per horam prius dictant, deinde per tres sequentes quartas componunt etc.

v *In margine:* per mediam horam.

x *In margine:* per mediam.

y *In margine:* «Per tres quartas repetit et docet poëtam; alia ultima

Die sabbathi, matutino tempore, *per duas horas* [z] recitant et repetunt matutinas lectiones. *Tertia hora* [a] docet, et dictat aliquid de copia uerborum, non rerum. Vesperi recitant et repetunt vespertinas *per duas horas*. [b] Vltima hora disputant uel componunt.

Inittio 2.i semestris, per mensem primum plus minus, poterit repetere aliqua ex syntaxi altiori, quae magis vtilia iudicauerit.

21

ORDO SEPTEM CLASSIUM [1].

7.a

Audiunt prius sacrum.

Per mediam horam recitant memoriter lectionem per decuriones, prius doctrinam christianam, et deinde suarum declinationum uel coniugationum.

[a] Per vnam horam declinant tum nominatiuorum formas, tum maxime nomina, allata a praeceptore ex Cicerone, per hanc vel illam formam etc. [b]; et mane quidem per vnam declinationem, vesperi per alteram, et sequenti die per reliquas. Similiter per omnes nominatiuorum formas; et aliquando mane substantiua tantum, vesperi adiectiua tantum, praesertim tertiae; et aliquando etiam substantiuum cum adiectiuo simul; quod erit valde vtile ad futuram compositionem et concordantias. Item, simplicia nomina et composita; etiam aliquando et nomina tertiae declinationis, quae habent accusatiuum *in* et ablatiuum *i*.

---

quarta dictat componendum thema». *Adverte ea, quae in textuinter virgulas sunt clausa, in ms. lineam habere subductam.*

z *In margine:* per horam cum dimidia.

a *In margine:* vltima media.

b *In margine:* per horam cum dimidia.

a Modus. *Sic in marg.*

b substantiuum cum adiectiuo. *Del.—In margine haec adduntur:* modum, per decuriones quo pacto fiat, satis novit P. Mironus.

[1] Ex adversariis autographis P. Ledesmae in *cod. Rom. stud., II*, ff. 217-220. Titulus desideratur.

Per unam horam coniugant allata similiter verba ciceroniana a praeceptore; idque singulis diebus per singulas coniugationes, vnum verbum per actiuam totam et passiuam et vna frasi in fine, vna die hebdomadae per nomina heteroclita et per verba tantum anomala, *fero, volo*.

Per mediam horam concertationes.

Modus in quibus interrogant se vicissim, caeteris omnibus audientibus, haec tempora verborum ex verbis scriptis, vel latine ut reddant italice, vel italice ut reddant latine, quod est valde vtile, vel vt coniugent tempus aliquod vel modum, vel ut declinent nomen ex datis aliquando a magistro. Forte terni repetunt declinando eademmet nomina vicissim, et tertius notat errata; quae, si ad certum perveniant punctum, puniuntur etc.

Dictat praeceptor, et scribunt in classe illa eadem nomina et verba, quae declinarunt et coniugarunt, uel sequenti die declinanda et coniuganda potius, in albeolo cum significatione vulgari dictata a praeceptore.

Scribant domi aliquid ex epistolis selectis, et exigatur ratio a magistro num scripserint bene et correcte, etiam quoad orthographiam, et distincto charactere.

Vesperi. Eodem modo, praeter recitationem doctrinae, quae solum fit mane. Et ita per totum annum.

6.ª

P. FULUIUS: P. PETRUS [2].

Per mediam horam recitant memoriter Ciceronem per decuriones, vt supra, et doctrinam quoque xianam. alternis.

Modus discendi memoriter. Absolutis nominatiuis vel bona eorum parte, iterum ab initio maioribus lectionibus reddunt iterum. Absoluta prima coniugatione, iterum eadem ab initio; et finita secunda, similiter; et finitis omnibus, similiter [ab] initio omnes magnis lectionibus.

Per mediam repetitur et examinatur lectio Ciceronis, praesertim tunc recitata, petendo, etc.

---

[2] Fulvius Cardulus et Petrus Maffeus.

Per mediam horam legit duas vel tres lineas epistolarum selectarum.

Per mediam repetit praesentem.

Quod reliquum est tribuatur scriptis recognoscendis, videlicet, scriptis domi; scilicet, ex Ciceronis epistolis selectis, et concertatione [*sic*].

Vesperi. Per mediam recitant rudimenta.

Per mediam doceat rudimenta.

Per mediam repetunt lectionem auditam.

Per mediam exercentur in concordantiis, et deinde in prima actiuorum, etc.

Per mediam declinant et coniugant.

Per mediam concertant.

Absolutis rudimentis, succedit de generibus.

6.ª

Per mediam horam recitant memoriter lectionem Ciceronis, ut supra, per decuriones, et doctrinam christianam alternis.

Per mediam horam repetitur et examinatur lectio Ciceronis recitata, petendo et ostendendo in singulis verbis, quae partes orationis, quo casu, quo tempore etc., ut ea cognoscant in Cicerone, et declinando et partim coniugando [c].

Modus repetitionis. Ter vel quater, ut minus, repetitur lectio, ordinant litteras, dicant phrases dictas a praeceptore, et vocabulorum differentias vel significationes etc.

Per mediam horam docet Ciceronis, uel Catonis, propter frequentem morum institutionem putarem vtile et ad vitandum taedium magistri, duas aut tres lineas [d].

Modus. Simpliciter ordinabit litteram eodemmet ordine ut succedunt verba: discipuli excipient synonima vulgaria inter lineas libri vel albeoli, in quo ferunt ex domo scriptam lectionem; 2.um similiter dictabit unam, vel vt summum duas phrases, magister ex ipso lecto Cicerone, et vnam aut alteram significationem vel differentiam vocabuli tantum, quae ipsi excipient in al-

c *Sequentem periodum ad marginem adjecit ipse Ledesma.*

d *Sequens paragraphus ad oram chartae reperitur.*

beolo ad latus lectionis scriptae; postea iterum ordinabit litteram et jubebit repetere.

Per mediam horam repetat lectionem auditam, bis et ter, et dicant dictata ex scripto, et deinde in ea examinat, praesertim declinando nomina.

Per mediam horam verbum vnum Ciceronis coniugant per actiuam et passiuam, et aliquando vacabit scriptis recognoscendis, quae domi scripserunt ex epistolis selectis et quae in classe, vt videat an omnes scribant, et an bene et correcte; quod posset fieri prima media hora, postquam recitarunt memoriter, vel vltima post aliquam partem concertationum.

Per mediam concertationes, petendo vicissim quae in superiore classe; et ex lectionibus auditis, phrases vel vocabula, etc.

Vesperi. Per mediam horam recitant memoriter rudimenta de octo partibus et, iis finitis, de generibus.

Per mediam horam docet rudimenta de octo partibus, et repetitur lectio bis aut ter a duobus [e].

Docendi rudimenta modus. Docet simpliciter, explicando italice cum exemplis, et nihil aliud; et solum conatur ut ipsi intelligant italice, quod ibi dicitur latine.

Per mediam exercet in concordantiis et de octo partibus, et deinde in prima specie actiuorum etc. [f].

Modus. Cum primum didicere nominis accidentia in concordantia substantiui et adjectiui, et tunc maxime exercet declinando snbstantiuum et adjectiuum simul: cum didicit pronominis et verbi, tunc concordantia nominatiui cum verbo, et tunc maxime exerceat; coniugant cum phrasi in fine singulorum temporum; et deinde concordantia relatiui et antecedentis, et interrogatiui et responsiui; atque haec tum ea ostendendo in ipso Cicerone, tum dando nomina substantiua et adjectiua ipsis, vt ipsi concordent, vel proponendo concordantias, vt ipsi agnoscant propositas, quae concordantia sit. Item, datis vocabulis, vt italicam concordantiam latine dicant ipsi; et postea orationem actiuam per primam speciem etc.

---

e *Sequens paragraphus ad oram chartae reperitur.*

f *Id.*

Per tres quartas declinant.

Per vnam horam tres quartas coniugant et concertant [g]: forte bini et bini repetunt lectiones.

Finitis rudimentis, leguntur genera eorum loco, et simul cum concordantiis et lectione Ciceronis pariter in illis exercentur. Tunc incipiant componere, cum didicere nominis et verbi accidentia, matutino tempore, per tres quartas horae vltimae; et postrema quarta horae fiant concertationes; per tres quartas declinant et conjugant, vel vesperi componant per tres vltimas quartas horae [h].

Modus docendi de generibus erit simplicissimus, tantum italice exponendo praecepta, et deinde singulas voces bis eo ordine quo ibi sunt: nihil dictabit nec addet praeceptor.

Bis in mense componunt per vnam horam integram aut amplius; et tunc corriguntur themata, ante quindecim dies data, quae illis respondent; et tunc certant de locis [i].

Modus. Corrigitur prius vnum thema, petendo publice, vel duo; deinde dictatur italice paruulum thema trium versuum, et dantur eis tria vocabula Ciceronis, quae superius scribunt, vt postea ipsi ea apte coniungant. Component in silentio in classe et transcribunt; et eodem tempore quo componunt corrigit magister praecedentia themata, vocando ad se, quos vult, singillatim; et deinde, correcto themate, vnum remittit ad componendum, et vocat alium. Colliguntur per decuriones transcripta themata, et, finitis omnibus, dantur praeceptori. Corriget duntaxat orthographiam et congruitatem simplicis structurae.

Die jovis vel mercurii, mattutino tempore, eodem modo; vesperi otiantur.

Die veneris habetur exhortatio doctrinae xianae. vltima media hora mattutina [j]; per duas horas [*sic*], vltima hora concertant, vel vltimo conjugant. Vesperi vltima hora componunt.

---

g forte per unam horam coniugant et per tres quartas declinant. Per mediam bini vel terni repetunt lectiones eius diei, unus unam et alter alteram et concertant, et tertius notat errata, magistro inspiciente vt repetant. Si quis nescit, defertur id ad magistrum. *Del.*

h *Sequens paragraphus ad oram chartae reperitur.*

i *Id.* j vesperi. *Del.*

Die sabbathi, mattutino tempore, recitant et repetunt lectiones. Vltima hora singillatim Ciceronem, omnia verba et nomina lectionis Ciceronis declinando et coniugando, et partes orationis agnoscendo, et annotata petuntur.

Diebus dominicis et festis scribunt plura futurarum lectionum domi.

Vesperi ad doctrinam xianam. vel ad vesperas et post vesperas.

Singulis tribus mensibus eodem modo.

5.[a]

Per mediam horam recitant memoriter Ciceronis epistolas familiares et de generibus.

Per mediam repetitur lectio Ciceronis et examinatur, et praesertim in [k] agnoscendis partibus orationis et caetera rudimentorum praecepta et constructione in ipso Cicerone [*sic.*]

Per mediam docet Ciceronem.

Per mediam repetunt praesentem Ciceronis lectionem bis vt supra, et deinde repetunt de generibus [l] quam recitarunt.

Per mediam docet de generibus et, iis finitis, de praeteritis, cum regulis, quas dant, de declinationibus; et repetitur.

Per mediam, bini vel terni repetunt; declinant, praesertim difficiliora, vt per adjectiua tertiae, et substantivum et adjectiuum simul, quod non parum ad compositionem proderit; et concertant [m].

Modus examinandi. Modus docendi Ciceronem, ut in superiori classe omnino, praeterquam quod argumentum lectionis dicet prius italice breuissime. Constructionis quoque genus advertet, Ciceronis praesertim, quod jam in regulis audiverunt; et in ordinanda littera poterit seruare ordinem a nominatiuo prius, deinde verbum, et dici in fine syntaxis; et nonnumquam posset eis narrare aliquam historiolam, ut quis scripserit epistolam et

---

k *In ms. habetur* praesertim in ipso Cicerone; *sed duo postrema verba redundare videntur.*

l praecedentem, *Del.*

m *Extat in margine sequens paragraphus.*

qua de causa etc.; praeterea nihil aliud, quam quod in praecedente classe dictum est.

Vesperi. Per mediam horam recitant syntaxim, et corrigit vnum vel duo themata publice.

Per mediam docet syntaxim et repetuntur bis; et qua die non docet, repetit praecedentem lectionem et exercet in syntaxi tota hora.

Per mediam exercet verbo in syntaxi.

Per mediam conjugant vnum verbum cotidie [n].

Modus coniugandi. Per primam coniugationem activum et passiuum vnum verbum vna die; altera, per secundam, alterum; et tertia per tertiam, et quarta per quartam, et quinta per anomala, et ita per circulum; et semper cum phrasi in fine.

Per horam sequentem integram, primo corrigit vnum thema vel duo publice, deinde dictat thema italice et componunt, et eodem tempore corrigit priuate.

Die jouis vel mercurii otiantur vesperi; et mattutino tempore eodem modo.

Die sabbathi repetunt mattutino tempore lectiones matutinas et in eis examinet vt in altera classe; et vesperi recitant et repetunt per horam; deinde vespertinis et per vnam horam disputant, concertant inter se; ultima componunt.

Diebus dominicis et festis celebrioribus veniunt vesperi ad doctrinam xianam., et deinde disputant.

Sequenti medio anno, eodem modo.

Forte vel fit 2.ª hora examen generale omnium regularum syntaxis eiusdem hebdomadae, vel etiam aliorum omnium; imo et recitatio generalis omnium prima hora [o].

Modus. Sic vt ab vno petat vnam speciem et eam recitet, vel vnum verbum; deinde offerat italice aliquid, quod illam regulam componat etc., et sic ab altero alteram, vel singuli omnes [p].

Modus scribendi. Domi transcribent cotidie lectionem Ciceronis futuram, optimis characteribus et distantibus lineis, ad ex-

---

n *Extat in margine sequens paragraphus.* o *Id.*
p *Id.*

cipiendum synonima; et relictis marginibus magnis ad excipiendum dictatas phrases et diferentias vocabulorum et alia, etc.

4.[a]

Per mediam horam recitant Ciceronis epistolas familiares et poëtam.

Per mediam repetuntur et examinantur lectiones (modus: cum omnibus accidentibus de octo partibus) [q].

Per tres quartas docet epistolas Ciceronis.

Per tres quartas repetitur et docetur poëta.

Per mediam horam, bini aut terni repetunt inter se lectiones, et vicissim concertant [r] in fine [s].

Adhibeatur cura ne coincidant libri epistolarum familiarium cum libris aliarum classium inferiorum et superiorum.

Vesperi. Per mediam horam recitant syntaxim, et corrigit vnum vel duo themata publice.

Per tres quartas docet syntaxim, et repetitur bis a diversis.

Per tres quartas repetunt syntaxim, exercet in syntaxi verbo, et variant eamdem sententiam per varia verba, tempora et modos etc.

Per mediam coniugant verbum vnum cotidie, et deinde dictat componendum thema.

Per horam integram componunt, et eodem tempore corrigitur thema.

Bis in mense [t] per duas horas continuas aut duas cum dimidia vesperi componunt, et tunc corriguntur themata ante quindecim dies data, et tunc cessant praelectiones, et tunc certant de loco.

Die jovis vel mercurii [*sic*].

Die veneris vltima media hora mattutina fit hortatio doctrinae christianae.

---

q Ciceronis. *Del.*

r aliquanto tempore, si supersit. *Del.*

s *Extat in margine sequens paragraphus.*

t die sabbathi. *Del.*

Die sabbathi mane recitant et repetunt omnes lectiones: extra ordinem corrigitur vnum thema compositionis ex iis, quae debent recitare diebus dominicis vel festis, extra ordinem, data vni vel duobus aut tribus doctioribus classis tantum, vel a praeceptore compositum discunt recitandum praesertim innitio anni.

Diebus dominicis et festis vesperi recitatur in classe et disputant; et alternis congrediuntur duae classes, et simul conveniunt haec et tertia per vnam horam cum dimidia, aut duas horas.

Sequenti medio anno, eodem modo, praeterquam quod circa finem anni posset incipere docere artem metricam, si videretur praefecto.

3.ª

Per mediam horam recitant Ciceronis epistolas et poëtam.

Per mediam repetitur et examinatur lectio Ciceronis, referendo dictata memoriter et phrases, et ostendendo praecepta syntaxis ibi.

Per tres quartas docet Ciceronis epistolas et repetitur praesens lectio.

Per tres quartas repetitur et docet poëtam.

Per mediam repetunt bini et terni lectiones vtrasque vicissim; et post concertant aliquanto tempore, si superest, in fine, positis inuicem aemulis.

Vesperi. Per mediam horam recitant syntaxim, et corrigit vnum vel duo themata publice.

Per [u] mediam horam repetunt syntaxim et exercet in ea verbo, et variant, ad elegantiam, eandem sententiam per varia verba syntaxis ipsius, et synonima eiusdem significationis, et varias eiusdem phrases, et Ciceronis lectionem, scilicet, ad copiam et elegantiam, et significationes varias syntaxis, et varia constructionis genera, et copiae praecepta.

Per tres quartas docet syntaxim et repetitur praesens lectio bis [v]. Vltima quarta horae dictatur thema componendum.

---

u tres quartas. *Del.* v aut ter. *Del.*

Per vnam integram horam componunt, et eodem tempore corriguntur themata.

Bis in mense.....
Die veneris.....
Die sabbathi.....
Diebus dominicis..... } Vt in praecedenti classe.

Sequenti medio anno. Per mediam horam recitant Ciceronem de officiis et artem metricam; et, ea finita, ad Herennium 4.um

Per mediam repetit Ciceronem.

Per tres quartas docet Ciceronem, et repetitur praesens lectio semel aut bis.

Per tres quartas repetitur [x], et deinde docet [y] artem metricam; et, ea finita, ad Herennium 4.um

Per mediam horam repetunt bini et terni vtrasque lectiones et concertant. Poterit interim aliquid dictare ex copia verborum ad elegantiam.

Vesperi. Per mediam recitatur poëta, et corrigit vnum vel duo themata publice.

Per mediam repetitur.

Per mediam docet poëtam.

Per mediam repetunt praesentem poëtae lectionem, et dictat thema componendum. Modus thematis carminis est, carmina dissoluta frassibus poëticis.

Per horam integram componunt, et quidem, finita arte metrica, alternis carmine et prosa; et in prosa tunc aliquando poterit dari sententia, vel chria, vel apologus, aut laus vel vituperium alicuius rei cum suis locis amplificanda.

Diebus sabbathi, mattutino tempore, per duas horas recitant et repetunt lectiones ut ante: tertia hora docet, et dictat aliquid de copia verborum et non rerum. Vesperi per duas horas disputatur; vltima componunt.

Circa finem anni, si aliquid temporis superesset, posset, finito quarto ad Herennium, rudimenta graeca auspicari, vt vel saltem legere graece didicerint. [z].

---

x poëta. *Del.* y poëtam. *Del.* z discecerint, *ms.*

2.[a]

Per mediam horam recitant Ciceronis orationem et artem metricam; et, ea finita, rhetorices praecepta.

Per mediam repetunt Ciceronem et artem metricam et

Per horam [a] per tres quartas docet Ciceronis orationem et repetitur semel; per mediam horam docet praecepta artis vel metricae vel, ea finita, rhetoricem.

Per mediam [b] vltima quarta repetunt vtrasque lectiones bini vel terni, et concertant, si quid superest temporis.

Vesperi. *Per horam* [c] recitant graeca, et docet et exercet in graecis, et corrigit [d].

Per tres quartas [e] docet poëtam, et repetitur; et vltima quarta corrigit vnum aut alterum thema publice, et dictat componendum.

Per horam integram componunt, et corriguntur simul themata; finita arte metrica, alternis carmine et prossa; sed initio quidem anni sententias, chrias, laudes et vituperia, apologos, sicut in praecedente classe: postquam inceperint rhetoricem, exordia, uberiores narrationes, sed latine; italice aliquando.

Die sabbathi duabus horis recitant et repetunt lectiones latinas totius hebdomadae; tertia hora docet aliquid ex praeceptis rhetorices, «copia verborum» primis duobus mensibus; et vesperi prima hora graecas similiter; aliis duabus sequentibus, altera hora disputant, altera componunt.

Bis in mense componunt per horam cum dimidia aut duas horas continuas, et tunc corriguntur themata, ante quindecim dies, quae illis respondent, et cessant tunc praelectiones. Posset hoc fieri die sabbathi vesperi.

Item [f], extra ordinem datur quibusdam doctioribus classis, duobus, tribus aut quatuor, argumentum orationis cum locis, ut

---

a *Sic, linea infra duo verba ducta.*
b *Id.* c per tres quartas. *Sic in marg.*
d vnum thema vel duo publice. *Del.*
e Per medium. *Sic in marg.* f Finita arte metrica. *Del.*

ipsi componant domi, et recitent memoriter diebus dominicis in classe; et corrigitur a praeceptore extra ordinem.

Diebus dominicis et festis celebrioribus per horam cum dimidia vel duas horas habent orationem vel declamationem [g], vel carmine vel prosa, ex iis, quae extra ordinem composuerunt; et disputant contra se scholastici quoque vnius classis contra scholasticos rhetoricae, nonnunquam etiam contra alios; et post Pascha, alternis cum rhetoricis, habentur iis diebus dominicis orationes vel declamationes.

Sequenti medio anno, elapsis duobus anni mensibus, loco poëtae, historicum docet [h]: in caeteris eodem modo, praeterquam quod hora lectionis graecae, semel in hebdomada componunt graece.

I.[a]

Per mediam horam recitant Ciceronis orationem et [i] praecepta rhetorices; et, finita prima oratione, eius loco recitant memoriter poëtam.

Per mediam [j] repetunt Ciceronem et praecepta rhetorices.

Per tres quartas horae docet orationem et repetitur semel.

Per tres quartas docet praecepta rhetorices et repetitur semel.

Per mediam horam [k] repetunt bini et terni; et, si quid temporis superest, concertant.

Vesperi. *Per horam* [l] recitatur lectio graeca, legitur, repetitur etc.; semel in hebdomada componunt graece.

Per tres quartas [m] docet poëtam et repetitur; et vltima quarta corrigit vnum aut alterum thema publice, et dictat componendum. Singulis [n] quatuor mensibus posset mutare historicum pro poëta, vel alternis docere poëtam et historicum.

---

g ex rhetoricis. *Del.*

h vel loco orationum. *Del.*—*In margine haec leguntur:* Ciceronis orationum.

i artem poëticam. *Del.*

j Per quartam. *In margine.*

k Per quartam. *In margine.*

l Per tres quartas. *Id.*

m Per mediam. *Id.*

n tribus. *Del.*

Per unam horam integram componunt alternis carmine et prosa.

Die sabbathi recitant et repetunt per *duas horas* ° lectiones totius hebdomadae, tertia in praeceptis rhetorices exercet. Vesperi prima hora graecas similiter; duabus horis sequentibus altera componunt, disputant; altera componunt, disputant et bis in mense componunt vt in classe praecedente, et extra ordinem similiter, vt illic dictum est.

Diebus dominicis, vt in praecedenti classe.

Sequenti medio anno, eodem modo; sed fient publicae et solemniores declamationes bis post Pascha, semel a rhetoricis et semel ab humanioribus, ad quas totum collegium conueniat omnium classium.

OMNIBUS COMMUNIA

1. Oratio consueta ante lectiones, etiam in rhetoricis.

1. [*sic*] Sacrum cotidie audire ante vel post lectiones. L.

2. Exhortatio doctrinae xianae. die veneris per mediam horam mane.

3. Die mercurii vel jouis otiatur a prandio, et rhetorica etiam ante prandium.

4. Confessio singulis mensibus.

Die veneris, mattutino tempore, vltima media hora omnes audiunt exhortationem doctrinae xianae. in singulis classibus, praeter rhetoricam, vel ab ipsis magistris vel ab aliis factam.

5. Die sabbathi omnes mattutino tempore recitant et repetunt lectiones hebdomadae et disputant.

6. Diebus festis [*sic*].

7. Loquantur omnes scholastici alta voce, clare et distincte, in omnibus classibus, ita vt ab omnibus facile audiantur; nam et hoc multum prodest ad attentionem et silentium classis.

7. In omnibus classibus constituantur aemuli, qui, altero repetente vel respondente, corriga[n]t et emende[n]t; et possent hi esse collegii Germanici contra Seminarii, vel externi contra

° Per horam cum dimidia. *In marg.*

vtrosque; et vel perpetuos vel diebus quibusdam, vt die sabbathi, designandos tantum repetitores et emendatores.

8. Habeant omnes scholastici albeola, in quibus transcribant lectiones et dictata, et alterum, in quo themata scribant.

9. Diebus festis: in classibus infimis *hoc et hoc*. in mediocribus. in rhetorica et humanitate.

Item, si plures festi, praescribet aliquid quod domi agant, vt assignare aliquid domi repetendum, vel memoriter addiscendum et recitandum, ex auditis lectionibus, cuius postea exigat rationem, elapsis festis diebus, vel dictare thema componendum extra ordinem.

10. Si ordo collegii Romani pateretur, videretur fortasse vtilius, vt omnes classes componerent matutino tempore.

11. Latine omnes magistri loquantur, etiam in infimis classibus, communia classis, et discipuli etiam latine haec dicere cogantur; et in aliis superioribus semper latine agant; nec vero [p] expedit seipsos emendent in colloquio familiari, sed solum habetur cura ut latine agant.

12. Pro diebus dominicis, et altioribus praesertim classibus, illa disputatio seu concertatio quatuor, vt vni adjudicetur victoria et premium, placet fiat.

13. Initio, post muttationem, omnes se demittent pro captu eorum, quos de nouo recipiunt, fere ad similitudinem praecedentis classis.

14. Assignatio decuriae doctioris [q] et in praemium in singulis classibus ob aemulationem.

15. Antequam praeceptor accedat, per semihoram, et in aestate post Pascha per horam, dato pulsu, omnes accedant ad classem, vt ibi *hoc et hoc* agant, et per correctorem teneantur in officio, et per decuriones, qui notabunt.

16. Scholastici, quum est dicendum, [r] alte et clare loquantur, vt a tota classe facile audiantur.

17. Tota classis sit distributa in binarios aequales, sibi in-

[p] necesse est. *Del.* [q] examine. *Del.*
[r] quum dicent. *Sic ante emendationem.*

vicem adversarios et emulos, et se invicem corrigentes, ad concertationes, repetitiones et disputationes, saltem usque ad humanitatem inclusiue.

18. Cum plures dies festi, praescribet eis aliquid, cuius postea reddant rationem.

19. Exhortabuntur scholasticos [s] saepe laude doctrinae et scientiarum, et inflammabunt ad studia.

20. Item, hortabuntur saepe vt domi repetant lectiones, scribant [t], discant memoriter, componant quae componenda sunt etc.

Alia manu. Patris Ledesmae.

Et alia. Asservanda.

❧

†

Jhs. Maria

ORDO ET RATIO STUDIORUM QUINQUE CLASSIUM,

TRIUM GRAMMATICAE, ET HUMANITATIS, ET RHETORICAE [1].

PRIMUS MODUS [a].

5.ª ET INFIMA

Habet duos ordines.—1.us Declinationes nominum et coniugationes.

2.us Rudimenta de octo partibus, simul cum concordantiis.

Doctrina xpiana. cotidie semel, matutino tempore, memoriter.

Muttatio. In primo ordine recipit quouis anni tempore; et transmittit ad secundum, juditio magistri, singulis tribus mensibus.

Quouis autem semestri mittit ad quartam ex secundo ordine, examine praefecti.

---

[s] ut. *Del.* [t] ut. *Del.*

[a] *In margine:* Nota. Secundus modus maxime probatur.

[1] Adversaria autogr. Patris Ledesmae in *cod. Rom. stud.*, *I*, ff. 140-142r. In superiori ora sinistrorsum scriptum est: «Ledesma».

DISTRIBUTIO TEMPORIS ET EXERCITATIONUM

1. Tam primi quam secundi ordinis est eadem, quae in septima classe dicta est de septem classibus.

2. Praeterquam quod media hora penultima, tam mane quam vesperi, pro secundo ordine docebit ipsa rudimenta cum concordantiis et exercebit in eis; aut uero alternis docebit rudimenta et epistolas selectas, vt in eis ipsas partes orationis et accidentia cognoscant, et praestent exercendi materiam.

3. Ac tunc temporis, eo semihorae spacio, primus ordo transcribet aliquid ex epistolis selectis et se praeparabit ad concertandum.

MODUS IN EXERCITATIONIBUS SERVANDUS

1. Primi ordinis, erit omnino idem, qui in septima classe dictus est in ordine septem classium.

2. Secundi ordinis, erit idem, qui in sexta illius classe, hoc tantum dempto, quod non docebit de generibus.

4.ª [CLASSIS].

Est eadem cum quinta de septem classibus hoc modo.

Lectiones tres.—1. De generibus cum quibusdam regulis declinationum, et deinde de praeteritis.

2. Syntaxis tota parua.

3. Epistolarum familiarium faciliores libri.

Doctrina xpiana. bis in hebdomada; et cum eam sciunt, paruus Canisii catechismus.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, eodem prorsus modo.

Muttatio. Singulis vel tribus, si satis periti, aut extra ordinem sex mensibus recipit, et singulis sex emittit ad 3.ªm

Distributio temporis et exercitationum et modus in exercitationibus seruandus idem omnino, qui in quinta classe alterius dictus est de septem classibus.

3.ª QUAE ET PRIMA GRAMMATICAE

Est eadem quae quarta alterius, hoc modo.

Lectiones tres.—Syntaxis altior; sed initio, si opus uidebitur, repetit aliqua dificiliora, et discipulis vtiliora, syntaxis paruae, aut vero posteriorem eius partem.

2. Epistolae familiares.

3. Ouidius de tristibus uel de Ponto, aut egloga Virgilii.

Vltimis duobus mensibus cuiusvis semestris docet artem metricam loco poëtae, et incipiunt carmina componere [b].

Catechismus Canisii bis in hebdomada.

Discunt omnia memoriter.

Sequenti medio anno, prorsus eodem modo.

Muttatio. Sexto quoque mense recipit, et sexto quoque mense emittit ad 2.am, hoc est, humanitatis; non placet hoc nisi extra ordinem rarissime; sed initio anni possent optima ingenia etiam ad rhaetoricam, qui, praeuio examine, digni judicantur.

Distributio temporis et modus exercitationum idem, qui quartae classis de septem classibus.

2.ª QUAE EST HUMANITATIS

Non placet haec classis, sed vt in secundo modo.

Lectiones tres.—1. Ars metrica, ac deinde 4.us liber ad Haerenium, uel de copia aut elegantiarum aliquid.

2. Ciceronis, de amicitia, uel senectute, uel de officiis.

3. Virgilii Aeneidos.

Catechismus Canisii semel in hebdomada.

Discunt omnia memoriter.

Initio anni per mensem posset repetere dificiliora syntaxis altioris, vel posteriorem eius partem magis utilem et necessariam; deinde artem metricam auspicari.

Sequenti medio anno habet duos ordines: eorum, scilicet, quos recipit ex 3.ª, et eorum, quos habuit ab initio anni; tamen eaedem omnino erunt omnium exercitationes et libri hoc pacto.

---

b *In margine:* non placet hoc.

LECTIONES TRES ET VNA GRAECA

1. Rhaetorica Cypriani, vel ad Haerenium 1.us, 2.us, 3.us liber.

2. Initio per duos menses liber aliquis ex philosophicis Ciceronis, ut Tusculanae, de finibus, etc. Deinde orationes Ciceronis faciliores, ut pro Q. Ligario, pro Archia poëta, post reditum, etc.

3. Virgilii grauiores libri, vel Horatius correctus, et aliquando Martialis correctus: aliquando etiam historicus loco poëtae, vt Salustius, Titus Liuius, vel alternis.

4. Grammatica graeca Clenardi, ac deinde simul author aliquis facilior, ut dialogi mortuorum, Aesopi fabulae, Isocratis paraenesis.

Discunt memoriter omnia, praeter historicum et authorem graecum: ex praeceptis rhaetorices solas definitiones et diuisiones.

Muttatio. Sexto quoque mense recipit; sed singulis annis emittit uel ad rhetoricam, uel ad alias facultates.

Distributio temporis et exercitationum, et modus in exercitationibus singulis seruandus primi medii anni, erit omnino, qualis vltimi medii anni tertiae classis de septem classibus.

Sequentis medii anni, qualis ipsius humanitatis de septem classibus.

1.ª QUAE EST RHETORICES

Omnia eodem modo sicut [in] rhaetorica de septem classibus dicta sunt.

2.US *MODUS* c

Aliter: tertiam classem, scilicet primam grammatices, et humanitatis parum deprimendo.

5.ª vt supra. 4.ª vt supra.

---

c *In margine:* Nota. Hic secundus modus placet prae caeteris.

3.ª ut supra.

Praeterquam quod non docet artem metricam; et syntaxim altiorem docet simplici explicatione.

Sequenti medio anno, eodem modo.

2.ª QUAE ET HUMANITATIS

Lectiones tres.—1. Syntaxis altioris aliqua repetet initio, si videbitur; deinde de copia, vel elegantiarum aliquid, vel 4.us ad Haerenium.

2. Virgilii Aeneidos grauiores libri.

3. De amicitia, vel senectute, vel de officiis, Ciceronis.

Sequenti medio anno.—1. Ars metrica, deinde rhaetorica Cypriani, vel ad Haerennium 1.us, 2.us, 3.us

Grammatica graeca.

In caeteris, vt supra [d].

1.ª QUAE ET RHAETORICAE, vt supra.

3.us MODUS

Mutando tantum tertiam classem; ut, scilicet, in tertia manerent per annum integrum, hoc modo:

Primo medio anno, vt in secundo modo dictum est.

Sequenti medio anno: *Lectiones tres.*—1. Syntaxis altior exacte, ac deinde circa finem anni artem metricam.

2. Poëta, Ouidius de Ponto vel de tristibus, vel Virgilii Aeneidos faciliores libri.

3. Ciceronis epistolarum familiarium grauiores libri, uel ad Brutum, etc.

Catechismus Canisii semel in hebdomada.

Discunt omnia memoriter.

Mutatio. Sexto quoque mense recipit, sed singulis annis tantum emittit, optimos ad rhaetoricam, reliquos ad humanitatem.

[d] *In margine:* Nota. Primus enim medius annus totus ad elegantiam; alter medius in carminibus et graecis; et in fine nonnihil rhetorices. *Verbum* nonnihil *deletum est.*

4.us MODUS

ELEUANDO CLASSEM HUMANITATIS ET RHAETORICAE [e].

Si in tertia manerent per annum, ut dictum est, tunc possent classes [f] humanitatis et rhaetorices esse omnino eaedem, quae de septem classibus fuerunt descriptae.

Nota. Inter omnes, maxime michi probatur secundus modus; nam plures habet utilitates, et minora ac pauciora incommoda quam reliqui, aut uero nulla prorsus incommoda: quae interrogatus dicam, si scire libuerit.

Laus Deo et Domino nostro Jesvxpo.,
et Virgini sacratissimae Mariae, matri eius gloriosissimae. Amen.

23

†

Jesvs Maria.

ANNOTATA QUAEDAM P. FRANCISCI STEPHANI *CIRCA CLASSES RHETORICES ET GRAMMATICES AC PRAECIPUE HUMANITATIS* [1].

†

L' ORDINE DELLA 2.a DI GRAMMATICA

1.° Faccia il maestro subito che s' intra nella scuola recitar a mente: et perchè si potria perder molto tempo se esso li sentisse tutti, potria esso sentirne una parte, et gli altri farli recitar con quelli che prima haranno recitato con se, facendosi render conto degli errori, che recitando hauessero forse fatti: et guardi bene il maestro di non usar particolarità, sentendo alcuni esso

---

e *In ms. iterum scribitur:* 4.us Quartus modus.
f classis, *ms.*

[1] Exemplar, manu nobis ignota exaratum, in *cod. Rom. stud.*, *I*, ff. 97-100. Titulum scripsit Ledesma, et etiam sequentem inscriptionem: «Collegii Romani. G.—Admone de quibus rebus magistri componant assertiones».

sempre et altri no; ma potrà sentirli a uicenda, un giorno uni et altro altri.

2.° Inanzi che cominci a legere, facciasi repetere la lettione del giorno precedente due uolte, una dall' ordine superiore, un' altra dall' inferiore.

3.° Poi cominci la sua lettione con questo ordine: Primo legerà un poco del testo dell' autore: poi, con quanto poche parole potrà, dirà il senso in latino, tanto della lettione passata, quanto della presente: appresso dirà il medesimo senso in uolgare, estendendosi in distinguere la lettione in due o tre principali capi con molta facilità. Ditto il senso, et distinta la lettione nelli soi capi, dechiararà il testo 3 uolte: nella prima construirà la lettione parola per parola, dechiarando breuemente doue bisognarà qualche historia o fabola, auisando sempre li putti quando se finirà un capo della lettione et se principiarà l' altro; et ueda di usar frasi uolgari, che siano proprie quanto sarà possibile. Nella 2.ª, tornando da principio, osseruarà le cose grammaticali, come saria a dire le significationi delle voci, le parti delle orationi con li soi accidenti; e specialmente metta cura in questo, che, douunque accaderà nella lettione, ricorra alle regole di Despauterio de generibus, declinationibus, et de praeteritis et supinis. Nella 3.ª repetirà la construttione semplicemente, cioè, senza repeter il senso et le cose grammaticali.

4.° Finita la lettione, facciasi ripetere la lettione, domandando primo il senso della lettione et li capi principali, et poi la construttione. Et al medesimo modo ad un' altro, o più ancora, se li parerà esser necessario.

5.° Faccia l' essame delle cose grammaticali, interrogando tutti li putti uno per uno più minutamente, facendoli render ragione delle cose per le regole di Despauterio, che haueranno già inteso, acciò se le facino familiari.

6.° Potrà inanzi la seconda lettione chiamar li suoi censori, et ueda quelli che hanno mancato alla messa, et che s' han trouato nelle strade fare qualche cosa indecente, etc.

7.° Legerà la lettione di Despauterio familiarmente, con molti essempii, facendola ripeter al modo sopradetto.

8.° Doppo 'l desinare seruarà il medesimo ordine, senonchè bisognarà spedirse un poco più presto per poter attender alla emendatione delli latini, circa la quale potrà seruar questo ordine: Farà far alli putti due copie del latino, delle quali una se ne terrà esso in mano, l' altra il putto; et quando auuiene qualche errore, faccia che lo scholare prima se ne accorga che esso l' emmendi. .Vltimamente darà un nuouo uolgare per il giorno seguente.

DELL' HUMANISTA

Circa il legere tenga questo modo. La mattina alla prima hora pigliando Cicerone, o se qualche altro autore in luogo di Cicerone si legesse, prima di tutto, letto un poco del testo, repeta breuemente la lettione passata, et dica appresso il senso della presente, distinguendola nelli suoi capi principali, et dechiarando distintamente quel che ogni capo contiene; et se li paresse bisogno, può dire il senso un' altra uolta in meno parole. 2.° Dechiarerà il testo capo per capo, occupandosi principalmeute in esplicar le historie et fauole copiosamente dalli suoi principii, quando altra uolta non le hauesse esplicate; et osserui ancora per suttile li costumi antichi de greci, romani et barbari etc., perilchè li seruiranno Alexander ab Alexandro, Caelio Rodigino, Paulo Manutio et simili. Di più debbe abondar de sententie tanto de oratori, quanto de poeti, de prouerbi etc., per dirli alli suoi lochi. Potrà ancora dechiarar alcune figure et alcuni luochi rhetorici, che saran più facili, come saria a dire *a simili, dissimili, contrario, comparatis, causis, etc.*

2. Quando legerà historiographo o poeta alcuno, deue, oltra il sopradetto, far questo di più, che dica le leggi della historia et poesia, dechiarando come son state osseruate da quel tale o historico o poeta. In questo li seruiranno Aristotele nella poetica, Horatio, Dyonisio Alicarn. etc. Il medesimo ordine di leger si può seruar nelle altre lettioni del giorno.

3. Finita la lettione, la farà ripetere una uolta; et dipoi della repetitione farà che li scolari dimandino alcune cose più difficili della lettione al ripetitore.

4. In questa et altre lettioni sempre han di parlar latino, se non fusse per dechiarar qualche uoce obscura nella lingua uolgare. Et non si deue contentar che il suo dire sia puro et elegante, ma ancora in questa classe conuiene tenir in promptu molte frasi bone soprà una medesima sententia, et usarle, acciò dia alli scolari essempio de imitar: per questo li può seruir, oltra gli altri, il Nizolio.

5. Conuiene parimente che faccia osseruare là regola del parlar latino infra li scolari, facendo per questo li suoi censori, perilchè ancora aggiutaria due giorni almeno la settimana, quali potriano esser martedì e giouedì, darli una sententia da uariar infra di se in più modi.

6. Nella compositione ordinariamente bisognarà far due ordini: vno di quelli che comporranno il volgare; altro di quelli che saran prouetti et potranno da per se far qualche compositione. In quanto a dettar il volgare, procuri di dettarlo destramente sopra quelle historie et frasi, che li scolari alla giornata intendeno nelle lettioni. Alli altri li farà componere una epistola, o consolatoria, o comendatoria etc., dandoli esso non solamente il thema, ma ancora insegnandoli li precetti, che in quello genere d' epistola hanno da osseruare, indrizzandoli di più con alcuni essempii, che siano al proposito del thema. Potria ancora, quando fussero più prouetti, essercitarli in chrie, descrittioni et cose simili: per il primo li seruiranno quelli, che han scritto *de ratione scribendarum epistolarum:* per il secondo sarà utile Aphthonio, et il libro *de copia rerum*.

7. Nella emendatione potrà satisfar all' uno ordine la mattina, all' altro doppo 'l desinare: et si non potesse satisfar a tutti, facciali leger la compositione senza ordine, a chi manco si pensa d' hauer d' esser domandato, acciò li scolari non lo possano gabare.

8. Il venerdì al tardo disegnarà quelli che il sabbato haranno a ripetere le lettioni: et acciò gli altri non stiano senza la sua occupatione, disegnarà di quelli altretanti emendatori, quanti sono li repetitori; et se fussero alcuni di più, potrà ad vno repetitore dare due emendatori; il che seruirà per farli

studiar bene le lettioni et per innanimarsi più gli uni con gli altri [2].

9. In quanto al recitar a mente, ogni giorno subito che intra nella scola li faccia recitar a mente le lettioni del giorno passato, et il sabbato poi tutte insieme: et se trouasse difficoltà in sentirli tutti, et per questo li mancasse tempo per gli altri essercitii, potria farsi aggiutar da quelli che prima esso sentisse, facendosi riferir gli errori che nel recitar facessero.

10. Perchè in questa classe uengono homini, et massime maestri publici et priuati, li quali si partono fornita la lettione, o, se restano, non uogliono publicamente esser interrogati, nè mostrar le compositioni, ma questo uoglion far in priuato, se gli deue offerire, et esortarli che lo facino come uogliono, perchè così si mantengono.

11. Quelli che hanno inteso l' arte metrica, li potria il venerdì in luoco della prosa farli componere qualche epigramma, il quale emendato si attacchi nella scola il sabbato.

† Jhs.[3]

Nell' humanità al principio delli studii si legge qualche libro di Cicerone, non passando le paradosse la mattina, insieme con qualche cosa per la copia insin a Pasca: dopo pranso Salustio.

† Il modo di leggere è in latino, dicendo prima il senso di tutta la lettione, connettendo sempre la precedente con quella che seguita, acciò uegghino l' ordine. Doppo s' esplica la lettione a periodo per periodo, dicendo il senso; poi dichiarandola con altre parole, esplicando in particolare le oscure con altre manifeste, dicendo l' origine quando è bisogno: potria anche dir in uolgare

[2] In margine, prope superiorem paragraphum, haec leguntur manu Patris Ledesmae scripta: «pro modo repetendi cotidie vel die sabbati in 3 et 2. 4». [*sic.*]

[3] Earum, quae sequuntur usque ad finem hujus monumenti, aliud extat exemplar apogr. in *cod. Rom. stud., II*, ff. 257 et 258. Huic et aliis, quae illud proxime sequuntur, titulum inscripsit ipse P. Ledesma: «Aliquarum classium studiorum ordo, scilicet, humanitatis et aliquarum aliarum, in quibus, quae cruce designantur, videntur notatu digniora». Ex hoc autem exemplo mutuavimus signum crucis ante aliquot paragraphos positum: varias lectiones illius in annotationibus indicamus.

quella tal parola; poi s' esplica l' artificio, le figure, i colori, etc. [a]; et così si legge per tutta la prima hora.

† Finita, si fa ripetere ad uno il senso, la construttione a più, una uolta si domandano a diuersi le cose più oscure et più utili.

† Per i doi primi mesi si da il uolgare, perchè quelli che passano dalla grammatica non sono capaci: il resto del tempo si fanno comporre da se, non si curando d' altro che dell' eleganza. Ogni doi giorni hanno da legger' tutti, diuidendoli, che tanti la mattina, et tanti il doppo disinar [b] leggano. Et perchè non può sentir' ogni cosa, faccia leggere un' poco in un' loco, et poi più oltra in un' altro, et così non serà gabato, non sapendo il scolare quale habbia da uedere [c].

† Nell' medesimo modo proceda nella lettione della sera. Dopo Pascha si mutta la lettione di Cicerone in altra del medesimo più graue, come Tusculane o de finibus; in luogo della copia, la grammatica greca; in luogo di Sullustio, Cesare o qualche poeta; et a S. Giouanni la uersificatoria insieme con la rhetorica ad Herennium [d].

† Et perchè in questa classe uengon' huomini, et massime maestri publici et priuati, li quali si partono fornita [e] la lettione, o, se restano, non uogliono essere publicamente interrogati, nè mostrare le compositioni, ma questo uogliono far in priuato, se gli deue offerire, et esortarli che lo faccino come uogliono, perchè così si mantengono [4].

Quanto al castigarli, quelli del collegio Germanico, che saranno dal Rettore giudicati, si batteranno; dell' altri s' auuiserà il Rettore loro quando mancassero; delli forestieri continui, massime putti, farà il medessimo. D' altri putti che uenissero, et poi subito fornita la lettione se ne partono [f], s' informarà da loro pa-

---

a figure, et colori et Cicerone. *Alterum exemplar.*

b tanti la sera, *Alter. ex.*

c sarà in tutto diligente. *Additum in alt. ex.*

d Nota. *In margine alter. ex.* e finita. *Alter. ex.*

f uenissero a sentire, et poi subito si partissero finita la lettione. *Alter. ex.*

4 Haec ipsa regula jam data fuit paulo superius.

renti o pedanti se quella è la loro uolontà, cioè che si partano, et così si regerà. Quando gli grandi mancassero in cose piccole, priuatamente gli potrà ammonire: nelle grandi et d' importanza darà auiso al prefetto *o superiore* [g].

Nella prima di grammatica la prima hora, tanto la sera quanto la mattina, recitano la lettione gli scolari alla mente, et poi si legge.

† Il modo di leggere è, che prima si dica il senso della lettione in latino et uolgare, ma breuemente; dopo dichiari la prima clausula in latino, et poi la construisca, apportando copia di parole che significhino il medesimo, mostrando la ragione della construttione per le regole che leggerà; auuertendo molto [h] che le parole oscure si dichiarino più uolte acciò siano intese.

Nella 2.ª di grammatica si farà il medesimo, attendendo più alla dichiaratione uolgare che latina [i]; similmente alle regole de generi, massime declinationi et congiugationi. Il resto del tempo si spende in dar et emendar le compositioni.

24

ORDO

QUI IN SCHOLA RHETORICES SERVATUR [1].

USANZE DELLA RETHORICA

Prima. Sogliono i nostri recitare in refettorio alcune poche oratione o poemi, et queste particolarmente alle rinouationi de uoti, et alcune altre uolte l' anno.

Secondo. Si sogliono fare repetitioni in casa de latino et de greco, et di più emendare due uolte la settimana la compositione de prosa, et altretante di uersi; il che si fa in questo modo: che il greco ha un giorno la settimana per repetitione, cioè il venerdì;

g et a superiore. *Alter. ex.*

h curando molto. *Alter. ex.*

i che alla latina. *Alter. ex.*

[1] Ex autographo P. Tursellini, in *cod. Rom. stud., II*, fol. 271r. Tanquam titulum primarium, haec scripsit Brunelli: «Usanze et proposte per aiuto dele scuole».

li precetti della rethorica la domenica; l' orationi il lunedi; l' altri giorni alternatiuamente si emenda prosa et versi, perchè venerdì ancora per mezz' hora si emendano.

Terzo. Le domeniche et feste principali, massime di voti, si fa spasa [*sic*] de versi.

Quarto. In sala si suol' recitare orationi o poemi dieci uolte l' anno in circa con quest' ordine: Prima recita un nostro; puoi del seminario; dopo questo della congregatione; in quarto luogho un forestieri. Fatto questo, torna da capo il circolo, et va seguitando all' istesso modo sin' al decimo, che è pur un de' nostri etc. Di più due uolte l' anno in circa si sole recitar qualche orationcina greca in compagnia della latina.

Ultimo. La mattina per tre quarti in circa si legge; un quarto si repete. L' ultima mezz' hora s' emendano le compositioni. Il sabbato, quando la settimana è intiera per leggere, si sol dichiarar qualch' epigramma, ouer ode o altro simile, facendosi compor uersi a forestieri similmente una uolta la settimana, i quali si portano et si emendano il sabbato [2].

Manu P. Brunelli. È mano del P. Horatio Torsellini.

Eadem manu. † Con la scuola della rettorica si tenga conto della disciplina, et il prefetto gli faccia castigare quando mancano, non però dentro la scuola senza espressa licenza del rettore.

Questo credo che me lo dittasse qualche superiore per inserirlo negli ordini et usanze del collegio Romano.

GIROLAMO BRUNELLI.

---

[2] In margine, prope praecedentem paragraphum, haec leguntur, eadem manu, id est Brunelli, exarata: «La rinovationne dell' 89 si aggionge un' hora la mattina».

25

MONITA

AD PROFECTUM IN SCHOLIS HUMANIORUM LITTERARUM ET RHETORICAE [1]

AUUISI PER AIUTARE GLI STUDI DI HUMANITÀ ET RHETORICA

Primo. I maestri siano et dotti et solleciti et liberi da ogni altra occupatione esteriore.

2.° Gli scholari non siano di quelli, che hanno udito il corso ordinariamente, eccetto se alcuno di bello ingegno con grande instantia non lo ricercasse, perchè altrimenti attendono non a rhetorica, ma a riuedere il corso.

3.° Item, intendano et tengano per certo, che nessuno sarà promosso alle scuole di filosofia, se non sarà prima fondato in lettere di humanità, di maniera che possa dar buon conto di se. Et questo punto è di grande importanza per molti rispetti.

4.° Il prefetto de studi sia persona intelligente di queste lettere et affettionato a quelle, di modo che nello distribuire degli auditori non mandi tutto il buono alle scuole di philosophia e theologia, lasciando tutta la feccia nella rhetorica et nella humanità.

5.° Il rettore et prouinciale mostrino di tenere conto di questi studi come degli altri, dimandando con le occasioni agli scolari et maestri qualche cosa, onde s' auueggano che si ha l' occhio sopra di loro.

Vt autem hoc plurimis Societatis collegiis, in quibus tres tantum humanitatis praeceptores sunt, cum fructu accomodari possit, conabimur magis particulariter explicare, quae his classibus conuenire uideantur.

VBI TRES ERUNT CLASSES

1. In tertia, quae infima erit, classe, eadem prorsus doceantur, quae, in quinque classium ordinatione, obseruanda esse in quinta superius dixeramus; sed de generibus nominum, et regulis necessariis declinationum, de praeteritis etiam ac supinis uerborum doctrina ad hanc scholam pertinebit. Et non solum selectarum epistolarum Ciceronis gustum percipiant, sed *ultimis sex mensibus anni* [r] ex familiaribus faciliores libros audiant, nimirum 13, 14, 16; ad quorum imitationem et loqui et compositiones facere non pueriles assuescant. Quocirca breuem syntaxim succincte explicare ad hunc praeceptorem pertinebit. *Annus saltem totus huic classi conceditur; nec, eo exacto* [s], nisi diligenter examinati idoneique reperti, ad secundam gradum faciant [t].

2. In media classe, *quae non minus alterius anni spacio exigit* [u], curare magister debet ne, quae de praeteritis, supinis, declinationibus et generibus in tertia didicerant, discipuli obliuiscantur: syntaxis altior [v] explicetur: epistolarum familiarium libri grauiores praelegantur; et de amicitia et senectute libellus; Q. Curtii historia; Ovidius de tristibus; de Ponto. Deinde etiam Vergilii eglogae, in quibus nil turpe sit, ut prima, quarta, quinta. Ad componendas epistolas sex ultimis mensibus anni documenta praecipua magister dabit, et in copia elegantiaque, tam in sermone quam in compositionibus, discipulos exercebit.

3. In prima classe, non solum in soluta oratione, sed in carminibus componendis exercitatio exigitur. Ad illam syntaxis perfecta obseruatio, ad hanc syllabarum et metricae artis cognitio

---

r *Correct.:* et prouectiores. s *Correct.:* nec vlli.
t *Additum:* Examen autem sexto quoque mense fieri debet.
u *Deletum est.* v *Additum:* iam.

conferunt. Epistolae ad Q. Fratrem et ad Atticum, liber de officiis, Salustii aut Caesaris historia, Aeneidos aut methamorphoseos libri interpraetari poterunt.

4. Vertente anno, compendium rhetoricae, ut Cypriani, uel ad Herennium; oratio pro Marcello, pro lege Manilia, pro Deiotaro, uel Catilinariae. Quo tempore orationes et declamationes fient ad Ciceronis imitationem, obseruata rhetoricae arte, etc.

ALIA QUAEDAM SUNT

QUAE, PRAETER SUPRA POSITAM SINGULARUM CLASSIUM DIRECTIONEM OMNIBUS IN UNIUERSUM BONARUM LITERARUM GYMNASIIS PERQUAM UTILIA ESSE IUDICANTUR [2]

[1.] Decurias esse binas aut ternas in singulis classibus eorum, qui eruditione, diligentia, *modestia et morum puritate caeteris antestabunt, mirandum* [x] in modum conducit: nec hi temere in suis decuriis sedebunt, sed suus unicuique locus pro merito assignabitur a praeceptore. Qui autem in compositione aut de literario certamine primas tulerit, ad eum locum, honoris gratia, conscendat [y].

2. Qui uero *tardissimi* [z] deprehendentur, tandiu ad *sedilia ignominiae* [a] adherescant, quamdiu desidiae *maculam diligentiae significatione* [b] non absterserint.

3. Loqui aut tumultuari in gymnasio, uel aliquo immodestiae signo caeteros interturbare, permittendum non est. Curabit igitur magister in schola silentium praestari, tum obstrepentium reprehensione ac poena moderata, tum modestorum commendatione.

---

x *Correct.:* in studiis praestabunt aliis, praesertim si immodesti non fuerint.

y *Additum:* Harum decuriarum electiones singulis mensibus fiant.

z *Correct.:* negligentiores.

a *Correct.:* locum negligentibus assignatum.

b *Correct.:* notam.

[2] Extat aliud exemplum harum 19 regularum, decima octava praetermissa, in *cod. Rom. stud., II,* duplici folio non numerato, inter fol. 268 et fol. 269 collocatum. Omnino respondet alteri exemplo, unde desumptae sunt variae lectiones, quae in annotationibus indicantur.

4. Cautiores reddet et attentiores discipulos, si nullo sedendi ordine eos magister [c] interrogarit; et ut multi possint auditam lectionem *retractare* [d], iubeat singulos parum ex ea dicere. Et licet praeterire neminem debeat, rudiores tamen rogandi frequentius, memor esse debet [e].

5. Errantes ipse magister ne corrigat, neue respondentes adiuuet, sed libere sinat ignorantiae suae specimen dare; postea uero, quod ab eis peccatum est, ab aliis quaerat.

6. Germanam pronunciationem iam tum ab ipso literarii aedificii uestibulo a discipulis suis praeceptorum quisque exigat, sitque huius rei diligens exactor, in illis praesertim literis pronunciandis, quae peculiari inuoluuntur difficultate, solentque magis linguam retardare, *ut x, et m, et t, in fine dictionum* [f]. Contextum igitur lectionis, quam uolet explicare, ab aliquo auditorum legi contenta uoce faciat.

7. In orthographia non minus industriae, quam in recte pronunciando, ponatur; ad quam rem non parum momenti accedet, si *bina aut terna compositionum themata magister* [g] palam emendare et leges orthographiae (sicubi neglectae sint) dicere *quotidie insueuerit* [h].

8. Legat etiam interdum codices exceptorios discipulorum, ut, recte ne scriptum sit inspiciens, laude aut uituperio stimulos diligentiae addat, quod ipsum etiam studiorum praefectus praestare aliquando deberet. Puncta etiam et incisa in periodis describendis a prouectioribus exigantur.

9. Harum literarum studiosi sibi persuadeant plurimum emolumenti in assiduis elaboratisque compositionibus esse positum: loquendi enim et scribendi usu, linguarum peritia *incredibiliter* [i] comparatur [j].

---

c *Additum:* frequenter. d *Correct.:* repetere.

e *Additum:* quamuis lectionum repetitio prima a prouectioribus est petenda. f *Deletum est.*

g *Correct.:* vnum aut alterum compositionis thema magister, omnibus attentis. h *Correct.:* subinde assueuerit.

i *Correct.:* mirum in modum.

j *Additum:* 10. Vt clara altaque voce omnes respondeant, ut a tota concione audiri possint, valde curandum est; sic enim et attentioni et silen-

11. Ne ea, quae multo parta sunt labore, obliuioni ex desidia dentur, curent magistri, non ea solum interrogando exigere, quae ipsa hebdomada docuerunt, uerum etiam quae iam pridem tradita sunt; ita enim fiet, ut intelligant discipuli nullum, non ignauiae solum, sed nec indiligentiae, locum esse relinquendum.

12. Suis auditoribus magistri plurimum commendent, ne minorem lucis ac perspicuitatis curam habeant in suis compositionibus, quam ornatus et elegantiae.

13. Optandum quidem esset, et in eo elaborandum, ubi id scholasticorum ratio ferre posse uideretur, ut mane ac pomeridiano tempore, antequam ad auditoria magistri descendant, discipuli praelectas lectiones relegerent, et quae iussi sunt ediscere, memoriae mandarent.

14. In classibus singulis ita omnes erunt inter se comparati, ut suum quisque concertatorem cognoscat, praeceptoris iudicio assignatum, ut, altero ad magistri iussum de studiis respondente, alter continuo assurgat, et si quid ille parum circunspecte dixerit, iste corrigat.

15. Assidua docuit experientia, plurimum studiis incommodari, si aut in inferioribus classibus ii libri praelegantur, qui superioribus magis conuenirent, aut in superioribus ii enarrentur, quos uel discipuli iam audierunt, uel suo possent marte intelligere. Magnum itaque fuerit operae precium libros certos assignare, qui certis classibus accomodari posse uideantur: inter eos igitur, qui in fine uniuscuiusque classis recensentur, ii eligentur, qui a Rectore et studiorum Praefecto magis pro re nata conuenire iudicabuntur[k].

16. Cum duo aut plura festa succedent, aliquid est commendandum discipulis, vt ediscant vel componant.

17. Qui literis humanioribus vacant, dominicis vel aliis constitutis diebus, alternatim, vel suae facultatis positiones tuebun-

---

tio plurimum consuletur. *Numeri 11, 12, 13, 14 et 15 sequentium paragraphorum erant ante correctionem, 10, 11, 12, 13 et 14 respective.*

[k] *Sequentes quatuor paragraphi sunt alterius manu conscripti: 16 et 17 sunt ab eadem manu exarati, quae praecedentes emendationes in hoc monumento notatas fecit; paragraphos 18 et 19 scripsit P. Ledesma.*

tur, vel se in componendo carmine aut soluta oratione exercebunt: siue id ex tempore, proposito ibidem themate, ad explorandam promptitudinem fiat, siue domi composita, de re prius proposita, illic publice legantur.

18. Compositionem emendatam in exceptorio codice domi decentibus characteribus describant discipuli, et qui graecis litteris uacant, graecam etiam lectionem, distantibus lineis, domi quoque transcribant; qui uero non vacant graecis, poëtae lectionem uel Ciceronis, ut inter lineas synonima ex ore praeceptoris excipiant, ac in margine ibidem, vel in albeolo separatim ab eo annotata excipiant. Domi itidem repetant lectionem cum synonimis et annotatis, quae sequenti die, ex libro typis excuso, memoriter, a praeceptore interrogati, reddant. Mandent etiam memoriae lectiones juxta cujusque classis gradum et ordinem in singulis classibus assignatum.

19. Diebus sabbathi mane in omnibus classibus, post lectiones recitatas memoriter, lectiones tota hebdomada auditas repetent et vesperi concertationes erunt.

Ihus.

REGULAE OMNIBUS IIS OBSERUANDAE,

QUI SOCIETATIS NOSTRAE SCHOLAS FREQUENTANT [3]

1. Qui literas discendi gratia ad gymnasia Societatis sese conferunt, sibi persuadeant, magis hic ad uirtutem et pietatem, quam ad eruditionem animos informari: quamuis in hac etiam comparanda multum operae poni debeat. Elaborent igitur, ut omni doctrinae ac disciplinarum cognitione animum erudiant: sed multo diligentius, ut uere sapientiae splendore, quae in uirtutum complexu continetur, mentem illustrent.

2. Omnes ad confessionis sacramentum singulis saltem semel mensibus accedant. Hora assignata quotidie missam audiant, et concionem diebus festis, cum ea habebitur.

[3] In codice *Miscell. de reg. S. J.*, sub num. 18, ff. 2-6, hujus capitis extat apographum, et etiam trium sequentium, scilicet: «Regulae correctoris, scholasticorum Societatis Jesu, et communes omnibus praeceptoribus».

3. Doctrinae christianae explicationi, quae singulis hebdomadis semel in collegio fiet, aderunt. Omnes etiam, praesertim pueri, doctrinae compendium ediscant, prout a praeceptoribus ipsis praecipietur.

4. Nullus ex nostris scholasticis gymnasia cum telo intrabit.

5. Abstineant a iuramentis, a contumeliis, uerbo uel facto irrogatis, a detractionibus, a mendatiis, a ludis uetitis. Ea denique omnia, quae turpitudinis aut dissolutionis speciem praeseferent, penitus fugiant.

6. Persuasum habeant, *eos* [1] qui tam in diligentia, studiis suis adhibenda, quam in iis, quae ad rectos mores pertinent, peccauerint, et quibus uerba bona et exhortationes non sufficient, praeceptoris iussu a correctore esse castigandos: eos uero, qui castigationis capaces non erunt, nec melioris frugis spem dederint, quique aliis offendiculo esse uidebuntur, a scholis nostris prorsus esse expellendos.

7. Rectori collegii et praefecto studiorum omnes, et suis quisque praeceptoribus obtemperent: et ordinem studendi, ab ipsis praestitutum, omni diligentia custodiant.

8. Serio et constanter animum ad studia applicent; in audiendis lectionibus sint assidui, et in eis praeuidendis diligentes; et postquam eas magister explicauerit, retractandis. In repetitionibus autem, si quid erit, de quo constituere ipsi inter se non possent, magistrum interrogent.

9. Magistrum autem hunc aut illum audire, et classem frequentare, suae electionis non esse intelligant; sed iis in classibus, et sub iis praeceptoribus erunt, quos praefectus studiorum ipsis, post examen, conuenire iudicauerit.

10. Eos, qui moribus prauis aut parum honestis sint, a sua familiaritate arcebunt: cum iis tantum amicitiam ac sodalitatem ineuntes, quorum exemplo atque consilio in ueris uirtutibus proficiant.

11. Puris et sinceris mentibus Deo Opt. Max. seruiant, di-

---

1 *Correct.*: omnes. *Haec et sequentes annotationes usque ad finem hujus scriptionis fiunt secundum exemplar, quod extat in «cod. Rom. stud, II»*, ff. 292-296.

uinae ipsius legi obtemperent, purisimae Virgini ac Dei genitrici, caeterisque Diuis sese affatim commendent: beatos spiritus, et *eum* [m] praecipue angelum, cuius custodiae subsunt, assiduis inuocent precibus. Eam denique in omnibus uitae actionibus moderationem exhibeant, ut quiuis intelligat, non tam eos literarum, quam uirtutum uerarum studiosos esse et amatores.

Ihus.

REGULAE CORRECTORIS

1. Rectori collegii, praefecto studiorum et magistris pareat, eorumque mandata diligenter persequatur, cum ad scholasticorum domos *mittetur* [n], ut ab eis, sub quorum cura sunt, intelligat, cur ad lectiones non uenerint.

2. Neminem sponte sua puniet, sed eos dumtaxat et ea moderatione, quos Rector, aut institutor in sua quisque classe iusserit castigare.

3. Non solum lectionum tempore scholis intersit, sed quoties scholastici conuenire debent, siue ad sacrum, siue ad conclusiones, seu ad quaeuis alia literaria exercitamenta, in quibus ipsius opera utilis esse posset.

4. Nullum prorsus a quopiam scholasticorum munus accipiat, nec se nimis familiarem cuipiam exhibeat, ne aliquid inde sibi necessariae libertatis decedat [o]: seueritatem potius moderatam ostendat.

5. Vitae ac morum integritate omnibus exemplo esse studeat: sacramentis confessionis et communionis semel saltem in mense conscientiam suam purget: ea denique omnia, quae de pietate ac modestia scholasticis per regulas a nobis commendantur, non minus se decere corrector arbitretur.

†

Ius. M.[a]

REGULAE SCHOLASTICORUM SOCIETATIS

1. Animae puritatem custodire, et rectam studiorum inten-

---

m *Deest hoc verbum.* n mittitur. o decidat.

tionem habere, scholastici conentur, nihil aliud in literis, quam diuinam gloriam et animarum fructum quaerentes; ad hunc enim scopum studia Societatis diriguntur; et in suis orationibus gratiam, ut in doctrina proficiant ad hunc finem, crebro petant.

2. Serio et constanter animum studiis applicare deliberent, sibique persuadeant nihil gratius se Deo facturos in collegiis, quam si cum ea intentione, de qua dictum est, studiis se diligenter impendant; et licet nunquam ad exercenda ea, quae didicerint, perueniant, illum tamen studendi laborem, ex obedientia et charitate (ut par est) susceptum, opus esse magni meriti in conspectu diuinae ac summae Maiestatis apud se statuant.

3. Iis facultatibus singuli operam dabunt, quas Superior utiles esse ipsis iudicauerit, eosque audiant praeceptores, quos idem Superior assignarit: ab eodem etiam uel a Praefecto studiorum rationem studendi datam perfecte obseruent.

4. Scholastici in audiendis lectionibus sint assidui, et in eis praeuidendis diligentes, et postquam eas audierint, repetendis: in quibus repetitionibus, si quid erit, de quo constituere inter se non possint, magistrum adeant.

5. Ex lectionibus, quae notatu digna erunt, in scripta referent, quo in posterum memoriae defectui consulatur; ad quam rem scholastici classium inferiorum libros papyraceos habebunt, si Superior conuenire iudicauerit, ut scribant in eis lectiones, et inter lineas et ad marginem, quod oportebit, annotent. Prouectiores uero in humanioribus literis et aliis facultatibus chartam secum deferant ad ea, quae audierint, uel eis occurrerint, notatu digna, annotanda: ac postea, maiori cum ordine digesta, transferent in libros papyraceos, quae in posterum conseruata uelint.

6. Intersint scholastici communibus scholarum, ad quas accedunt, licet non sint sub cura Societatis, disputationibus, ac singulare sui specimen in doctrina praebere, modeste tamen, curent.

7. Singulis dominicis uel aliquo alio die hebdomadae in collegio nostro aliquis ex quauis classe artium et theologiae studiorum a Rectore designatus, a prandio, si aliqua ex causa peculiari impedimentum non accideret, aliquas positiones tuendas susci-

piat, quae pridie eius diei, sub uesperum, ualuis *scholarum* [p] affigantur; quibus breuiter ab eo, qui responsurus est, confirmatis, argumentari ex domesticis uel externis licebit cuicumque libuerit.

8. Ei, qui praeest in disputationibus, ii, qui disputant, perfecte obediant.

9. Quotidianis disputationibus atque repetitionibus omnes intersint, assignato tempore aliquo praesidente, ut ea ratione et ingenia magis exerceantur, et difficilia, quae ocurrent, magis ad Dei gloriam elucidentur.

10. Artium et theologiae studiosi potissimum, sed et reliqui, suum habeant priuatum studium et quietem, quo melius et exactius ea, quae tractata sunt, intelligant; et in hoc priuato studio poterunt, si Rectori uidebitur, commentarium aliquem uidere, qui unus et selectus, quamdiu audiunt, esse debet: possent etiam scribere quod magis profuturum censeretur.

11. Absoluto studio alicuius facultatis, eandem priuatim repetere conueniet, authorem aliquem, uel plures quam prius, iuxta Superioris arbitrium, legendo. Poterit autem ex iis, quae ad eandem facultatem pertinent, si eidem Rectori uisum fuerit, in scripta breuius, distinctius et accuratius redigere ea, quae prius in lectionum decursu scripserat, cum minori doctrina praediti erat, quam peracto studiorum curriculo.

12. Qui literis humanioribus uacant, sua etiam statuta tempora ad conferendum et disputandum de iis, quae pertinent ad studia illa, coram aliquo, qui eos dirigere possit, habebunt: et dominicis uel aliis constitutis diebus, alternatim uel suae facultatis positiones a prandio tuebuntur, uel se in componendo carmine aut soluta oratione exercebunt, siue id ex tempore, proposito ibidem themate ad explorandum promptitudinem fiat, siue domi composita, de re prius proposita, illic publice legantur.

13. Omnes quidem, sed praecipue humaniorum literarum studiosi, latine loquantur communiter *(licet recreationis horis*

---

[p] *Deest hoc verbum.*

uernacula lingua licebit agere), et memoriae, quod a suis magistris *praescriptum* [q] fuerit, commendent; ac stylum in compositionibus diligenter exerceant.

14. Licebit etiam nonnullis, iuxta Rectoris arbitrium, praeter eos authores, qui praeleguntur, quosdam etiam alios priuato studio legere.

15. Singulis hebdomadis, die aliquo designato, unus ex prouectioribus a prandio orationem latinam aut graecam de re aliqua, ad edificationem pertinente, qua ad perfectiora in Domino animentur, habeat, ubi id fieri possit iudicio Superioris.

16. Post probationem, dum studiis uacant, ut est cauendum ne feruore studiorum intepescat solidarum uirtutum ac religiosae uitae amor, ita mortificationibus, *orationibus* [r] ac meditationibus prolixis eo tempore non adeo multum loci tribuatur; quandoquidem literis dare operam, quae syncera cum intentione diuini seruitii addiscuntur, et quodammodo totum hominem requirunt, non minus quam in illis uersari tempore studiorum, imo magis Deo Domino nostro gratum erit.

17. Praeter sacramenta confessionis ac communionis, ad quae octauo quoque die accedendum erit, nisi crebrius Superiori ex causa uideretur, et praeter missam, quam quotidie audient, tempus impendent orationi, examini conscientiae et meditationi a Superiore praescriptum.

18. Cum ad publicas scholas eundum erit, eant et redeant inuicem associati, cum ea modestia interiori ac exteriori, quae ad sui et aliorum aedificationem conueniat.

19. Eorum colloquia cum scholasticis externis sint solum de rebus ad literas uel ad profectum spiritus pertinentibus, prout ad maiorem Dei gloriam omnibus utilius fore iudicabitur.

20. Vltra duas horas nemo aut legendo aut scribendo labori incumbat, quin studium intermittat aliquantulo temporis interuallo.

---

q praeceptum. r *Desideratur hoc verbum.*

Ihs. M.ª

REGULAE COMMUNES OMNIBUS PRAECEPTORIBUS

AD PROFECTUM IN MORIBUS

1. Feratur praeceptoris peculiaris intentio, tam in lectionibus cum se occasio obtulerit, quam extra eas, ad mouendos discipulos ad obsequium Dei ac uirtutum amorem, et ut omnia sua studia ad hunc finem referant.—[Constitut.,] 4 Par., cap. 6.

2. Ante lectionum initium omnes cum praeceptore, aperto capite, se signo crucis muniant; et, ubi cum deuotione et edificatione id fieret, oratio etiam dicatur brevis, prout Prouinciali uidebitur: et finitis lectionibus, saltem in inferioribus classibus, preces etiam fundantur, genibus flexis, ante sacram imaginem, quae in omnibus esse debet scholis, ueneratiohis causa.—Ibid. cum sua declaratione.

3. Curent diligenter ut discipuli omnes in uirtutibus proficiant et moribus, utque regulas suas obseruent. Non exiguum ad probitatem momentum adolescentibus accedet, si sodalibus et amicis probis adhaerescant: facile enim ad teneros animos sodalium mores transeunt.

4. Vbi inter legendum sese occasio uirtutis comendandae aut uitii detestandi obtulerit, eam ne praetermittant.

5. Ea modestia authorum opiniones uersent, etiam cum reffellendae essent, ut neminem aspernari uideantur.

AD PROFECTUM IN LITTERIS

6. Intelligant praeceptores in omnibus, quae ad studia pertinent, sibi esse praefecto studiorum obtemperandum; quo inconsulto, nec authorem interpraetandum *suscipiant* [s], nec ullam nouam consuetudinem in scholam inducant.

7. Ingenio et captui suorum discipulorum sese praeceptores accomodent, eorumque profectui solicite inuigilent, et rationem ab ipsis frequenter creditae disciplinae reposcant.

8. In praeuidendis lectionibus sint diligentes, et *confer-*

[s] *Desideratur.*

ret [t] quidem, ut suo quidquam loco dicatur, totos praelegisse authores, si fieri id posset, prius quam publice eos enarrare inciperent. Alios etiam, qui idem argumentum tractauere, operae precium fuerit euoluere, ut, quod illis deest, mutuari ab istis possit.

9. Aliquos eruditione pares designent, qui sancta aemulatione se inuicem prouocent in scholasticis concertationibus.

10. In studiorum innouatione authorum, qui sunt interpretandi, nomina in ualuis classium inscribantur; possitiones etiam ibidem figantur pridie eius diei, quo sunt defendendae.

11. Si quid Superior admonendus circa studia uideretur, id facere ne praetermittant; nempe si quis ex scholasticis ad studia ineptus, si quis aliorum interturbator aut dissolutus esset.

12. Audito lectionum suarum signo, statim ad scholam se conferant, et tempore dessignato exeant.

13. Si quando impedimentum interuenerit quominus legendi munus praestare possint, tempestiue praefectum studiorum moneant, ut alius subrogari possit.

14. Nullum discipulum ipse praeceptor per se puniat, quantum fieri poterit; correctoris uero opera moderate utatur, seueritatem cum mansuetudine miscendo, modumque castigationis correctori constituat. Nullum ex iis, qui ad scholas ueniunt, cum mandatis quopiam mittent; aut eis aliquid imperabunt, quod ad studia et proprium profectum non pertineat [u].

COMMUNES ARTIUM ET THEOLOGIAE PROFESSORIBUS

15. Doctoris, quem prae manibus habent, mentem explicare, et deinde quaestiones, pro re praesenti necessarias, pertractent.

16. Ne authorum multitudine distrahantur, eos tantum legant, qui maxime idonei uidebuntur.

17. Eis opinionibus adhereant, eique doctrinae, quae magis

---

t confert.

u *Post hoc verbum, perperam addidit librarius in exemplo «cod. Rom. stud., II,» haec verba:* maiorem in modum laboret.

probata et *secura* [v] uidebitur, iuxta praefecti et superiorum sententiam.

18. Positiones a discipulis defendendas ipsi emendent, et praefecto studiorum uidendas mature offerant; ut ille, si quid mutandum uideretur, faciat.

19. Finitis lectionibus, dum discipuli eas reppetunt, praeceptor inde ne absit, ut rogari ab eis possit, si quid controuersiae de eis nascetur, et bini aut terni potius quam simul omnes eas reppetant.

COMMUNES PROFESSORIBUS HUMANITATIS

20. Ipsi praeceptores emendate latine loquantur, ut discipuli, quod imitentur, prae manibus semper habeant.

21. In quottidianis compositionibus discipuli exerceantur iuxta ordinem in singulis scholis praescriptum.

22. Cathalogum omnium discipulorum habeant, et per decuriones intelligant an semper lectionibus omnes intersint; erit autem decurionis munus aliorum decem curam peculiarem habere, ut absentes notet.

23. Praeceptores etiam, qui humaniores litteras docent, nec mane nec post meridiem ultra duas horas cum dimidia lectiones prorogent. Satis eis sit quinque integras horas quottidie in classe cum discipulis impendere.

24. Moneant magistri discipulos, ut non solum in publico gymnasio, uerum domi suae a lasciuis poëtis impuraque authorum lectione abstineant.

Ihus.

REGULAE PRAEFECTI STUDIORUM SOCIETATIS JESU,
QUI IN VNIUERSITATIBUS ERIT ETIAM CANCELLARIUS

[1.] Quae ad praefectum studiorum pertinent, in quatuor potissimum capita reduci possunt: primo enim loco de examine considerabitur; deinde de publicis actibus; 3.° de profectu scho-

---

[v] severa, *sed perperam in cod. Rom. stud., II.*

lasticorum omnium in uniuersum: postremo de magistrorum ac nostrorum fratrum regimine.

DE EXAMINE

Caput primum.

[1.] Ad curam suam praefectus pertinere sciat, facto periculo, explorare num illi, qui ad studia nostra ueniunt, idonei sint et digni qui admittantur: regulas etiam ac statuta obseruanda proponere; et postquam se eis parere uelle dixerint, decernere *quem* [x] quisque praeceptorem audire, quam scholam frequentare *debeat* [y].

[2.] Nomina eorum, qui admittuntur, in catalogum suum referat: in vniuersitatibus autem seruetur constitutio 4.[ae] par., cap. 17, n. 3.

[3.] Cum totius collegii cardo in examine uersetur, plurimum conferet si ea *aequabilitate* [z] scholastici examinentur, ne quis in ullo auditorio uersetur, ad quod ineptus uideatur; quin illud potius magna est contentione elaborandum, ut *egregios* [a] auditores omnes magistri suo quisque in genere habeant.

[4.] Nullus igitur admitti ad nostra studia debet, licet in dialecticis disputationibus alibi operam impenderit, de quo non fiat per examen periculum, ut debito in loco collocetur. Quod uero ad nostros attinet, constitutio 4.[ae] par. obseruetur, c. 6, n. 4; et cum de studio aliarum linguarum, praeter latinam, agetur, consulat Rectorem iuxta constitutionem eamdem, n.° 5, cum declaratione.

[5.] Examinis duo genera sunt: alterum singulare, cum ad nostra studia noui accedunt discipuli; alterum uniuersale, quod statis anni temporibus fieri solet. Omnes igitur humaniorum literarum auditores in fine anni examinandi sunt. In classibus praeterea inferioribus, medio anni tempore alterum examen fiet, quo non quidem de omnibus explorandum est, sed de iis dumtaxat, a quibus, iudicio praeceptorum suorum, speratur non ineptos repertum iri ad altioris classis promotionem.

---

x *Desideratur in altero.*
y *In altero*, debeant.
z *In alt.*, aequalitate.
a *In alt.*, proprios.

[6.] Ante examinis tempus, ingentibus honoris stimulis magistri discipulos excitent, hinc multum gloriae et utilitatis, si promoueantur, illinc non parum ignominiae, si repulsam ferant ob oculos ponentes.

[7.] Examen uniuersale hoc potissimum modo fieri debet. Singula dictata classibus singulis, uernacula lingua in latinum uertenda, proponentur. Caueri autem diligenter debet, ne quis inter componendum ab alio laborem suffuretur: themata uero nec maiora nec difficiliora esse oportet, quam scholarum ratio ferre posse uidebitur.

[8.] Compositionibus absolutis, non solum ipsi subscribent qui composuerunt, uerum etiam praeceptores, quid de singulis sentiant, et ad quam classem remittendos censeant, ibidem adscribent; persuadeant sibi interim magistri, nullum hic gratiae locum esse debere; multoque minus discipulis incommodaturum, si inferius, quam meritum est eorum, relinquantur, quam si *gradum unum supra uires efferantur* [b].

[9.] Hanc compositionem sequetur singulorum examen, quo, quantum quisque profecerit, inuestigabitur. Interrogari autem debent de iis omnibus, quae a praeceptoribus audierunt: tum demum eius, qui examinatus est, compositioni praefectus suum de ipso iudicium adscribet, et quamprimum, dum tenera memoria est, decerni debet, quam scholam sit auditurus, et secundum eam in catalogo reponetur.

[10.] Catalogum autem omnium classium cum praefectus asseruet, singuli praeceptores suorum discipulorum nomina ex eo transferant: et animaduertatur ne quis ad alienam classem scholasticus clam obrepat.

[11.] Cum medio anni tempore examinator aliquos transferre uult, cum praeceptoribus ipsorum rem conferre possit; ut maturiori consilio, quod expedit, constituatur.

[12.] Legendi scribendiue imperiti ad gramaticem discendam idonei minime iudicentur, sicut probe ac celeriter literas formare magnum est ad eandem compendium.

---

[b] *In alt.*, in gradum unum supra uires referentur.

DE PUBLICIS ACTIBUS

Caput 2.um

[1.] Praefectus studiorum sollicite curet, ut quae publice habendae sunt orationes, gymnasii totius dignitati et auditorum expectationi respondeant. Illa praesertim singulari industria est elaboranda oratio, quae de more in anniuersaria studiorum instauratione habetur; quae, cum in eodem propemodum argumento uersetur, ne fastidiri incipiat, noua aliqua artis ac dispositionis ratione condienda est.

[2.] In hac studiorum innouatione, quocumque tandem ea tempore peragetur, coniuncta cum religiosa moderatione, celebritas adhibeatur: epigrammata latino graecoque sermone, aenigmata ingeniose excogitata, orationes iam pridem praemeditatae et praeceptorum lima perpolitae, aulaeis, quae parietes ornabunt, recto ordine affigantur. Quae autem praeceptores fecerint epigrammata, ea discipulorum compositionibus permisceri non debent.

[3.] Eodem potissimum tempore diligentissimo cuiquam praemia magno iudicio dari deberent: tria primis tribus oratoribus; totidem iis, qui carmine uicissent *tum graece tum latine* [c]. Victores autem cum ingenti laude ad meritam uictoriae palmam, praeconis uoce palam inuitentur; eorumque capita laurea redimantur. His etenim gloriae stimulis, tum ipsi alacriores ad reliqua studia capessenda redduntur, tum illi, qui se praeteritos dolent, ne iterum tantum honoris discrimen adeant, discusso torpore excitantur.

[4.] In publicis actibus, atque adeo in singulis classibus, cum praefectus studiorum aderit, superioris locum habebit; studeat tamen praeceptorum autoritatem apud alios tueri.

[5.] Cum ad gradus [*sic*].

---

[c] *In alt. exemplo desunt haec quatuor verba.*

Quae ad profectum scholasticorum uidentur facere in omni scientiarum genere

Caput 3.m

[1.] Singulis diebus modo hanc, modo illam classem uisitet; et animaduertat, quanam ratione, tum in lectionibus, tum in litterariis concertationibus, magistri et discipuli sese gerant, et ut regulas suas, quas omnes praefectus ipse habere etiam debet, obseruent, elaboret. Cum autem admonendum aliquem duxerit, ea prudentia ac moderatione faciat, ut animos potius addat, quam debilitet.

[2.] Rogare interdum poterit decuriones, dum scholas uisitat num omnes adsint auditores, et per *correctorem* [d] aut alium causas inquiret, ob quas absentes non uenerint. Exhortari etiam scholasticos in gymnasio poterit, locorum personarumque ratione habita: grauiter iis ac perhumane diligentiam in studiis, in moribus candorem, et in omni actione modestiam instillet.

[3.] Quae omnibus scholasticis obseruanda sunt, in loco publico affigi curet: quae uero scholis singulis praescribuntur, in iisdem, ut commode legi possint, reponantur.

[4.] Curet etiam ut ea obseruentur, quae ex 4. par. Constit. et declar. ad studia pertinent, quantum collegii ratio feret.

[5.] Si quis Societatis desertor ad scholas ueniet, moneat Superiorem, ut quid sit faciendum constituat.

[6.] Ut explicetur doctrina xpiana. meminerit iuxta Constitutionem, 4.a par., *c. 16* [e], n. 2; et ut confessarii scholasticorum conscientiam examinare, orare, et cum spirituali fructu ad confessionem, sacram *synaxin* [f] et missae sacrificium accedant, eosdem instituant. Videat etiam ut ex magistris unus cum externis scholasticis missae intersit.

Quae nostrae Societatis scholasticos in studiis iuuabunt

Caput 4.um

[1.] Inspiciat quibus ex nostris priuatum studium utile esse

[d] eos, rectorem: *sic in alt. exemplo, errore librarii.*
[e] *In alt., sed male*, cap. 26. [f] *In alt.*, syntaxim (!).

uideatur, et quid legere quosque libros habere debeant, et Rectorem moneat iuxta Constitutionem, par. 4, c. 6, n. 14; et cum externis, quoad fieri poterit, idem obseruetur.

[2.] Separatus ab externis locus nostrae Societatis scholasticis in scholis sit.

[3.] Nullus ex nostris praeceptoribus plus duabus horis et semis ante prandium, et totidem pomeridianis, in gymnasio apud discipulos uersetur: absoluent igitur quotidie suarum *lectionum* [g] pensum, horis ad summum quinque.

[4.] Ut nostrae Societatis scholastici diligentissimi sint, enitendum est: et tum ad ipsorum profectum, tum ad externorum exemplum, seuerius caeteris examinentur. Multum habebit momenti, si compositiones illis priuatas domi dederit cum praesertim dies aliquot feriati interuenerint.

[5.] Si qui ex nostris alicuius rei cognitione aut exercitatione sunt destituti, ut graecae linguae aut poëtices, detur opera, ut ab aliquo perdoceantur, iis praesertim diebus, qui non sunt operarii.

[6.] Tam nostris magistris, quam iis discipulis, qui maiores in humanioribus literis profectus fecere, plurimum emolumenti accedet, si in spherae et cosmographiae cognitione operam non ignauam posuerint. Illud etiam animaduerti curarique deberet, ubi sine magna iactura fieri posset, ut qui ex *nostris* [h], artibus liberalibus aut theologiae student, nullum diem ex feriatis labi sinerent, quo unam saltem horam literis humanioribus non darent.

[7.] Meminerit ita studiorum regimen a se pendere, ut nihil, quod maioris momenti uideri possit, inconsulto Rectore, statuere debeat.

[8.] Curet igitur ut ordo studiorum, a Superiore praescriptus, maneat firmus; *et* [i] quemadmodum nullus autor interpretandus, se inconsulto, suscipi debet, ita ipse iniussu Superioris nullum permittet interpretari.

[9.] Ad praefecti studiorum curam pertinet, eos, qui in mensa collegii legunt, cum aliquid in accentu et pronunciatione peccatur, corrigere.

---

[g] *In alt.*, scholarum.
[h] *Desider. in altero.*
[i] *In alt.*, ut.

30

ANNOTATIONES

IN ORDINEM STUDIORUM HUMANIORUM, SEPTEM CLASSIUM, ET QUINQUE, ET TRIUM [1]

† JHS. MARIA

R.di admodum in Xpo. Patres.

HAEC VIDENTUR IN GENERE

In genere vtilia proponuntur non pauca in hoc Ordine studiorum: tamen desidero particularius pleraque perscribi de modo et ratione exercitationum singularum; nam, ut fateor ex illo ordine lucem non exiguam habiturum praefectum studiorum et magistros, tamen non puto esse eis satis, vel praefecto ad gubernationem studiorum, vel magistro ad suae classis moderationem. Arbitror enim non esse satis in uniuersum et generatim ordinem et rationem studiorum perscribere; sed particulatim oportere per singulas classes et singula earum exercitationum [a] genera, modum et rationem optimam magistro seruandam explicare, ad quod me hae rationes mouent.

1. Experientia, quam habui per tres annos in hoc collegio, cum fui praefectus studiorum, id semper desideráns et petens, et in aliis etiam collegiis, quae uidi, Societatis; nam ex huius rei defectu non parum in studiis accidebat incommodi.

2. Speculatio plusquam mediocris harum rerum per aliquot iam annos.

3. Consilia frequentia eorum praeceptorum, quos noui, et quidem optimorum, ut Perpigniani et aliorum, in hoc collegio: a quibus omnibus etiam in scriptis a praecipuis accepi quid sentirent.

---

[a] *In ms.*, *sed perperam*, exercitationem.

[1] Autographum P. Ledesmae in *cod. Rom. stud., I,* ff. 126-133, multis emendationibus castigatum. In superiori primae paginae parte legitur: «Ledesma».

4. Quia hae res sunt practicae, et in rebus practicis sermones vniuersaliores, ut ait Aristoteles, primo ethicorum, minus sunt vtiles.

5. Simile est in omnibus rebus et artibus mechanicis, si quis eam artem debet addiscere: nam oportet singula particulatim discat et videat in ipso artifice, etc.

6. Simile etiam hic accidit, ut in chyrurgia et medicina, in qua non est satis dicere, calidam exicare, humida emollire, etc.; sed dicere quomodo fiat emplastrum, et vt accipiatur aquae tantum, herbae huius, etc., et coquatur, etc., et vratur ita, et sic ligetur, etc. Simile est etiam de architectura, in qua non est satis dicere: fiat palatium seu aedificium, lucidum, et splendidum, et amplum, et ornatum, vel fiant optima cubicula, etc.; sed describere particulatim: sint haec fundamenta et tanta, hic sit tanta [*sic*]; portae tantae altitudinis et latitudinis: sic fenestrae, sic cubicula, et singula denique minutim eodem modo: alias profecto aedificium male aedificaretur, et manuarii artifices in pluribus aberrarent.

7. Sic non satis est dicere: sint assidui in declinando et coniugando, repetant, examinent lectionem, doceant, componant eleganter, etc.; sed oportet particulatim et per singulas classes, quid cuique conueniat, perscribere in singulis eius exercitationibus, ut: seruetur talis modus declinandi, talis conjugandi, talis docendi et examinandi, etc., optimum quod uideatur perscribendo: nam profecto, ut caetera adsint, si hoc desit, multum fructus deperibit, et nunquam habebimus quod desideramus, sed laborabimus semper. Fateor haec perscribere non esse facile, nec nisi experti et qui omnia considerarit; tamen non ideo, non sit vtilissimum et necessarium: et sane id pro viribus praestitimus in ordine, quem exhibemus, septem classium, in quo, ut spero, si dignentur legere, non pauca reperientur vtilia et ad Dei gloriam.

8. Neque satis est putare, si magister sit doctus vel praefectus, haec eos cognituros et seruaturos; nam secus res accidit, ut cotidiana experientia docuit. Imo, quo doctiores, eo periculosius est, nam discedunt a recepta consuetudine, et nouam ipsi inueniunt, specie recti decepti saepe, et proprio solent tenacius abun-

dare juditio; sed neque in omnibus nostris collegiis tam multi sunt docti, qui haec possint penetrare et cognoscere et recte obseruare.

PARTICULATIM CIRCA SINGULA

ANNOTATIONES IN ORDINEM STUDIORUM HUMANIORUM

DE STUDIIS HUMANIORUN LITTERARUM

1. (semper sint quinque): adderem, ubi fieri possit commode.

(et haebraica): non uidetur expedire ut rhaetores, uel ii, qui uacant humanioribus, audiant hebraica.

5.A CLASSIS

Ante omnia oporteret dici: haec classis tot habet ordines: in primo ordine fit hoc, in secundo hoc. In primo scilicet ordine, declinationes et conjugationes: in secundo, rudimenta octo partium: in tertio, concordantias. Aut uero quod praestantius esset, hunc tertium cum secundo conjungendo, ut simul utraque docerentur.

1. (legendi et scribendi ignari): dicerem, nisi bene legere, et scribere saltem mediocriter, nouerint, non admittantur.

2. (etiam dificilia): potius omittendum, quia id rarum esse debebit.

(Nomina facile copulare, etc.): haec obscure dicuntur, neque apparet quod genus exercitationis praescribat.

3. (Rudimenta, etc.): oporteret dicere cui ordini scholasticorum hoc conueniat; an uelit omnibus conuenire illius classis, quod non conuenit, an alicui tantum ordini.

(nominum genera): non videtur ullo modo in ea classe id expedire: sed neque ab vno magistro tam multa praestari, sine aliorum ordinum scholasticorum detrimento, posset commode.

4. (et inde compositionem): non debent componere in ea classe; ac si qui deberent, ii esse deberent tantum, qui tertii ordinis [sunt,] idque in fine, cum jam sunt discessuri ad quartam.

6. Paucioribus verbis dici potest.

7. (Prouectiores huius classis): dicerem, tertii ordinis; reliqui juditio magistri intra eandem classem ascendent.

8. (de doctrina xpiana.): etiamsi in ea fiat examen, non tamen impedire debet ascensum, si in litteris uidetur idoneus, quamuis eam ignoret; siquidem in sequenti quoque classe eam debet addiscere.

Oportuit prius admoneri eos, in hac classe cotidie semel lectionem doctrinae paruae xpianae. debere eos recitare memoriter.

HORARUM DIUISIO

Dicerem (Horarum et exercitationum) vel (temporis et exercitationum hujus classis distributio); et idem in caeteris classibus sequentibus.

Parum temporis esse uidetur duae horae cum dimidia. Expediret modum aliquem reperire, in quo, ante magistrum saltem, vtiliter occuparentur discipuli.

1. (recitandis memoriter lectionibus): dicatur quibus lectionibus, tam in primo, quam in secundo ordine eius classis, aut uero etiam in tertio.

2. (Horam vnam in declinandi et coniugandi exercitatione): per mediam declinandi et per mediam coniugandi.

(non erit necesse): semper id est necesse in hac classe, imo et in sequenti paulo minus: neque esse uidentur alia, quae sint magis captui tunc eorum accomodata.

3. Oportet dicere quid tunc faciet alter ordo, vel ordines, utpote declinabunt apud se vel transcribent, etc., an vero omnes audient; quod tamen non expedit.

4. (institutor): dicerem, magister, ne uideatur noua alia persona a magistro.

Videndum, an in nostro collegio compositio mattutina fieri possit per alias occupationes, ut doctrinae xpianae., exhortationis die veneris, etc.; et an in Italia probetur: quod et in hac et in caeteris classibus uidendum erit.

A prandio [b].

1. Dicatur quibus lectionibus, et qui ordines, quas, ut supra.

2. Non expedit ita relinquere quatuor illa exercitia indeterminato tempore, pro arbitrio cuiusuis magistri; nam saepe contingerent abusus.

3. (nominum genera): in hac classe non expedit doceri, vt dictum est.

Ita commode, vt videtur, distribuerentur hae exercitationes: per mediam declinent, per mediam conjugent, per mediam in octo partibus orationis et concordantiis exerceat.

Item, oportet dicere quid tunc alius ordo uel ordines acturi sint.

4. (quas conferentias dicunt): dicerem, seu conferentiis; non enim id vocabulum apud omnes receptum est, ut possimus affirmare sic ab aliis dici.

Item, deest quid acturi sint die sabbathi, tam primus, 2.[us], quam tertius ordo, mane et vesperi, an idem, an repetent lectiones et quomodo.

Item, quid diebus dominicis et festis, aut semel saltem in mense, etc.

QUAE AD HANC CLASSEM QUINTAM, ETC.

1. Haec ad magistrorum potius regulas spectare videtur, aut ad omnes classes in communi, quam ad hanc quintam classem.

2. (Assuescant pueri): dicerem, doceant magistri et exerceant sic pueros.

Item explicandus modus, quo modo hoc fiet.

3. (Nec semper): at frequenter; quod etiam admonendum videretur; nam illud, quamuis faciendum, tamen rarius, ordine scilicet discontinuo coniugare.

Item examini, hoc magis conuenit, quam declinandi modo.

Item, quintus esse deberet pro anomalis [c].

---

[b] *In ms., non recte*, Mane.

[c] *Perperam ante hanc periodum scriptus fuit numerus* 4.

Item, simili ratione, vno die per primam declinationem, secundo per secundam, tertio per tertiam, etc., sexto per anomala quoque et alia, de quibus in ordine septem classium diximus, de modo declinandi et conjugandi vtiliori.

4. [d] (minimae multae): dicendum, vel nullae: vel si quae sint pro prouectioribus, sit vna aut altera tantum oratio actiuae vocis.

Item, oporteret dicere modum dictandi eis thema, et componendi, et corrigendi: qui longe diuersus esse deberet ab aliis classibus, nempe puerilis, de quo in sexta classe de septem classibus.

5. Addendum videtur: et sit semper bene moratum thema.

8. Oporteret indicare docendi modum puerilem et vtilem.

Itaque puto necessarium, ut singilatim explicetur in hac classe modus omnium exercitationum eius; nam pendet ex hoc ut maiorem fructum faciant tribus mensibus quam vno anno. Modus uidelicet:

1. Discendi memoriter.
2. Recitandi.
3. Repetendi lectiones.
4. Examinandi.
5. Docendi { rudimenta. / concordantias.
6. Dictandi themata et componendi.
7. Declinandi, concertandi et conjugandi.

De quibus, in ordine septem classium, quae optima uidebantur, diximus in classe septima et sexta.

QUARTA [CLASSIS]

4. (His succedat syntaxis): non succedat, ut uidetur, sed concomittetur; atque eo maxime, quod jam hi norunt concordantias, imo, vt volebat, composuerunt jam, scilicet per aliquot primas syntaxis regulas. Quare alias sequeretur tribus iis mensibus, quibus explicantur genera, eos in compositione impediri et remorari, nec vlterius progredi in compositione, cum possent. Item, quia si postea auspicaretur paruam syntaxim, fortasse non posset eam absoluere ad finem semestris, et ita perturbarentur classes et mutationes.

---

[d] *In textu pro 4 habetur 5, sed male. Paulo inferius scripsimus numeros 5 et 8, pro 6 et 9, qui etiam perperam scripti fuerant.*

6. (loquendo et scribendo latinam sibi linguam): maiora haec uidentur, quam pro hac classe; nam scribere hic solum congrue hujus classis est finis; loqui uero communia quaedam classis tantum, quae frequenter occurrunt, poterunt, et auditis vti tantum phrasibus.

Item, oporteret dicere: qui admittuntur ad hanc classem.

Item, quanto tempore in ea manent aut fiunt mutationes, et quando recipit, an singulis tribus mensibus, an singulis sex. Item, quae discunt memoriter. Item, quod doctrinam xpianam., saltem ter, recitabunt in hebdomada.

HORARUM DIVISIO

Mane.

3. Videtur nimium tres quartae: satis est media hora.

4. (Lucubrationes emendavit): oportet, praeter hanc priuatam emendationem, publice vnum vel duo themata corrigere: hoc ergo posset fieri illa quarta, quam ex lectione ademimus.

Post meridiem.

1. (supinis aut syntaxi): et syntaxi.

2. (praeteritis aut sintaxi): et syntaxi.

3. (paulo minus hora vna): nimium hoc est pro generibus nominum, aut declinationum aut praeteritorum lectione: satis superque satis est media hora, et pro syntaxi media similiter, et media altera exercitationis in eadem.

(quas praeceptor repetet): dicerem clarius: haec repetet singulis tribus mensibus; nam forte nullos recipiet ante finem semestris.

(et iis absolutis): imo eodemmet tempore.

Item deesse uidetur pars aliqua temporis destinata ad coniugandum, quae necessaria videtur, saltem mediae horae cotidie. Imo etiam ad declinandum, simul cum examine lectionum, omnia scilicet Ciceronis nomina, et nonnunquam in syntaxis exercitatione.

Item, deest quid aget die sabbathi, tum mane, tum pomeridiano tempore.

Item, quid diebus festis seu dominicis, aut semel saltem in mense, etc.

Item, de doctrina xpiana. discenda.

Item, quo tempore [e] fiunt mutationes, recipit aut emittit.

QUAE HANC QUARTAM CLASSEM, ETC.,

3. (uertendis aliquot Ciceronis): hoc genus exercitationis non tam pro schola ipsa, quam ut haec domi aliquando faciant, subseruit, ut cum plures dies festi, etc.; vel ut raro aliquando, ut interim magistro detur otium, vel, ut antequam magistri ad scholam accedant, ipsi faciant discipuli, vel ad priuatum studium, cum quis magistro caret publico; sed juuaret etiam tunc, rursus in latinum ex vulgari sequenti die conuertere, et deinde cum ipso Cicerone conferre propriam compositionem.

Vtilius uidetur multo pro exercitio cotidiano, et pro classibus, praesertim inferioribus, ut ipsi discipuli frasses aliquot colligant ex auditis lectionibus cotidie, idque domi, ut repetitionis tempore in classe referant interrogati.

(Compositionem magnificare): non assequor quid velit; an vt magister verbis laudet, an ut curam in ea re magnam adhibeat: dicerem clarius.

[4.] (eas sententias vulgari idiomate): non satis, ut uidetur, explicatur: an vt phrases aliquot, excerptas ex ipso Cicerone, magister dictet, quod uidetur faciendum; an vero ut in exercitatione syntaxis offerat vulgari sermone eas phrases, statim a discipulis latine reddendas, quod etiam est vtile et faciendum; sed desiderarem dici clarius.

5. (latine explicare): nimium id est pro hac classe; sed vulgari sermone reddent synonima et ordinabunt litteram: imo sensum lectionis in initio vix aut ne vix quidem, ut uidetur, poterunt vulgari sermone dicere, nedum latine; sed post vnum aut alterum mensem dicent sensum vulgari sermone.

Circa finem uero semestris forte possent duobus aut tribus

---

e *In ms. legitur:* quando tempore.

verbis latine sensum lectionis reddere, et vnum aut alterum forte synonimum latine.

Item, in hac classe necessarium arbitror quarundam exercitationum modum, illi conuenientem, perscribere magis particulatim, praesertim horum. Nam ex modo, ut dixi, pene omnia pendent. Perscribendus ergo modus exercendi in generibus, declinationibus et praeteritis, etc.

Modus exercendi in syntaxi parua.

Modus docendi syntaxim et genera.

Modus docendi epistolas Ciceronis, isti classi conueniens, et dictandi, quae etc.

Modus dictandi themata et componendi, scilicet, datis ciceronianis vocabulis, etc.

Modus concertandi et disputandi, tum cotidie, tum diebus sabbathi et dominicis caelebrius.

De quibus omnibus, in ordine septem classium, in quinta classe, ea, quae optima nobis uidebantur, diximus.

TERTIA CLASSIS

1. (unius saltem anni spacio): si per annum manere oportet; aliter deberet haec et sequens classis constitui: nam hoc modo, uel non poterit recipere circa medium annum, vel oportebit habere duos ordines diuersos et diuersarum lectionum pro illis, quod non expedit, ut clarius postea apparebit.

3. (Praecepta... de conscribendis epistolis): non docenda in classe, sed obiter aliquando; si ibi essent per annum mansuri, circa anni finem aliqua verbo tenus essent tantum dicenda inter enarrandum epistolas Ciceronis, et quidem breuissima et paucissima, vel cum thema epistolae dictaret proprio marte componendum, assignatis quibusdam locis, admonere posset, illud esse genus epistolae exhortatorium, etc.; et oportere hoc et hoc facere, etc.; nihil aliud. Si uero per medium annum, quod uideretur comodius ob uarias rationes, nullo modo essent tradenda in ea classe.

A prandio.

2. (aliis sex poëtae): uidetur clarius dicendum, primo scilicet medio anno, tam mane quam vesperi, legendus Cicero; sequenti medio anno, mane Cicero, vesperi poëta cum syntaxi, si tamen hoc uult.

3. (deinde syllabarum quantitas): non indicatur an etiam primo medio anno legenda, an sequenti semestri.

Igitur de collegii uniuersalis Romani studiorum ordine et ratione acturi sumus, de quo cum dixerimus, de tota studiorum ratione satis dixissem arbitrabimur, cum in eo omnes ferme facultates doceantur.

Progrediemur autem hac methodo et ordine: vt prius de ipsa studiorum ratione et ordine agamus; deinde de officiis diuersarum personarum, et earum regulis ad haec munera praestanda. De ipsa uero studiorum ratione, prius in litteris, deinde in pietate et moribus. In litteris autem tum primo singularum facultatum distinctione et ordine particulatim progrediemur, tum postea communia quaedam omnibus facultatibus et toti collegio communia referemus.

Jam vero in singulis facultatibus hic ordo seruabitur, vt prius linguarum studii ratio, rursus scientiarum describetur; linguarum autem, primo latinae linguae, seu litterarum humanarum studii; et de hoc quidem tum in communi, tum singilatim per omnes classes grammaticae, humanitatis ac rhetoricae; secundo graecae linguae; ac vlterius demum hebraicae et arabicae. Sed de latinae linguae studio, in communi, haec et isto ordine dicenda uidentur: Quot classes, et qui libri in eis legendi; quot horis, et quibus diebus docendum; quae et quot litteraria exercitia, et quis in eis modus; quibus tandem libris juuabuntur et vtentur, tum magistri, tum discipuli, ad haec omnia praestanda. In singulis uero classibus, quae exercitia cotidie, mane et vesperi, diebus sabbathi, diebus festis, ac caeteris remissionis studiorum diebus cum aliis.

Erunt ergo libri omnes quinque. Primus de linguarum studio, ratione et ordine. 2.us De scientiarum seu facultatum aliarum studii ratione. 3.us Communia quaedam omnibus facultatibus et toti collegio tractabit. 4.us Quae ad pietatem et mores spectant. 5.us et vltimus. Regulas et officia ad haec omnia munera praestanda continebit.

Sed jam de singulis facultatibus dicamus: ac primo latinae linguae, id est, in humanioribus, si primo breuiter connumeremus quot facultates, et in eis quot classes et professores sint in collegio Romano referamus.

CAPUT 4

QUOT FACULTATES, ET IN EIS QUOT CLASSES ET PROFESSORES

Docentur ergo in collegio vniuersali Romano omnes pene fa-

cultates et scientiae, demptis medicina et jure ciuili; nam jus canonicum, quamuis non doceatur, sed tamen doceri non repugnat; imo forte utile esset, et fiet aliquando. Docentur, inquam, humaniores litterae, in quibus linguae latinae grammaticae quidem classes quinque, humanitatis vna, et altera rhetoricae, in qua professores duo, sicut in infima, in qua totidem. Item graeca lingua, cuius duo quoque professores, licet alter idem sit qui humanitatis. Item hebraica et arabica. Rursus liberalium aliarum artium cursus, nempe dialecticae, philosophiae naturalis et prima et secunda, seu metaphisica, tribus classibus ac tribus annis. Docetur quoque moralis philosophia. Item mathematicae omnes disciplinae. Tandem theologia, tum quae dicitur scholastica, tum positiua, et praeterea casus conscientiae; et nonnumquam etiam fidei controuersiae contra haereticos nostrae aetatis certis diebus, uel ab iisdem uel a diuersis professoribus. Professores omnes numero sunt decem et octo plus minus. Docetur mane tribus horis et vesperi totidem plus minus, praeter alia exercitia, certis diebus constituta.

Sed de humanioribus jam, ac primo in communi.

ORDO STUDIORUM IN HUMANIORIBUS, GRAMMATICA, RHETORICA, ETC.

IN COMMUNI

CAPUT 5

QUOT CLASSES IN HUMANIORIBUS ET QUALES MAGISTRI IN EIS SINT PRAEFICIENDI

Septem sunt classes: quinque grammatices, una humanitatis, alia rhetoricae: forte decem: quinque et quinque, gradu differentes.

Magistros autem esse oportet et doctos et bonos, et qui authoritate ualeant, dexteritate et experientia, aut certe ingenio plus quam mediocri. Item, hoc maxime erit obseruandum, vt ii magistri praeficiantur classibus quibusuis, qui possent docere etiam in superioribus, et quorum facultas longe superet, quod necessarium est aut satis ad eam classem, in qua praeficitur; nam ita scholastici multum proficient, aliter parum: non enim quod satis

est inspiciendum erit, sed quod vtile, expediens et optimum. Itaque etiam in infima omnium praeficiendus erit magister, qui non solum bene et expedite latine loquatur, sed qui posset docere in prima grammatices, aut certe 2.ª, et in caeteris simili proportione: atque ita florebunt studia. Atque hoc ualde notandum.

CAPUT 6

QUI LIBRI LEGENDI

Ex grammaticis, Codreti rudimenta emendata, Guarini syntaxis correcta, uel alia similis melior.

De declinationibus, regulae aliquae, quae fiant.

De generibus et praeteritis Despauterii, uel eadem prosa oratione.

De octo partibus, Lilii Angli libellus, uel syntaxis alia melior.

De arte metrica, Despauterius, uel alia breuior Conimbricensis.

De utraque copia, libellus Andreae Frusii, uel eiusdem argumenti melior.

Ex rhetoricis, rhetorica ad Herennium, uel Ciceronis de inuentione, aut forte Cypriani rhetorica pro classe inferiori; pro superiori uero, partitiones Ciceronis, uel libri de oratore. Item, nonnunquam extra ordinem topica, et alia eius opera rhetorica, aut Quintilianus, uel Aristoteles ad Theodecten.

Ex oratoribus, Ciceronis omnia opera; sed ex philosophicis, demptis de natura deorum, de diuinitate, de fato, de legibus et academicis quaestionibus, nisi forte raro; vt et declamationes Quintiliani aut Saenecae, aut Liuii conciones raro.

Ex historicis, Salustius et Caesar frequentius: item *aliquando* T. Liuius; et nonnunquam Suetonius, Cornelius nepos, Justinus aut Valerius Maximus, sed raro, nec diutius.

Ex uariis aliis auctoribus, etiam raro Plinii naturalis historiae liber aliquis, Pomponius Mela, tragediae Saenecae, epistolae Plinii iunioris, aut similes.

Ex poëtis, Virgilius, dempto 4 lib. et aliqua ex aliis non ita honesta, Horatius correctus, Martialis correctus, Ouidii aliqua, ut fasti, de Ponto, de tristibus; et ex libris metamorphoseos forte

aliqui, in quibus nihil turpe. Plauti aliquot comediae, ut Trinummus, Menegmi, et [*sic*]. Caeteri poëtae non legentur.

Item, pro infimis classibus, epistolae selectae Ciceronis, doctrina Catonis et distica; forte Michaël Verinus aliquando, sed raro.

In graecis, grammatica Clenardi, fabulae Aesopi, Isocrates, dialogi mortuorum Luciani, et alii eius dialogi forte, non ita impii; Demostenes, Homerus. Item, nonnunquam uel Pindarus, uel epigrammata graeca, uel Hesiodus; et prosae orationis, uel Xenophon, uel D. Chrisostomi aut D. Gregorii Nazianzeni aut D. Basilii aliquot orationes uel opuscula; sed haec omnia raro.

CAPUT 7

QUIBUS DIEBUS DOCENDUM ET QUANTO TEMPORE

Diebus faestis et dominicis, ac plerisque aliis diebus, ante uel post faesta celebriora, et tempore uacationum non docetur, ut exponitur in catalogo dierum [a], quem habemus, sicut et tempore remissionis studiorum, ipsa quoque studia remittuntur.

Item, semel in [h]ebdomada, die mercurii uel jouis, nisi duo festa in illa inciderint, uesperi non docetur, sed mane tantum per duas horas, a prima classe tantum grammatices usque ad ultimam inclusiue. Caeteris omnibus diebus omnes docent per tres fere horas mane et per totidem uesperi, ut in catalogo horarum habetur.

CAPUT 7.bis

QUAE EXERCITIA LITTERARIA, ET QUOT, ET QUO ORDINE

Puerilia quidem exercitia pro infimis classibus erunt haec; declinare, coniugare, efficere concordantias, recitare lectionem memoriter, repetere lectionem auditam, examinare lectionem auctoris, examinare in regulis et praeceptis lectis grammaticae, dare orationem aliquam italicam, ut statim reddant latine per actiuam, pasiuam, per modos uarios et tempora, etc.; deinde alteram et aliam, etc. Item, ut unus alium corrigat; item disputare per in-

[a] *In margine, P. Ledesmae manu:* Nota. Cathalogus hic esset describendus.

terrogationes, se inuicem interrogando; *item, ternos vel quaternos distributos vicissim repetere lectiones eius diei, vel praecepta antea audita; item, sic distributos vicissim declinare et conjugare*; item, thema paruulum dare, ut domi componant, datum postea corrigere; item, ut domi scribant lectionem, quam sunt audituri. Sed ex iis omnibus praecipua exercitia inferiorum classium sunt 4.^or^: declinare; 2, coniugare; 3, concordantiae; 4, compositio per species uerborum, quae sunt fundamenta omnium, quae postea sequentur, ut si haec bene norint scholastici, multum et facile postea proficiant in moribus.

Exercitia uero aliarum classium superiorum erunt haec: docere lectionem, et audire, et recitare memoriter lectionem auditam, et memoriae mandare, eam repetere, examinare lectionem lectam, dictare aliqua; item, exercere in regulis et praeceptis auditis scholasticos *grammatices vel rhetorices*, dare themata, componere, corrigere composita, idque graece et latine, carmine et prosa *vertere; item, docere more magistri auditam lectionem; item, nonnunquam ex latino in graecum, et ex graeco in latinum; item ex latino, vt Ciceronis epistolam in italicum, et postea ex italico in latinum,* habere orationes, uel recitare carmina; declamationes publicae et priuatae, disputationes, praemiorum conferendorum celebritas, et aliae litterariae exercitationes, ut aliquando exhibere dialogum uel comoediam, affigere uarias compositiones per totum impluuium, constitutis qui defendant, ab aliis quibusuis impugnandi, ut consueuit Lutetiae, etc. Ex his autem quaedam erunt priuata et in ipsa classe, alia publica et extra classem coram aliis: et priuata, alia quotidiana, alia certis diebus, vt sabbati, diebus festis aut dominicis paulo celebriora, et dies quo intermittuntur lectiones in hebdomada, uel aliis diebus uacationis, cum contingunt. *Cotidiana uero fiunt hoc ordine: mane, primo recitatur memoriter; 2, repetitur praeterita lectio; 3, examinatur; 4, docetur, dictatur, et simul excipitur et repetitur praesens lectio; 5, examinatur uel distributi repetunt: vesperi haec eadem; et 6, dictatur thema; 7, corrigitur praeteritum et simul datum componitur. Sed in his singulis dicamus modum, qui servandus videtur.*

CAPUT 8

modus in singulis his exercitiis seruandus, ac primo in puerilibus

Modus declinandi est: primo, ut recitent nominum declinationes, quas didicerunt, interroganti, uel integrum nominatiuum, uel per casus, aut unus unum nominatiuum, alter alterum: secundo, declinare ad illorum formam nomen unum datum, ut nauta sicut musa; uel duo nomina simul, ut nauta bonus, sicut poëta et sicut dominus; aut nomen compositum, cujus altera pars non uariat, ut senatusconsultum, uel cuius pars vtraque uariat, ut respublica; et tam substantiua quam adiectiua unius, duarum uel trium terminationum, masculina, foeminina uel neutra. Atque hoc idem uno ex tribus modis: uel interrogante magistro, uel se inuicem discipulis interrogantibus aut se corrigentibus, aut per binarios, ternarios uel quaternarios distributis, uicissim data eis a praeceptore nomina declinent; et, uno declinante, caeteri librum intueantur, ut cum erret *qui dicit, alii* corrigant. *Hic modus vltimus satis iuuat scholasticos, et emulationem excitat, et dat requiem praeceptori, ne semper ipse loqui cogatur interrogando.*

Modus coniugandi erit per modos singulos singuli, uel per tempora, ut ordine sequantur sicut sedent, uel modo hunc, modo alium distantiorem, uel modo hoc tempus unius modi, modo aliud tempus alterius interrogando; sed hoc rarius; et in caeteris prorsus eodem modo, sicut de declinatione nominum diximus: duntaxat, ut quemadmodum illic nomina, ita hic uerba inflectantur; tum ipsas coniugationes, quas didicerunt, repetendo, tum alia uerba data ad earum normam; atque in initio quidem similia similis praeteriti ac supini, ut aro, aras, ad formam amo, amas; relego, relegis, ad formam lego, etc.: deinde difficiliora diuersorum praeteritorum aut supinorum.

Modus exercendi in concordantiis est is, qui habetur in tertia parte rudimentorum Codretti. Explicetur hic, si sit opus hic modus, *accepta illinc concordantia substantiui et adjectiui, relatiui et antecedentis, nominis et verbi.*

Sed id fiet ita, ut unus solus surgat interrogatus, uel ut

omnes surgant, in eodem scamno *sedentes,* uel modo hunc interroget, modo alterum distantem, petens in quo iste errauit, quid dictum est, quid dicebatur, quo pacto ipse respondebit, etc., ut omnes sint attenti; et proponat rectas concordantias frequenter, raro autem etiam malas, ut earum uitium agnoscant, ut homo bonas, quae concordantia est? etc. Petet autem utrum sit bona concordantia, et cur; et explicent singula, *redditis regulis,* quare ita se habeant, utpote quia est nominatiui casus, accusatiui, pluralis, etc.; et quia adiectiuum et substantiuum conueniunt in his, etc.

Modus examinandi lectionem authoris erit, interrogando pueros de singulis uerbis et nominibus et particulis, in ipsa lectione positis, quae pars orationis illa sit? et si nomen, in quo casu? cuius generis? cuius personae, speciei, *et quod nomen?* etc.: *ac si sit* uerbum, in quo tempore? in quo modo? quod uerbum? cuius speciei? etc.: et in omnibus reddendo regulam grammatices, quam didicerunt, cur ita sit? Item, in contextu orationis, quae concordantia, et cur? quae constructio? et quidem declinando et coniugando singula uerba et nomina authoris, *et notando etiam praeteritum et supinum et significationem.*

In praeceptis uero et regulis grammatices auditis erunt etiam examinandi quomodo illas intelligant, ut reddant sensum, dent exemplum, et ut uideat an eas memoriter teneant. Item, oblato exemplo a magistro, an ipsi cognoscant, petere quid illud sit, etc. In toto examine iubeat clamare pueros alta uoce et clara, ut ab omnibus intelligantur, et sint attenti, sicut in repetitione lectionis. Idem fieri oportet in caeteris exercitiis puerilibus. Si opus esse uideatur, praescribatur etiam modus.

CAPUT 9

MODUS IN EXERCITIIS TUM ALIARUM CLASSIUM SUPERIORUM, TUM IN OMNIUM COMMUNIBUS, AC PRIMO DOCENDI MODUS ET DICTANDI

Non plura doceat, quam ferre possint scholastici, nec nimis pauca; sed nec nimis praepropere aut nimis lente; nec ad pompam, sed ad utilitatem scholasticorum doceat; et in initio anni ac mutationis scholasticorum se demittat ad captum eorum, qui

nuper accedunt; paulatim postea poterit assurgere usque ad perfectum gradum suae classis.

In lectione artis explicet clare praecepta, et afferat exempla quae illustrant, et haec quidem propria, et apta, et elegantia; praeceptum explicatum repetat aliquoties, tum eisdem, tum aliis uerbis, et etiam exempla posita, uel aliis etiam additis de nouo. In lectione uero authoris, in prima quidem lectione poterunt breui haec explicari post aliquam praefaciunculam, si eam ferat illa classis: nomen authoris; uita illius, coniuncta cum ejus laudibus, vt alliciat scholasticos; titulus libri; argumentum eius, seu materia de qua tractat; partes eius; vtilitates etc., breuiter.

Postea in singulis lectionibus: primo, facto signo crucis, post lectam unam aut alteram periodum, clare ac distincte et cum emphasi exponet argumentum aut sensum latine, uel uernaculo sermone, aut utroque, pro ratione classis, in genere exponendo quid dictum fuerit, et quid sequatur in praesenti lectione. Secundo, accedat ad singulas periodos, et primo quid in eis agatur dicat; rursus paraphrasi sensum reddet; deinde ordinabit litteram, uel latine sinonimis idem significantibus plus minus, uel frases frasibus aliis reddet, uel uernaculo sermone ordinabit litteram, singula uocabula singulis reddendo, uel iis omnibus modis simul-ac, uel prius uernaculo sermone, uel prius latine, prout scholasticis magis uiderit expedire. Tertio, notabit uerborum significationes, et differentias uocabulorum, et ethimon, metaphoras: item notet frases et dicendi modos, et figuras, et tropos; totam denique sermonis structuram et compositionem, quae et qualis; demum, tum in singulis uocibus, tum in orationis contextu omnia ea, quae solent notari, considerabit; quiuis tamen magister proportione ad captum suorum auditorum, ut postea in singulis classibus referemus. Atque haec in uocibus.

At uero in rebus notabit argumenta, eorum genera, et loca unde desumpta sunt, et inuentionem, et iudicium, ordinem ac dispositionem, totum denique artificium rhetoricum. *Interim etiam meminerit admiscere aliqua ad bonos mores spectantia, sumpta occasione ex lectione, vbi sese offerat.* Item, oportebit nonnunquam historias referre, aut antiquitates uel fabulas, uel interim etiam

aliqua philosophica; sed non sit in iis fabulis uel philosophicis nimius: interim etiam meminerit admiscere aliqua ad bonos mores, sumpta occasione ex lectione, vbi sese offerat.

Ex aliis quoque poëtis et ex aliis auctoribus afferre poterit epigrammata, sententias, egregia aliqua dicta uel acuta, aut nonnunquam festiua et laeta cum moderatione, citra dissolutionem: commiscebit interim, sumpta occasione, aliqua ad pietatem et bonos mores: demum aliqua alia ad rem spectantia et discipulorum utilitatem. Non expedit autem percurrere prius totam lectionem, ordinando literam, praesertim si sit longior, aut exponendo sensum proprium periodorum, et deinde notare rursus ab initio per singula; sed miste, ut diximus, per periodos.

In poëtarum enarratione, tum haec erunt notanda, tum quae sunt propria poëtarum, etc. 2. In historici lectione hic modus: explica. 3. In orationibus Ciceronis hic modus: explica. 4. In praeceptis artis rhetoricae hic modus: explica. Postremo tandem poterunt dictare discipulis aliqua ex iis, quae uidebuntur scitu digniora, ut argumentum uel sensum lectionis, differentias aut significationes uocabulorum, frases, antiquitates, epigrammata, artificium, etc.; sed tamen succinto sermone, et multa paucis complectendo, ut facile possint haec ab scholasticis excipi. Poterit autem dictare, aut in fine lectionis, aut miste, docendo per singulas periodos, uel non dictare; sed tamen ita docere, ut possint excipere scholastici, et interim admonendo notatu digniora, omnia pro ratione uniuscuiusque classis atemperando.

Si quid dictetur, iubeat postea ut unus alta uoce legat dictata, quod commode fiet circa finem lectionis, cum repetitur lectio ab scholastico, aut nonnunquam statim post singula dictata. Non uidetur autem insumendum plus temporis in dictando, quam quarta aut quinta pars eius, quod durat lectio, ut summum.

CAPUT 10

MODUS REPETENDI LECTIONES

Modus repetendi lectiones erit, interrogante magistro quem uolet uel totam uel partem lectionis, et unum scholasticum uel plures: expedire autem uideretur, ut in inferioribus classibus le-

ctio quaeuis repeteretur ter a tribus diuersis scholasticis, et a singulis integre, aut per medietates plus minus a diuersis; in superioribus uero classibus satis esset bis repeteretur uel semel. In repetendo autem tria fiant: primo, explicabit scholasticus sensum latine aut italice, ut poterit: secundo, accedens ad periodos singulas, et ordinabit literam latine per synonima, uel italice, si nescit latine, aut unus scholasticus italice, alter peritior latine: tertio, quae excepit notata uel dictata, referet ex scripto, ut excepit, ut alii tunc corrigant eadem, si notarunt; alia, quae non fuerunt dictata, memoriter referat. Cum repetant uero postero die eandem lectionem, dicent tunc dictata memoriter, non ex scripto. Qui uero repetunt, poterunt ordine, ut sedent, repetere, sed frequenter hinc inde interrogando.

Non uidetur autem expedire ut bini, terni uel quaterni repetant diuisi et uicissim. At in priuatis domibus, uel finitis lectionibus, hortandi erunt ut seorsim uel cum socio repetant.

Rursus in fine hebdomadae, die sabbati, omnes lectiones semel repetuntur eodem modo.

CAPUT 11

MODUS EXAMINANDI LECTIONEM

Modus examinandi lectiones post lectionem repetitam, quamuis in superioribus classibus non admodum conueniat, tamen hic esse poterit aliquando rarius, ut circa proxime praeteritam lectionem, aut uero alias praeteritas eius diei, uel aliorum proximorum interroget uarios illa eadem, quae ipse notauit aut dictauit, quae supra diximus. Item, ut reddat sensum illius uel alterius periodi. Aliqua difficilior constructio, si quae sit, aut noua, aut inusitata, aut egregia etc.; artificium; denique omnia, quae supra diximus, notari. In inferioribus uero classibus, quis modus sit examinandi, diximus supra.

CAPUT 12

MODUS RECITANDI LECTIONES

Modus recitandi lectiones memoriter quadruplex uidetur, sed unus optimus. Primus est, ut ante lectionem proxime futuram,

cum primum magister classem ingreditur, omnes recitent singillatim, idque singulis diebus, tam mane, quam, cum eandem prorsus lectionem omnes recitant, uesperi, apud ipsum magistrum; idque alta uoce, ut omnes audiant, uel demissa uoce, ut solus magister audiat; et quidem ita ut, in suis locis sedentes, pueri recitent ordine, ut sequuntur, uel iubeat magister uenire ad se aliquot, et, iis auditis, rursus alios.

Secundus modus esse posset, ut ipse magister ante lectionem, extra classem obambulans, audiret; qui tamen modus nostris scholis non uidetur conuenire, sicut nec ut recitent aliis temporibus, uel post lectiones.

Tertius modus esse posset, ut esset coadiutor, quem dicere solent conrepetitorem, qui audiret discipulos recitantes antequam magister accederet ad classem.

Quartus modus est, ut, postquam magister audiuerit aliquot ex classe, eosdem iubeat in eius praesentia audire alios, et ipse quoque pariter alios audiat, modo hos, modo illos; uel deligat aliquos, qui semper audiant alios; uel nunc hos, nunc illos eligat pro libito.

Quintus modus est, ut magister binos simul audiat utrinque, alterum ad dexteram, alterum ad sinistram, recitantes uel eandem, uel etiam diuersam lectionem.

Sextus modus est, ut simul recitent quinque uel sex et eandem lectionem, ipso magistro audiente. Quod si quem uiderit tardiorem in recitando, uaccillantem aut errantem, quod facile deprehendet (ut ipsa experientia ostendit), iubeat tacere; et, postquam didicerit, cum aliis recitabit: et quanuis hoc apparet factu difficile, tamen fieri potest, ut comprobat experientia.

Septimus modus est, qui in infimis classibus, 5.ª et 6.ª, non uideretur incommodus: ut magister, cum primum classem ingreditur, ante lectiones, singillatim (ut diximus) omnes audiat; sed tamen ita ut qui recitat ferat compositionem thematis, mane quidem iam correcti et bene transcripti, uesperi uero thematis tunc post lectiones corrigendi, quam magister uideat eo ipso tempore, non ut corrigat tunc, sed ut uideat scripturam, et eius diligentiam, et ortographiam, etc. Sed alter puer, ex altero latere, cum

libro eius lectionis adsit, qui quidem, cum errauerit is, qui recitat, emendet, ut magister sic admoneatur, an ille sciat lectionem; et partim quoque poterit esse attentus, uel simul inspiciens thema datum, uel uicissim. Atque hic modus, quamuis apparet difficilis, tamen experientia ostendit esse facilem et cum fructu scholasticorum.

Octauus modus, ut in fine hebdomadae omnia recitent, quae tota hebdomada memoriae mandarunt, et in fine secundae omnia, quae in prima et secunda didicerunt memoria, et in fine tertiae omnia, quae in tribus; et ita perpetuo, saltem usque ad quatuor hebdomadas uel quinque; recitabunt autem per partes, ordine ut sedent, unus lectionem unam, alius aliam, uel per medietates, etc. Hic modus in praeceptis grammatices, ut rudimentorum et regularum syntaxis Guarini, et generum ac praeteritorum, multum iuuabit in classibus inferioribus.

Nonus modus est huic octauo similis, praeterquam quod fit quotidie, ut semper discipuli recitent uiginti aut 30 lectiones iam lectas per partes, ita ut magister incipiat ab eo, quem volet, et caeteri dicant ordine alta uoce; nonnunquam uero, intercepto ordine, aliunde incipiet, ab alio, inquam, scholastico distantiori. Incipit autem hoc pacto: post primam lectionem, eam recitant per partes duo aut tres, et rursus eandem alii tres similiter, et iterum alii tres, et ita omnes. Rursus post secundam lectionem, similiter ambas recitant, singulas duo aut tres per partes, ut diximus. Post tertiam lectionem recitant similiter omnes. Similiter post quartam, quintam etc., usque ad praedictum numerum 20 aut 30 lectionum: deinde, cum plura docentur, praeterita relinquunt post certos terminos, nec plus temporis insumitur hoc modo recitando per partes singuli singulas, quam si unam solam lectionem sigillatim omnes discipuli recitarent, ut experientia ostendit. Hic modus uidetur aptus, ut discipuli memoriam confirment [eorum] quae didicerunt, utque hoc modo recitentur poëtae lectiones per singula carmina aut regulae praeceptorum: forte etiam authorum aliorum lectiones per singulas periodos. Postrema uero lectio repetatur integra a singulis ter, et semper ita fiet. Item mane recitantur matutinae lectiones praecedentis diei, ue-

speri uero uespertinae; ac quidem, si duae uel plures erunt recitandae, si sint paruae ambae, simul a singulis recitentur, ut in inferioribus classibus septima et sexta, et forte 5.ª; sin longiores, unam prius omnes, deinde rursus alteram omnes; et ita medio tempore scholastici praeparabunt recitandam lectionem.

Item, expediet ut iterum recitent magnis lectionibus quae iam didicerint, idque absoluto aliquo libro, uel bene magna aliqua parte authoris perlecta, uel praeceptorum. Quod quidem in classibus infimis erit necessarium ut, gratia exempli, postquam didicerint coniugationem uerbi amo, aut omnes coniugationes, rursus ab initio eadem magnis lectionibus reddant; et ita in caeteris, praesertim praeceptis rudimentorum syntaxis, generum et praeteritorum.

Ultimus modus, ut diuidat magister classem totam per decurias, constitutis iam locis singulis ad sedendum, et singulis praeficiat singulos decuriones, qui non solum audiant suas decurias recitantes, sed etiam sint sindici magistri, hoc est, referant post recitationem ad magistrum quis nesciuerit lectionem, aut male recitauerit; et qui pluries errauerit 4.ºr, aut abfuerit, uel tarde uenerit, aut non interfuerit sacro, aut non audiuerit doctrinam xianam., qui in classe inter docendum immodeste se gesserit, et caetera, quae in discipulis erunt notanda cum lectionem audiunt, uel extra classem. Ipse uero magister nullos audiat, sed lustret omnia, et uideat, num bene decuriones suo fungantur munere, et alii quoque recitantes: poterit interim nunc paulum hunc audire coram decurione, modo alterum. Audiet etiam ipse nonnunquam, quos suspectos habet aut putat negligentiores; ipsum uero decurionem audiet unus alius eiusdem decuriae, ad id similiter destinatus. Itaque cum primum classem ingreditur magister, incipiant singulae decuriae recitare: mutabuntur autem decuriones singulis hebdomadibus, uel singulis quindecim diebus, et noui constituentur. Hic modus uidetur omnium optimus; nam breuissimo tempore omnes recitabunt, quamuis sit ingens numerus auditorum; et omnibus pene classibus aptissimus uidetur praeterquam omnium ultimae, scilicet infimae, et illi proximae nostrae, uidelicet scholae septimae,

et forte etiam sextae, quibus primus potius modus uidebitur expedire.

CAPUT 13

QUAE ET QUOT MANDABUNTUR MEMORIAE, NON SOLUM LATINA, SED GRAECA, QUI GRAECE AUDIT, ET QUO MODO

Mandabunt autem memoriae tum praecepta omnia, quae leguntur, tum ex aliis authoribus lectionem unam uel duas, quas praeceptor quotidie legit, uidelicet epistolarum Ciceronis, poëtae, uel orationis Ciceronis potissimum.

Modus mandandi memoriae erit tum in classe, praesente magistro, submissa uoce, dum alii recitant, tum extra clasem domi, antequam ueniant ad scholam, aut antequam ueniat magister, in ipsa schola, tum diebus, quibus docetur, tum etiam festis, si uidebitur aliqua eis discenda designare, sicut et componenda. Augebit autem numerum linearum paulatim certis temporibus, quae mandabuntur memoriae, prout uiderit discipulos profecisse et ferre posse; augebit tamen tunc singulis uicibus parum, ut, gratia exempli: si recitabant quatuor carmina, recitent post quindecim aut uiginti dies quinque, et sic consequenter, ut docet Quintilianus per temporum interualla esse augendum. *Juuabit etiam plurimum noctu post coenam semel aut bis legere lectionem, paulo ante quam eat cubitum, vt matutino tempore postea facilius discat; ac idem faciet, si quid jam didicit memoriter mane recitandum, semel aut bis, paulo ante quam cubitum eat, dicat memoriter.*

CAPUT 14

DE THEMATIS

QUAE, QUALIA, QUANTA ET QUO MODO DANDA THEMATA, SEU DICTANDA, ET QUOTIES

Themata sint consentanea praeceptis artis, quae quotidie legit, aut etiam lectis antea: item, accommodata quoque authoris lecti frasibus, uel praesentis lectionis, ut in inferioribus classibus potissimum, uel aliarum etiam lectionum, ut in superioribus. De iis autem rebus dictabuntur themata, plus minusue aut

similibus quae habentur in catalogo, de hac re conscripto, R. P. Natalis [1], mihi dato. In genere autem dici potest, ut themata omnia uel epistolarum, uel orationum aut aliarum exercitationum, *uel ad mores informandos spectent, uel de rebus agant familiaribus communis uitae, uel etiam (quamuis non semper) de rebus quoque spiritualibus aliquando: nunquam tamen de iis, quae possint ullo pacto nocere; sed* sint pia, honesta et religiosa, non prophana, aut fabulosa, aut secularia, aut ridicula, aut irrisoria. Possunt autem et debent dari themata de uirtutibus, aut contra uitia, de affectibus, cupiditate, ira, odio, timore, spe, dolore, uoluptate, pro et contra: de bonis uel malis huius uitae et corporis externis, uel animi, et alterius quoque uitae, et gloriae uel inferni: de praeceptis seu praecepto aliquo morum; uel proposita egregia aliqua sententia, aut prouerbio, aut dicto philosophorum: de historiis aliquibus tum sacris sacrorum bibliorum, tum ecclesiasticis, tum etiam etnicis, sed piis et honestis: de aliquo egregio et insigni facinore et exemplo: de laudibus sanctorum, dictis aut factis ipsorum: item, epistolarum familiarium argumentum, et similia alia.

Item, in compositione carminum, nostri sint poëtae xpiani., et non componant more ethnicorum, inuocando musas, Driades, Nereides, Calliopem, Apollinem etc., aut caeteros deos uel deas gentilium: imo ne nominando quidem, nisi irrisionis gratia aut reprehensionis, cum reuera illi fuerint daemones; ut, inquam, abstineant ab hoc ethnicorum more.

Longitudo aut quantitas sit pro ratione classis cuiusque, ut postea exponemus, et lente dictet, ut possit excipi; et postea dictatum discipulus legat alta uoce, ut caeteri corrigant, si in aliquo errarunt.

Thematum autem uaria genera esse possunt, quae quidem hic breuiter referemus, quo ordine augentur in magnitudine ac difficultate et grauitate. Minimum quidem erit unius concordantiae, uel unius orationis actiuae uel passiuae, uel una aut duabus aut tribus tantum periodis contentum, pro classibus inferio-

[1] Hunc catalogum inter scripta PP. Ledesmae et Natalis reperire non valuimus.

ribus. Pro superioribus uero rursus paulo fusius thema, ut epistolae et earum uaria genera, et quidem uel dictata uulgari sermone, ut reddant latine, uel proprio marte composita. Dein laus aliqua uel uituperium alicuius rei, uel personae: item, descriptio alicuius rei, personae, ciuitatis: item, narratio aliqua facti, historiae, exempli, fabulae; nec solum scripto sed etiam uoce. Item, singularum partium orationis compositio, ut exordii tantum, uel narrationis tantum, uel confirmationis, etc. Item, sententiae quaedam insignes, subiectis rationibus ipsarum, ut eas ornent et eloquantur discipuli. Item chrya, quorum tria genera, dictum, uel responsum, uel factum, defendendo illud, aut oppugnando, aut amplificando; de quibus Quinct., lib. I, cap. 9. Item, uersus soluere, et mox, mutatis uerbis, interpretari, et paraphrasi uertere eos uel exornare, aut amplificando, aut etiam abreuiando, saluo poëtae sensu. Demum orationum et declamationum themata pleniora, ac quidem assignatis locis a magistro, uel sine locis, dato solo themate; et primo quidem exercendi erunt in generis demonstratiui orationibus, deinde deliberatiui, et judicialis, omnium difficilioris.

Sunt quidem et aliae grauiores exercitationes pro peritioribus, ad perfectiorem eloquentiam comparandam, e quorum genere est: ut, causa aliqua posita, consimili earum quae in forum uersantur, quam maxime ad ueritatem accommodate dicere. Item, ut, uersibus quam maxime grauibus positis, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria posset comprehendere, eam rem ipsam verbis aliis quam maxime lectis scribere ac pronuntiare. Item, proposita aliqua Ciceronis oratione, eius artificio prius optime cognito, in simili alio argumento similem orationem componere, similis exordii, similis narrationis, similium rationum, similium figurarum, troporum, etc. Item, aliam orationem componere eiusdem prorsus status et causae, sed diuersis utendo rationibus, ac diuerso artificio et figuris, etc., contendendo esse Ciceroni aequalem, quamuis ad illud non perueniat. Item, contrariam causam defendere aduersus eundem Ciceronem; uel si defendit ipse, accusare, sem[per] contendendo ad aequalitatem uel similitudinem, quamuis non accedat. Item, graecas orationes

summorum oratorum, ut Demosthenis, et Isocratis, et aliorum, latine reddere; et tam eleganter id efficere conetur, quam alter graece praestitit; vnde poterit pleraque imitari, quae noua sint, dummodo idonea traducantur ad latinum sermonem, atque ita illum uarie locupletare. Ex tempore etiam dicere tentandum erit, et ea quae diximus omnia, si per facultatem licet, tum latine, tum graece, tum carmine, tum prosa, praestare, et alia de quibus Quintilianus, lib. 1, a cap. 4 vsque ad cap. Accipe.

CAPUT 15

MODUS CORRIGENDI THEMATA

Modus corrigendi themata uarius uidetur, sed unus tamen optimus uidetur. Primo, ut, uno tantum alte legente, magister corrigat, caeteris audientibus; ac quidem, si errarunt etiam ipsi, corrigant, quae a magistro emendantur; deinde legat alter, et alius, etc., eodem modo sigillatim quos possit; reliqui uero omitti, poterunt; sed nunc hos, nunc illos, corriget diuersis diebus. Posset etiam assignari coadiutor, qui post lectiones ibidem alios corrigeret, aut accepta themata, domi ipse uel alius corrigeret priuatim, et emendata postea discipulis daret.

2.us modus est, ut priuatim apud magistrum singuli deferant themata, et uel ipse legat et corrigat tacite, eo solum audiente qui corrigitur, uel, discipulo legente et praeceptore caracteres inspiciente, ut hoc pacto etiam corrigatur ortographia.

3.us modus est, vt unus legat etiam alte per periodos, et alii discipuli, si eodem modo composuerint, taceant; sin uero alia frasi usi sunt, dicant publice, ut a magistro etiam approbetur uel reprobetur. Postea magister constituat quo pacto dicendum; et ita per singulas periodos, uel per singulas partes periodi totum thema corrigat: atque hoc pacto fiet, ut simul omnia emendet, uno themate emendato.

4.us modus parum ab hoc differt; ut, scilicet, unus legat et, si quidem recte fecerit, approbet; cum uero errat, alios discipulos ipse interroget, ut ipsi corrigant, uel melius dicant.

5.us modus, ut per partes corrigat singulos, unius periodum

unam, alterius alteram, alius aliam, etc.; idque uno ex praedictis modis.

6.us modus non longe differt a quinto; ut, uidelicet, iubeat 3 simul aut plures, qui in uno scamno sedeant, et unum illorum iubeat legere alta uoce: postmodum alii duo tantum, qui simul surrexerunt, dicant si quid diuersum habent ordine, et ita unam corrigat periodum; postmodum iubeat alios surgere alterius scamni, et alterius, etc., usque ad finem thematis dati.

7.us modus is est, ut prius magister uideat omnium themata eodem tempore, quo ipsi recitant lectiones, ad eum modum, quo supra exposuimus in modo recitationis septimo; tunc notando plus minus errata ipsorum; postea uero, cum debet corrigere, iubeat unum thema, uulgari sermone datum, legere per periodos, et alter[um], quod composuit latine; statim quoque per singulas periodos ipse emendet non solum errata illius qui legit, sed etiam ea, quorum memoratur plus minus ex iam uisis compositionibus, admonens quosdam in hoc errasse, et quosdam in alio, etc.; ac dicet quo pacto debeant scribere. Notabit etiam in difficilioribus uocabulis ortographiam; et haec fient omnibus aliis scholasticis tacentibus et emendantibus. Postero die cogentur reddere mane emendata themata, bene scripta, praecedentis diei, ut exploret diligentiam, et num corrigant, etc.; atque hic modus simul cum illo 1.° modo recitationis non uideretur ineptus pro infimis classibus, praesertim quinta, et sexta fortasse.

8.us modus est is, *qui uidetur optimus: est cotidiana themata, primo corrigantur unum, duo aut tria praecedentis diei; deinde dictetur nouum; tertio, dictatum alte legitur ab uno scholasticorum, vt errores scripturae, si qui sint, corrigant; tandem statim ibidem* in classe componant quotidie per horam uesperi, postrema hora, uel melius fortasse mane, ita ut intra eam horam paulo plus dictetur, componatur, transcribatur etiam, et detur praeceptori, uel per decuriones colligantur a singulis decuriis; atque eodemmet tempore themata praecedentis diei reliqua, singulos uocando ad se priuatim, ipse corrigat, uel legente praeceptore, uel discipulo, ipso tamen inspiciente, caeteris uero omnibus tacentibus et componentibus in magno silentio. Semper tamen

unum aut alterum corrigetur publice, antequam proponatur nouum thema; et in iis, quae priuatim corriguntur, satis erit emendare barbarismos et soloecismos *et orthographiam: in eo uero, quod publice corrigetur, non solum haec, sed elegantioribus phrasibus singula frequenter reddendo, et corrigendo quoad artificium et — — — o in — — — —* [a]

Item, dabitur extraordinaria compositio longior singulis mensibus, *et ad eam* detur totum tempus ante meridianum uel pomeridianum; quo tempore nihil praelegetur, sed compositio loco erit praelectionis, *et corrigetur similiter alterum illi respondens;* ac tam in iis, quam in aliis quotidianis, seruent sibi scholastici alterum, et alterum dent, scilicet, transcriptum. Poterit praeceptor, si plus quam constituto tempore immorentur, domum ire, his relictis, commissa cura thematum decurionibus, ut dent ianitori, et is det sua cuique praeceptori, quod facile fatiet, si superscripta sint et ligata. Titulus erit: Prima classis, 2.ª, 3.ª, etc. Atque haec ratio componendi, emendandi, colligendi seruandique themata, fortasse est omnium optima, et in omnibus scholis ubi fit compositio, *et ita, vt eadem omnes hora componant in omnibus classibus.*

Item, detur etiam semel aut bis in mense longior alia compositio, quam domi componant, quae corrigetur extra ordinem alio tempore; et, correcta, poterit unus eam recitare die dominico aut festo.

9.us modus, qui uidetur optimus, non dissimilis a quibusdam superioribus, uerum ex illis quodammodo mistus, est autem is: Ut in inferioribus classibus usque ad primam grammatices, primo dictetur thema uulgari sermone, sequenti die componendum; deinde compositum corrigatur per singulas periodos, aut etiam periodi partes, idque uno ex discipulis legente prius uulgari sermone datum, deinde altero discipulo latine compositum, idque, ut diximus, per periodos singulas alta et clara uoce. Magister uero primo emendabit errata ipsorum, admonens discipulum, deinde etiam reddet latine eleganter singulas periodos.

---

[a] *Fere integer versus legi nequit, charta corrosa.*

Inspiciet etiam caracteres legentis latine, et habebit rationem orthographiae in emendando, ut ea quoque corrigatur cum uiderit errasse; ac praeterea in difficilioribus quibusdam uocabulis, ubi uidet aut timet labi discipulos aut falli, publice omnes admonebit. Atque hoc pacto, uno emendato themate, emendabit deinde alterum etc., quam multa emendari constituto tempore possint; ac caeteri eo tempore sua quique themata pariter emendabunt, in quibus magister legentem correxit. Postremo tandem totum thema latine, ut omnes scholastici excipiant.

In omnibus autem his classibus hoc potissimum spectatur, ut grammatice componant sine errore constructionis, praeterquam in prima, et nonnihil etiam in 2.ª classe, in qua habetur ratio elegantiae ex obseruatione solum, quamuis non ex praeceptis.

Ad explorandam autem diligentiam discipulorum in corrigendo, expediet ut proprias compositiones emendatas, et bonis caracteribus conscriptas, *in aliquo albeolo ad id comparato, in quo uidelicet themata excipit,* sequenti die mane praeceptori ostendant; nam et hoc pacto discent etiam bene et emendate scribere, *et magister certior fiet eos themata correxisse: et discipuli ipsi quoque, easdem compositiones ibidem asseruando, temporis progressu, sui etiam profectus rationem hoc modo intelligent. Atque hoc in quouis correctionis modo ex dictis obseruandum videtur.*

Item, poterit uti alio strattagemmate, ut, finita emendatione, iubeat, quem uelit, legere alte tunc emendatum thema, ut sic omnes conentur corrigere cum magister emendat.

In classibus uero superioribus, nempe duabus, rhetorices et humanitatis, in corrigendis thematis id tantum obseruabitur, ut a magistris emendetur non solum barbarismus aut solecismus, sed etiam si quid improprie dictum, durius, minus apte etc., uideatur: item, frasis totius ac elegantia sermonis. Emendetur praeterea artificium, quando minus recte eo usi sunt, idque tum in partibus orationis singulis, tum in inuentione, tropis et figuris, etc. Demum styli ipsius maxima cura et ratio habenda; et in singulis proprium cuiusque stylum alat, augeat ac perficiat, aut in melius mutet, uitiosa tollat. Corrigetur autem compositio, aut ipsomet magistro legente, aut, si hoc graue iudicatur, discipulo

ipso legente alta uoce, caeteri autem discipuli attente audiant et animaduertant, quae dicuntur aut notantur a magistro; *laudeturque et extollatur, qui caeteros scribendo superauerit.*

Correctio uero thematum durabit per horam plus minus in omnibus classibus.

CAPUT 16

MODUS DISPUTANDI, PRAESERTIM DIEBUS FESTIS ET DOMINICIS, ATQUE ETIAM, SI UIDEBITUR, DIE SABBATI NONNUNQUAM

Disputandi modus scholasticorum esse is poterit, qui fuse habetur in chathalogo exercitiorum dierum festorum: in genere autem dici potest, ut in inferioribus quidem classibus fit, ita ut unus aduersus alterum opponat contra se inuicem, uel duo aut tres pluresue aduersus totidem; socii uero se adiuuent in respondendo, ut cum primus nesciat, 2.us dicat, etc. Quod si interrogati nesciant, is, qui interrogat, recte dicat, ut possit dici uicisse.

Modus autem disputandi erit per interrogationes ac responsiones: interrogabunt autem ex praeceptis et authoribus auditis, praesertim eius hebdomadae uel mensis: item, ex notatis a magistro in lectionibus, ea praesertim hebdomada; item, ex praeceptis aliis auditis in praecedentibus classibus, gratia exempli: petent concordantiam, uel proponent orationem uulgari sermone, quam reddant statim latine; item, petent phrases aliquot a magistro notatas, loca difficilia lectionum, uerborum significationes aut proprietates, quas audierunt; etiam praecepta grammatices; et obiicere etiam aliquid contra illa, ut exceptionem; denique aliqua a praeceptore dicta, uel in lectionibus et authoribus habita, petere, vel aduersus ea obiicere; *item, poterunt nonnunquam ob emulationem excitandam inferiores superiores lacessere: item, omnes alii aduersus eos disputare, qui in prima decuria sedent, vt, si vicerint, loco deturbent, et ipsi post ibidem sedeant.*

Item, poterunt duo simul sustinere, et caeteri opponant et uicissim respondeant; sed cum vnus nescit, alter adjuuet. Item, solet eis esse iucundum et gratum quoddam disputandi genus, *quod quidem classibus superioribus potius erit accommodatum,*

videlicet: ut binaria duo accipiantur, quatuor scholasticorum fere aequalium in doctrina; et primi binarii unus aduersus alterum uicissim sibi opponat, singuli uero duobus mediis, duobusque interrogationibus, altera ex praeceptis, altera ex authore agent: deinde iudicio praeceptoris definiatur uter sit uictor. Rursus similiter certent duo alii 2.[i] binarii: postea demum uictores ipsi duo secum similiter certent, ut unus tandem sit omnium uictor, qui palmam obtineat. In classe uero rethorices aut altioribus aliis, tum ii qui sustinent, tum ii qui opponunt, praefaciunculis in initio utentur, carmine aut prosa; et, si opus est, etiam assertiones conscribent rhethoricas qui defendent: obiiciant autem reliqui, tum alia, tum maxime circa ipsa praecepta rhethorica aliqua; uel petentes ex iis, quae dicta sunt, ut exponantur aut causa, uel statu proposito, petere cuius generis causa, quis sit status etc.; de quibus plenius *habetur* in cathalogo exercitiorum literari[or]um dierum festorum.

Nota. Cathalogus exercitiorum litterariorum hic inserendus videretur, ubi alia varia exercitia connumerantur, quae habes.

CAPUT 17

DE HABENDIS ORATIONIBUS DIEBUS FESTIS CARMINE AUT PROSA

Videtur plurimum conferre ad studiorum feruorem, ut diebus dominicis, atque etiam diebus festis, saltem celebrioribus, haberentur a rhetoricis ac ab humanioribus orationes, tum prosa tum carmine, in laudem illius Sancti aut festi, etc.; uel denique de iis rebus, de quibus supra diximus dictanda esse themata. Possent etiam recitari epigrammata ante, et post proponi aenigmata, *tum priuatae declamationes in suis classibus, seu orationes pro et contra,* et similia alia: atque haec quidem singuli in suis classibus, et nonnunquam inferiores accederent ad superiores. Quod si duae classes essent fere aequales, possent alternis ambae conuenire, modo in una, modo in alia, uel *post medium annum rhaetorica et humanitatis alternis*. Cum uero diebus dominicis aut festis habetur lectio in ecclesia nostra aut concio a prandio, tunc exercitia literaria solum durabunt ante lectionem ecclesiae ha-

bendam, deinde ducantur scholastici ab ipso magistro ad ecclesiam ad locum, qui eis destinabitur ad eam audiendam: quo uero die non sit lectio in ecclesia pomeridiana, poterunt protrahi exercitia literaria diutius: pueris tamen inferiorum classium trium relictis in schola, qui exercebuntur in doctrina christiana.

CAPUT 18

DE DECLAMATIONIBUS CELEBRIORIBUS TER IN ANNO HABENDIS

Videretur etiam ualde expedire, ut aliquoties in anno, scilicet bis aut ter, ut in die natiuitatis Domini, in die Pentecostes aut Corporis X.[1], aut in initio quadragesimae, aut tempore remissionis studiorum circa initium vacationis, aut in renouatione studiorum etc., haberentur celebriores ac publicae declamationes in impluuio ipsius collegii, aut alibi, extructo etiam ad id tabulatu, si opus uideretur, in quibus esset tum pragmaticus, qui ante omnes exponeret argumentum causae futurae et controuersiae utrinque, breuiter referens firmamentum causae et eius depulsionem; deinde accederent oratores, uel singuli oppositi, uel bini aut etiam terni utrinque, atque accusator; aut qui petit primo loco diceret, deinde defensor, postremo iudex, qui quidem adesse oportebit pro tribunali sedens, ferret sententiam, utra pars uicerit. Possent etiam postea recitari unum aut alterum epigramma.

Has autem declamationes prius magister corriget et perpoliet, et earum praescribet argumentum, datis locis utrinque. Quod si discipuli aliqua de nouo addiderint, inuicem ea sibi communicent, ut possint refellere. Esse autem oportebit harum declamationum illustre atque insigne aliquod argumentum ac, si fieri poterit, tempori etiam accommodatum, ut pro literis ac scientiis humanioribus aduersus easdem: pro eloquentia, et contra eloquentiam: pro uita ciuili et urba[na] contra rusticam, et pro rustica contra urbanam: pro aulica aut militari contra literarum ocium, et contra. Item, deliberationes aliquot de bello contra infideles, de pace, de religione, et alia, si quae sint illustriora.

CAPUT 19

ALIUD PUBLICUM EXERCITIUM PLENIUS SEMEL IN ANNO

Fortasse nonnunquam expediret, ut omnes classes themata aliquot paulo politius et elegantius componerent, tum carmine, tum prosa, latine et graece, atque etiam haebraice, imo et ipsi quoque magistri aliqua quoque exquisita componerent, eaque omnia optime describerentur pulchris literis, aut in papiro, aut membrana, et, peristromatis ornato impluuio, circumcirca affigerentur omnia, propositis singulis propugnatoribus, qui, apud easdem compositiones astantes, eas tuerentur; caeteri uero omnes scholastici, tum nostri collegii, tum quiuis alii, qui uellent, accedere possent oppugnatores; et ita uarie per totum impluuium disputaretur: adessent autem praeceptores obambulantes, uel certo loco, qui controuersias deciderent, et palman uictori dicto adiudicarent.

Possent autem tunc uarii generis compositiones exhiberi, ut aenigmata pulchre depicta subiectis carminibus, et qui ea diuinaret, ea obtineret. Item epigrammata, epistolae, orationes, *versiones,* emblemata, tabulae *in authorem aliquem, vel ejus partem optime suis membris diuisae et ordinatae, figurae aliquarum rerum carminibus delineatae, vt alae Theocriti, columna, calix, etc.: carmina retrograda, encyclia, ode; carmina, litteris primis, mediis aut postremis distincta, egregium aliquod significantibus, aut alio quouis pacto artificiosa carmina,* paradoxa, assertiones, positiones uariae, problemata, *tum subjectis, tum non subjectis rationibus, vt, qui melius ei satisfaceret, praemium aliquod obtineret;* et denique omnis generis compositiones. Atque hoc semel in anno die quodam celebriori et amoeno: atque haec graece et latine, imo etiam hebraice; et si opus videbitur, vernaculo quoque sermone aliquot tantum carmina egregia.

CAPUT 20

PRAEMIORUM CELEBRITAS SEMEL IN ANNO VEL BIENNIO

Plurimum pueri excitantur collatione praemiorum ad bonarum literarum studia; atque ideo uidetur expedire, ut aliquot

praemia exhibeantur uictoribus, tum priuata in ipsis classibus diebus festis ac dominicis, tum maxime publica.

Priuata quidem praemia esse poterunt uel imagines typo excussae, uel folia papiri, aut calami, uel fasciculi florum aut ramus lauri, uel mutatio locorum in decuriis ipsius classis ad altiorem decuriam, et caetera; quae quidem dabuntur ex iis, qui recte se gesserint, duobus aut tribus.

Publica uero praemia, quae esse debeant, quoue modo ac celebritate exhiberi, explicatur alibi, ubi seorsim conscripsimus omnia ea, quae hoc anno praesenti fuerunt obseruata [a]. Habetur etiam in quibusdam scriptis R. P. Natalis.

DE DIALOGIS, COMOEDIIS SEU TRAGOEDIIS EXHIBENDIS

1. Fiant solum semel in anno ab externis in collegio nostro, aut ecclesia collegii nostri, aut theatro, si sit aliquando, in renouatione tantum studiorum.

2. Et a collegio Germanico ab eisdem ipsius collegii etiam solum semel, ante carnis priuium, ad retinendos adolescentes, ne ad domos paternas eant eo tempore, ob mores et eorum periculum.

3. Sint ejusmodi, vt non solum nihil turpe aut indecens contineant, sed neque vllam ejus suspicionem. Item, non est satis sint rerum indiferentium, non malarum, aut honestarum, sed sint omnia pia, religiosa; et non solum quae non noceant moribus, sed quae vehementer prosint et aedificent; alioqui non exhibeantur.

4. Item, carmina et compositio non sint fabulosa; neque nominent deos aliquos aut deas, vel musas, Jupitrem [sic], *Appollinem, Minervam, Calliopem, Palladem, Junonem aut alium aliquem, qui reuera erant daemones, non dii; sed sit tota pia, religiosa et grauis, licet possit esse modeste jucunda.*

5. Item, nullae prorsus introducantur foeminae, neque vllo modo foemineis ornentur vestimentis: ac si contingant introduci religio, ecclesia, virtus et similes, induantur medio quodam habitu talari veste, non uero muliebri, praesertim caput aut pectus,

[a] *In margine, sed non manu P. Ledesmae:* Nota. Hic uiderentur inserenda.

cum experientia ostendat nocere spectatoribus, et actoribus quoque ipsis.

6. Item, apparatus non sit nimis exquisitus, sed mediocris et moderatus.

CAPUT 21

QUIBUS LIBRIS VTENTUR MAGISTRI HUMANIORUM LITTERARUM AD HAEC COMMODE PRAESTANDA [a]

Jam breuiter dicendum quibus libris et authoribus, et quibus commentariis juuabuntur et vtentur potissimum praeceptores ac discipuli; magistri, inquam, ad docendum, discipuli ad audiendum et componendum; vtrique denique ad ista omnia, quae diximus, optime praestanda. Sed primo, de praeceptorum libris.

Erunt hi, quos habes in cathalogo hac de re conscripto. Hic esset collocandus aut praecipui ex illis.

Discipulorum vero erunt sequentes.

CAPUT 22

QUIBUS ET QUOT LIBRIS VTENTUR DISCIPULI [1]

Inferiorum quidem classium discipulis libri paucissimi conveniunt, et solum hi quos audiunt: ac si paulo sint peritiores, haberi poterunt cum comentariis, et praeterea nullos. In prima fortasse classe grammatices habere etiam lexicon vnum latinum, vel Calepinum, conveniet, aut Nizolium. Libellus etiam eis dari posset, in quo essent flosculi Ciceronis, aut poëtarum, vel sententiarum; nihil uero aliud.

Superiorum vero, vt rhetorices et humanitatis, tum quos audiunt, etiam cum commentariis, tum alios ad comparandam suppellectilem componendorum thematum et orationum, etc., et ad ea, quae a magistris citantur, nonnunquam inspicienda.

---

[a] *In ms.*, «*Caput 22*»; *sed in margine haec habetur annotatio:* Nota. Haec duo capita de libris magistri et discipulorum caput proximum de studio priuato discipulorum praecedunt. *Huic animadversioni innixi, hujus et sequentium duorum capitum ordinem mutavimus. Hoc caput P. Ledesmae manu exaratum fuit.*

[1] Autographum P. Ledesmae integrum caput.

Libri ergo ad haec erunt ii plus minus, quos potissimos arbitramur, et cape ex praecedenti pagina et huc transferas.

DE STUDIO PRIUATO DISCIPULORUM, TUM IN CLASSE, TUM EXTRA CLASSEM

CAPUT 23

MODUS DISCENDI SCHOLASTICORUM ET AUDIENDI

Diximus de iis, quae potissimum ad magistri munus attinent, et totius classis ac scholae exercitia, tum priuata tum publica: jam nonnulla subjungamus de discipulis: de ipsorum uidelicet discendi et audiendi modo, tum in classe, tum etiam extra classem, quamuis ex dictis bona ex parte id posset intelligi. Igitur sedendi modus hic erit.

Habeant singuli loca certa a magistro destinata, et scamna, ubi sedent, et constituantur e regione magistri, ut eum intueantur, non uero ostium [a] aut pertranseuntes, ut sint attenti: nec etiam, si fieri potest, se inuicem intueantur discipuli, tum propter attentionem, tum propter mores. *Tamen in classibus inferioribus possent, in quadrum circum classem scamnis collocatis, sedere, relicto spacio in medio, vbi magister obambularet; sed in aliis altioribus non ita; ob causam dictam. Sedeant separati nostri et collegii Germanici; et seminarii et externi separatim quoque; et rursus ex externis separentur maiores natu a minoribus; et similiter ex collegialibus ac ex seminarii; ipsos uero minores, ac etiam maiores natu, poterit subdiu[id]ere et ordinare pro ratione doctrinae,* vel in classes, ordines aut decurias pro ratione peritiae ipsorum; maiores uero natu a minoribus separentur. Ad haec autem loca poterunt ascendere, prout se gesserint aut profecerint, ut prouocentur ad emulationem et emendentur; *imo etiam forte ab eis deiici, si uideantur segniores. Item, juuabit plurimum singulis suos aduersarios seu riuales assignare, peritia pares, qui se inuicem corrigerent et emendarent in omnibus classis exercitiis, vt repetitione lectionis, examine, thematis correctio-*

---

[a] hostium, *ms.*

ne, etc.; et quotiescumque vnus eorum interrogatur, alter similiter surgeret ad emendandum errantem.

Jam uero audiendi ac discendi modus, tum in classe, *tum extra classem,* is commodus esse uidetur: in classe quidem recitant, audiunt, repetunt, exercentur et examinantur in praeceptis et lectionibus auditis *a magistro, et componunt ac corriguntur,* ut exposuimus *prius:* ipsorum autem *discipulorum proprium* est munus, ut attente audiant et studiose haec praestent. Item, vt excipiant quae a magistro dictantur aut notantur: item alia, quae ipsis placebunt in lectione. Ad excipiendum uero haec habebunt albeolum duplicem, in quorum altero excipiant themata a magistro dictata, et describent *jam* correcta themata ibidem, *saltem qui inferiorum sunt classium:* in altero albeolo scribent ad uerbum lectiones, quas audituri sunt, tum praeceptorum artis, tum auctoris, distantibus lineis, et magna utrinque relicta margine. Et ibidem audient lectiones, atque inter lineas describent sinonima latina, uel uulgarem significationem uocabuli, si classis sit inferioris; in margine uero excipiet notatu digna, aut quae magister dictat inter docendum, *praefixo uocabulo ad quae pertinent, et subscribendo inferius annotationem, uel numeris praefixis supra dictionem, et iisdem rursus in margine subscribendo annotationem, vel signis aliis:* cumque repetet lectionem mox auditam, ex scripto poterit, illa dictata legendo, referre; at sequenti die, cum eadem lectio repetitur, antea lecta, memoriter omnia referet in ipsomet auctore typis excusso.

Hic modus, quamuis laboriosus, sed tamen magnae utilitatis uidetur, et in nostris scholis, saltem in graecis *potissimum* auctoribus audiendis, uideretur obseruandus, et forte in quibusdam aliis classibus in lectione auctorum. Posset etiam aliter fieri: ut libri qui praeleguntur essent ad hunc finem sic excussi, distantibus lineis et magnis marginibus, ut ibidem scholastici exciperent; quamuis non esse uidetur tantae utilitatis ut modus praecedens, *cum ipsi describunt;* uel posset etiam medio modo fieri, ut nunc libri sunt excussi, ut sinonima quidem inter lineas exciperent, et breuiora notata in margine *ejusdem libri,* longiora uero in albeolo, posito primo uerbo auctoris intra parentesim, circa

quod illa notantur, *ac deinde subjungendo notata. Nostris uero erit necessarium ob penuria n librorum, vt omnia in albeolo notent et excipiant, etiam synonima, cum eis indigent, et vulgari sermone vocabuli significationem quoque cum reliquis, praeposito prius latino verbo, vt diximus, parenthesi concluso; scribent autem distincte singula et relictis marginibus: nec vero nostris suppetit tantum temporis extra classem, vt lectionem, quam audituri sunt, possint transcribere. Forte fieri posset* [a]. *Igitur in inferioribus classibus excipientur solum* sinonima uel significationes uocabulorum uulgari sermone, quem nesciunt, cum litera ordinatur; item, excipient omnia ea, quae dictantur a magistro.

In superioribus uero classibus, et praesertim rhetorices ac humanitatis, excipient frases, uerborum significationes ac differentias, historias et fabulas, antiquitates, sententias egregias, prouerbia, dicta acuta aut responsa, apophthegmata, epigrammata, facetias, methaphoras, figuras et tropos, locos et argumenta ex iis deducta, totum denique artificium rhetoricum auctoris, quem audiunt. Item, excipiet prolegomena, uidelicet quae magister, cum librum auspicatur, antequam ad literam acceda[t], attulerit: demum quaecumque a magistro dictentur ex iis, quae supra descripsimus. Atque haec in classe. Extra classem uero scholasticis inferiorum classium, usque ad primam grammaticae inclusiue, minimum tempus esset concedendum, et tantum ad mandandum memoriae lectiones, quas adiunt, et doctrinam xpianam. *et componenda, quae eis sunt a magistro constituta;* sed multum temporis in classe, quoad fieri possit, retineantur in repetitionibus, compositionibus et aliis exercitiis; et illic etiam partim memoriter discant dum alii recitant, etc., cum ii priuatim uacare nesciant literis, et otiari soleant soluti a literario ludo. Possent tamen paruulum thema *scholasticis* inferioribus *infimarum clasium* dari unius uel alterius periodi, quod componant, uel ut concordantias faciant, quarum deinde praeceptor rationem petat; uel declinanda nomina, aut uerba coniuganda dari poterunt, quae illo tempore discerent, et postea praeceptor in eisdem examinaret. Sed hi in-

[a] *Praecedentia tria verba, quae superesse videntur, lineam habent subductam in ms.*

ter alia nil utilius agere posse uidentur, quam ut in cubiculo apud aliquem cogerentur reddere rationem auditae lectionis et eam repetere; nam hi paruuli, si eorum libertati relinquatur, nunquam id agent, sed potius otiabuntur, nec scient quidem si uelint. Nostri uero, *si qui sint,* possent, uel apud praeceptorem in collegio, uel bini et terni; et maxime curandum esset, ut semper latine agerent, utut possent.

Superiorum uero classium scholastici, maxime uero rhetores et humaniores, extra classium [tempora?] poterunt haec agere. Primum, apud se auditam lectionem repetere et examinare, et quae notauit in classe considerare, ac memoriae mandare, aut etiam, si per tempus liceat, bene transcribere aut corrigere, si quod fuerit erratum. Item, quaerere supellectilia uaria, ad ornatum orationis componendae, ex authoribus ad id accommodatis, ex quibus excerpet exempla, rationes, comparationes, testimonia, sententias, prouerbia et caetera uariae eruditionis, quibus locupletet et ornet orationem. Libri autem, unde haec excipiet, erunt ii plus minus, quos potissimos arbitramur: dictionaria, ut Thesaurus linguae latinae, Nizolii obseruationes, Calepinus, etc.: deinde uariae eruditionis aliquot, ut Aulus Gellius, officina et epytteta Textoris, Alexander ab Alexandro, Caelius Rodeginius, Petri Victorii variae lectiones, Volaterranus, Angeli Politiani miscellanea, poliantea Dominici Nani, margarita poëtarum, etc. Item, historici ecclesiastici et seculares, ut Eusebius, Caesaris commentaria, Valerius Maximus, Suetonius, Diogenes Laërtius, etc. Demum ex Cicerone, ex poëtis, atque etiam ex quibusdam concionatoribus, cum laudandus praesertim esset Sanctus, aut uirtus aliqua, posset res accipere, uel tandem alii, quos magister praescribet, et qui habentur in catalogo hac de re conscripto: in quibus omnibus, ad quaerendum quae uult, ipsorum librorum tabulis manuducetur. Post comparatam supellectilem, component orationes, tum priuate tum publice recitandas. Item, mandare poterunt memoriae aliqua, sed potissimum Ciceronis lectionem, quam audiunt, et poëtam, et praecepta graeca, et orationes, publice recitandas, ab ipsis compositas uel ab aliis: imo etiam lectionem praeuidere utcumque, in praeceptis praesertim rhetori-

ces, non erit incommodum. Habere etiam fortasse utile esset locos, *praesertim cum jam non sunt sub magistro, sed priuatim ipsi vacant litteris,* quos dicunt communes, ut ea, quae legerint, uel audierint, aut excerpserint scitu digniora, sub illis collocarent. Oporteret autem ipsos instruere de modo collocandi sub iis locis, et excerpendi ex authoribus, et quae et qualia. Atque in initio oporteret tantum acciperent quadraginta plus minus locos, ne confundantur multitudine: postea posset eos augere quotidie uaria lectione: et praeterea ii loci esse deberent maxime communes, ut multa sub se complecterentur, et ipsis suaeque facultati maxime aptos locos. Deseruire illi loci possent communes, quos habes in altera papiro, aut aliqua eorum pars.

Atque haec praedicta faciant, distributis horis commodis ad singula, plus minus, si fieri possit. Nostri praeterea ordine recitabunt in refectorio, tempore prandii aut coenae, orationes, quas composuerunt diebus festis ac dominicis: nonnunquam etiam docebunt lectionem aliquam, quam audierint.

Juuabit etiam regulas discipulis [a] tum ad literarum studia, tum ad mores spectantes [b], in singulis classibus proponere, uel scripto, uel uerbo, quas sequantur.

DE SINGULIS CLASSIBUS PARTICULATIM [1]

CAPUT 24

DE DISTRIBUTIONE CLASSIUM AC EARUM DISTINCTIONE, ET QUAE OMNIUM OPTIMA

Quae in communi uisa sunt circa studia literaria humanitatis, diximus. Superest siggillatim de singulis classibus, quaenam ratio et ordo studiorum in eis seruari conueniat, aperiamus. Ac quidem necesse omnino est ut uel una sit classis, uel duae, uel tres, uel quatuor, uel denique plures usque ad decem; extra quem numerum non uidetur expedire plures constituere. Plurimum

a *Delevimus verbum* proponere, *quod redundare videtur.*

b spectantia, *ms.*

[1] Sequens titulus habetur in 1.ª pagina alterius quaternionis, quasi hujus generalis inscriptio, manu P. Ledesmae: «De singulis classibus particulatim, grammaticae, humanitatis ac rhetoricae. Collegii Romani. F.»

autem differet studiorum ratio et ordo singularum classium, istorum quouis mutato numero, cum ab uno uel paucioribus magistris aut pleraque aut omnia, quae a pluribus, eodem tempore praestari oporteat. At uero ordines uarii scholasticorum in singulis classibus esse poterunt, et in quibusdam necesse omnino erit. Quam ob rem breuiter referamus, qui et quot hi esse possunt, et de singulorum studiorum ratione per singulas classes et ordines seu gradus dicamus.

Hi ergo ordines, classes seu gradus diuersi scholasticorum, esse uidentur, ab infimis ascendendo ab superiores:

Eorum qui tantum legunt uel scribunt.

1. Qui alphabetum tantum legunt.

2. Qui iungere literas incipiunt, ba, be, etc., aut etiam syllabas.

3. Qui legere continuo tractu incipiunt, ut sanctam †, etc.

4. Qui scribunt alphabetum, quibus omnibus docetur Aue, Pater, Credo, Salue.

5. Qui legunt librum aliquem vulgari sermone, et scribunt continue ex exemplo, ductis lineis uel etiam non ductis.

6. Qui legunt latine, ut Donatum seu rudimenta, et discunt memoriter doctrinam xianam. paruulam; et hi etiam poterunt discere practicam arithmeticam, numerare, addere, subtrahere, partiri aliquousque.

Eorum qui recitant memoriter.

1. Qui recitant Donatum, seu rudimenta grammatica, memoriter, et solum declinant et coniugant; qui etiam memoriter recitabunt xianam. doctrinam.

2. Qui 2.am uel 3.am rudimentorum partem, uidelicet, de 8 partibus et de concordantiis recitant, et in eis exercentur: puta substantiui et adiectiui, nominis et verbi, etc.

3. Qui incipiunt audire de generibus vna cum regulis syntaxis facilioribus, ut Guarini uel aliorum, et incipiunt paruula themata componere per species actiuorum tantum, et audiunt selectas epistolas Ciceronis, etc.

4. Qui audiunt de declinationibus ac praeteritis, et reliquas facilioris syntaxis regulas passiuorum, communium, deponen-

tium verborum, et componunt paulo longiora themata per easdem regulas, et incipiunt audire familiares epistolas, et discunt cathechismum longiorem.

5. Qui audiunt etiam de praeteritis et supinis, et regulas eiusdem syntaxis de impersonalibus, de comparatiuis *nominibus et aduerbiis locorum* ac reliquis; et similiter componunt themata adhuc longiora, nempe paruulas epistolas per easdem regulas, et audiunt quoque epistolas familiares, et nonnunquam poëtam aliquem facilem, ut Ouidium de Ponto aut de tristibus, aut aliquam ecglocam [*sic*] Virgilii faciliorem, ac similiter doctrinam xpianam. dictam certis diebus discunt.

6. Qui audiunt syntaxim alteram altiorem ad eloquentiam comparatam, quae fortasse melius inciperetur in praecedenti ordine, item audiunt epistolas familiares, ac simul etiam de amicitia uel senectute: item comicos poëtas, ut Plauti aliqua et Terentii purgata, quae etiam in superiori classe essent incipienda, et non potius quam heroica: item nonnunquam Virgilii Aeneidos librum aliquem uel eius ecglocas, uel Ouidium, etc.; et nonnunquam fortasse historicum faciliorem, ut Salustium, etc.: at que hi component longiores epistolas, et nonunquam, semel saltem in mense, suo marte.

7. Qui *audiunt de arte metrica et* quantitate syllabarum, et de *vtraque* copia, *aut librum alium elegantiarum,* uel de conscribendis epistolis, atque incipiunt carmina componere, et audire graeca rudimenta, et se toti comparant ad copiam et elegantiam sermonis; qui etiam audiunt Ciceronis grauiora opera, ut de officiis, Tusculanas quaestiones, de finibus, imo etiam oratiunculam aliquam: item historicos uarios, Caesarem, Liuium, Sallustium, etc.; et scripta poëtarum grauiora, heroica et lirica, ut Virgilii *correcti,* Martialis correcti, etc.; *atque haec classis humanitatis commode appellabitur.*

8. Posset etiam distingui classis vna poëtices, vt in quibusdam locis, imo et classis graeca seorsim, vel etiam scholasticorum gradus, plus et minus peritorum, in eadem classe, quorum alii faciliora, alii dificiliora audirent, et alii haec, alii illa.

9. Inferioris rhetoricae classis.

10. Superioris rhetoricae classis.

11. Possent autem omnes hi ordines seu classes conduplicari, ita vt eadem in sequenti repeterentur iterum ac docerentur, quae in praecedenti lecta fuerunt, et quidem paulo exquisitius in sequenti, quam in praecedenti; vel vt properanter longioribus lectionibus, quae lente et pedetentim fuerunt in praecedenti lecta.

12. Posset etiam fieri, vt vnus magister omnia in singulis classibus seu ordinibus doceat, praecepta, authores, oratorem, poëtam, graeca, denique omnia ejus classis; atque hoc est optimum et optandum: at si nequeat fieri, in eadem classe esse poterunt duo magistri, quorum alter sit praecipuus et curam habeat classis, alter alia doceat, vt poëtam, vel graeca tantum, etc., vel sit in aliis coadjutor inferior. Duo vero aequales magistri aut fere aequales, quorum vterque curam habeat eorumdem scholasticorum, nullo modo uidetur expedire, cum pluralitas principum sit mala, vt ait Aristoteles.

13. Cum uero tot sint ac esse ordines scholasticorum possint, at classes seu gymnasia vsque ad rhetoricam inclusiue in vno collegio decenarium numerum non excedent, vt uidetur; sed in eis includentur omnes, et pro ratione frequentiae scholasticorum erit vel vna, vel duo, tres, vel plures, vel septem, vt in collegio nostro Romano. Nisi adderetur extraordinaria lectio aliqua insignis, vt esse solent aliquorum professorum celebrium; vel contra, infima schola aliqua institueretur praeter has, in qua prima litterarum elementa pueri docerentur, legere et scribere; nam tunc essent duodecim numero.

Sed jam de singulis, quae ratio et studiorum ordo videamus.

CAPUT 25 [1]

CLASSIS, IN QUA PRIMA LITTERARUM ELEMENTA PUERI DOCENTUR, SCILICET, LEGERE ET SCRIBERE, SIC SE HABET.

Explicetur.

[1] Totum caput est autographum P. Ledesmae quemadmodum etiam sequentia capita usque ad trigesimum septimum inclusive.

CAPUT 26

DE GRAMMATICAE CLASSIBUS SEU SCHOLIS, AC PRIMO CUM UNA TANTUM CLASSIS EST, IN ALIQUO COLLEGIO, GRAMMATICES

Ratio studiorum et ordo, cum vna sola sit classis grammaticae in aliquo collegio, erit, vt diuidatur in tres gradus, infimos, medios et suppremos, et singulis propria destinentur munera et propriae lectiones.

Explicetur.

CAPUT 27

RATIO STUDIORUM ET ORDO VBI DUAE TANTUM SUNT CLASSES GRAMMATICES

Quod si duae sint classes grammatices in aliquo collegio, seruabitur hic ordo, forte is, quem habeo Tusculani collegii, et quem modo illi seruant, atque eis fuit datus a Rdo. Patre Madridio.

CAPUT 28

VBI TRES SUNT CLASSES GRAMMATICES

Explicetur: nam puto non abs re futurum propter Societatis collegia, aut accipiatur ex aliquo collegio Societatis, si alicubi talis reperitur.

1. Fortasse esse posset, vt prima infimos, qui prima rudimenta, scilicet declinare, conjugare, tantum nossent, aut etiam concordantias inciperent.

2. Secunda medios contineret, qui plene in concordantiis omnibus exercerentur, et compositione per verborum species omnes; et audirent familiares epistolas, et de generibus, aut etiam de preteritis.

3. Tertia supremos, qui tum in praedicta compositione per verborum species, tum in elegantia stili mediocriter exercerentur, qui possent audire poëtam aliquem, et de arte metrica, componere etiam carmina, et epistolas, ac de officiis, senectute etc.; vt, scilicet, prima grammaticae collegii Romani, vel infima hu-

manitatis. Similis videtur Complutensis accademiae ratio studiorum trium classium et trium annorum grammatices.

CAPUT 29

QUATUOR CLASSIUM ORDO STUDIORUM

Describatur. Idem esse posset, qui trium praecedentium, addita quarta schola, rhetorices, seu mixta potius ex humanitate et rhetorica, in qua etiam graece doceretur, prius rudimenta, deinde alia, qualis hic uidetur nostra classis humanitatis, vel paulo altior.

CAPUT 30

QUINQUE CLASSIUM ORDO STUDIORUM

Videtur michi commodus satis ordo et efficax, quem habet Rdus. P. Natalis. Posset hic transcribi, nisi quid addi placeret Patribus, aut mutari.

CAPUT 31

SEX CLASSIUM ORDO

Statuatur.

CAPUT 32

SEPTEM CLASSIUM ORDO

Hic est nostri Romani collegii nunc temporis proprius, de quo per singulas classes mox dicendum erit.

CAPUT 33

OCTO CLASSIUM ORDO

Constituatur, si uidebitur: aut erit idem, qui quatuor classium ordo, sed conduplicatus, vt quatuor classes a primis, non genere, sed solo gradu differant vel docendi modo, licet eosdem authores et eadem praecepta, vt duae classes suppremae essent rhetorices, sed inferior et superior, et ita caeterae.

CAPUT 34

9 CLASSIUM ORDO

Instituatur, si uidebitur.

CAPUT 35

DECEM CLASSIUM ORDO

Hic est collegii Conymbricensis, a quo esset accipiendus, nisi quid Patribus in eo muttandum uideretur: est etiam Parisiensis in quibusdam collegiis, a quibus forte aliqua possent accipi.

Posset etiam idem esse, qui erat quinque classium Rdi. Patris Natalis; sed conduplicatus, vt dicebamus in aliis, vt quinque aliae classes a primis quinque solo gradu differant, eadem docendo, sed diuerso modo altiori. Sed, caeteris omissis, de Romani collegii classibus et earum ordine dicamus.

ORDO STUDIORUM SEPTEM CLASSIUM

GRAMMATICES, HUMANITATIS AC RHAETORICES COLLEGII ROMANI

CAPUT 36

DE CLASIUM OPTIMO NUMERO, ET QUID DE SINGULIS, ET QUARE, AGENDUM

Videtur sane optimum, et ad doctrinae plenitudinem, et ad ejus perfectionem docendique maiorem commoditatem, et scholasticorum fructum vberiorem, vt, si auditorum frequentia patiatur, uel in decem classes, uel in septem, vel in quinque distribuantur, et vt singulis singuli praeficiantur magistri, distinctis scholis singulorum propriis.

In collegio ergo hoc nostro Romano septem sunt in his humanioribus classes, scilicet: quinque grammatices, vna humanitatis et altera rhetoricae; de quibus, eorumue studiorum ratione vniuersa, apte, vt arbitror, dicemus, ab infima omnium exordium sumendo, et ascendendo per singulas vsque ad rhaetorices suppremam.

Non est enim satis in vniuersum nosse docendi modum et caeterorum aliorum scholasticorum exercitiorum rationem et ordinem, nisi particulatim illa omnia communia ad singulas quasque classes recte et vtiliter accommodentur: practica siquidem cognitio potius est propter opera, quae quidem singularia sunt, et particulatim fiunt. Igitur illa, quae supra traddidimus jam

singulis classibus, quo pacto melius ualeamus, aptemus. Nec uero omnia omnibus conueniunt, nec omnibus equaliter; sed quaedam quibusdam, et haec plus et illa minus pro diuersitate classium. Scopus autem hic in iis exercitiis constituendis singularum classium ac reliquis omnibus esse debebit, vt et sint optima, et quibus multum discipuli proficiant, imo quibus summe proficiant; et ejusmodi, ne magistri nimis grauentur, ne postea onus nequeant sustinere, et vel deficiant, uel infirmentur; vt, inquam, discipuli egregie exerceantur, nec sint in otio, et magistri aliquantum subleuentur, neque obruantur.

In singulis ergo classibus tria potissimum perscribenda uidentur. Primo, quae qualisue ea sit classis, seu cuius gradus: 2.°, quid quoque tempore, et quanto, et quo ordine in ea faciendum: 3.°, de modo haec singula agendi ac praestandi. In qualitate autem graduue classis duo potissimum dicenda aut tria. Primo, quid debeant illic discere scholastici, et quid jam eos oportuerit didicisse prius: 2.°, qui libri legendi in ea classe, scilicet, cujus generis authorum, cum praeceptorum artis, tum aliorum; et 3.°, quibus libris vtentur et juuari poterunt, tum magistri, tum discipuli.

Igitur ab infima incipiamus, quae numero est septima, in collegio hoc nostro Romano.

INFIMA CLASSIS, UIDELICET SEPTIMA

CAPUT 37

QUAE ET QUALIS SIT CLASSIS

Ad hanc classem admittuntur solum ii, qui saltem sciunt mediocriter scribere, non solum vt legi possit eorum scriptura, sed ita vt sit spes, quod pro tempore, quo continendi sunt in ea schola, sic proficient, ut expedite scribant, cum ascendent ad alteram superiorem scholam grammatices; nec recipiuntur aliter, ne postea ex hac causa in studiis retardentur. Item, oportet vt legant mediocriter expedite; at si sit dubius, quia non uidetur ad hanc mediocritatem peruenire, potius non admittatur, nisi forte aliae causae vrgeant, quae efficiant ex [a]equo et bono esse admittendum.

Libri, qui in ea classe discuntur, sunt rudimenta prima grammatices, authore Anibale Codreto, sed bene excuso; et ex Conimbricensi, aliquibus muttatis, et doctrina xpiana. paruula, qua utimur; et praeterea nihil aliud. Nec magistri alia docebunt praecepta, neque inculcabunt aut addent, aut alio ordine uel modo.

Sunt autem in hac classe tres ordines scholasticorum seorsim distincti suis locis, scilicet, infimis, mediis ac supremis. Sunt et magistri duo, quorum alter est praecipuus, alter uero coadjutor illius: ille superioris ordinis curam habet; iste duorum aliorum inferiorum. Sed haec pro ratione numeri scholasticorum; nam si in supremo ordine essent pauci, haberet idem quoque curam alterius 2.[i] inferioris. Hi autem magistri, saltem praecipuus esse debebit non solum bonus et prudens, ac authoritate valens; sed etiam ita doctus, ut bene latine loquatur, et qui longe superet id, quod satis esset ad eam classem, et posset in multo altiori docere; ac praeterea expertus, vt qui cum pluribus etiam puerorum parentibus agere cotidie oporteat; atque ne aliter parum scholastici proficiant.

CAPUT 38

QUAE ET QUOT IN SINGULIS FIANT ORDINIBUS, ET QUO ORDINE

Primus et infimus ordo sic habet.

Post orationem consuetam recitant singuli binas lectiones.

1. Unam rudimentorum primae partis Codretti et alteram secundae partis. Recitant autem singuli utrasque simul, ac neutram memoriter, sed tantum legentes, *et hoc per paucos aliquot dies. Postquam singuli recitarunt, statim remittuntur ad discendam lectionem doctrinae xpianae., dum alii recitant.*

2. Postea rursus recitant tertiam lectionem doctrinae christianae singuli; sed hanc memoriter. *Et postquam singuli recitarunt, remittuntur ad scribendum aliquot lineas, dum alii recitant doctrinam: et, finita recitatione, incipiunt ferre scripta.*

3. Deinde scripta corriguntur, quae *tum* scripserunt; *et postquam singuli correxerunt, statim remittuntur ad discendas lectiones futuras.*

4. Postremo legunt apud se, et discunt assignatas a magistro lectiones uespertinas; et magister curabit ut ita fiat.

Secundus ordo prorsus eodem modo habet.

1. Praeterquam quod lectionem primae partis rudimentorum Codretti, *scilicet, declinationum et conjugationum,* recitant memoriter, alteram tertiae partis, *scilicet, de octo partibus orationis legendo, ut facilius postea eam memoriter discat, cum ad eam partem peruenerit;* doctrinamque christianam similiter memoriter.

2. Vesperi uterque ordo, tam primus quam secundus; eodem prorsus se modo gerunt ac matutino tempore.

3. *Ascendunt autem ab infimo ordine ad secundum, cum uidentur expedite legere et prompte: ex secundo uero ad tertium, cum sciunt nominum declinationes, et conjugationum bonam partem, vtpote duas coniugationes uel tres.*

Tertius ordo sic habet.

Mane: 1. Prima et secunda hora, singuli binas lectiones rudimentorum recitant, unam primae partis, *scilicet, declinationum vel conjugationum;* alteram secundae; sed utramque memoriter; et utramque quoque simul singuli, recitata una, statim alteram.

2. Postquam aliqui recitarunt, *mittuntur* statim terni uel quaterni *aut quini,* datis a praeceptore uocabulis, *ut* declinent et coniugent uicissim apud se; et, uno declinante seu coniugante, alii *socii* intuentur in rudimentis eam declinationem uel coniugationem, per quam inflectitur, et corrigunt errantem: atque hoc faciunt interim dum alii recitant *rudimentorum lectiones, et aliquanto plus tempore.*

3. Finita recitatione lectionum *et praedicto exercitio,* per horam *integram* sequentem magister eos exercet, *potissimum* declinando et coniugando, atque *partim* interrogando circa secundam partem rudimentorum, et ea utcumque exponendo *simpliciter et clare et paucis,* cum non intelligunt; et in concordantiis quoque nonnihil incipit exercere prouectiores.

4. *Deinde per mediam horam postremam discunt verpertinas lectiones eis assignatas.*

Vesperi: 1. Unam solam recitant Codretti rudimentorum

lectionem secundae partis, et statim singuli simul alteram doctrinae christianae. In reliquis uero prorsus eodem modo, ut mane.

2. *Possent obligari vt domi scriberent nostri lectionem secundae partis Codreti, quam sunt recitaturi, saltem matutinam, vt scribere discerent, et juuaret ad eam facile discendum non parum.*

Die mercurii, aut quo solent semel in hebdomada lectiones intermitti, matutino tempore, per duas solum horas manent in classe omnes *hi* tres ordines; uesperi omnes ociantur. *Eadem autem agunt, quae aliis diebus.*

Diebus ueneris, mane tertia hora, omnes audiunt interpretationem quandam doctrinae christianae, pueris accommodatam, et in ea exercentur et interrogantur. Modus autem interpretandi seu docendi hanc doctrinam erit is, de quo postea, cum de doctrina christiana dicemus, *scilicet, Patris don Diegi* [1].

Die sabbati prorsus eodem modo se gerunt, ut aliis diebus hebdomadae.

Diebus dominicis et festis, uesperi, hora lectionum consueta, exercentur in doctrina christiana et aliis literariis exercitiis: disputant autem inter se, interrogando circa doctrinam christianam quae audierunt, et respondendo; similiter declinando et coniugando *et recitando praecepta.* Datur autem uno aut duobus ex illis, puta iis, qui melius se gesserint, praemiolum aliquod, ut nomen Jesu, uel imago paruula papiracea, etc. *Cum plures dies festi acciderent, posset eis assignari aliquid ex iis, quae didicerunt, repetendum memoriter, cujus postea rationem redderent; vel tam iis, quam qui aliorum sunt inferiorum ordinum, assignare ex lectionibus aliquot, illis diebus scribendas domi, quas scriptas ferrent cum ad classem accederent.*

Post tres menses muttantur ex hac classe ad alteram, qui apti videntur, ac deinde singulis tribus mensibus.

---

[1] Videtur esse sermo de P. Didaco de Eguia.

CAPUT 39

de modo haec omnia agendi seu praestandi in primo et 2.° ordine

1. In infimo ordine et secundo, inferior magister statim, classem ingressus (post orationem solitam), incipit audire peritiores, uidelicet qui secundi sunt ordinis, recitantes lectiones rudimentorum; deinde alios, qui primi sunt et infimi ordinis: *et similiter in recitatione doctrinae et in correctione scripturae, prius hos, deinde alios*. Postquam autem singulos audiit magister, uirgula quadam, in margine libri posita, designat cuiquam lectionem futuram uel longiorem uel breuiorem, prout uidet ualere ingenio: ut in plurimum nominatiuum unum [a], uel duo tempora uerbi, tantum in initio addunt memoriter, atque etiam legentes, et tres, uel ut summum 4.[r] lineas secundae partis rudimentorum.

2. Audiendi modus est. Vocat sex uel octo; et, constitutis coram se in circulum, accipit singulos sigillatim; uel binos pariter, alterum a destris, alterum a sinistris, si sint multi, aliis ibidem lectionem reddendam preparantibus: accipit autem magister uniuscuiusque librum, uel intuetur legentem num erret, aut assignatam lectionem recitet; et legentem corrigit, ac manu ducit.

3. Finita recitatione doctrinae xpianae., incipiunt deferre scripta ad magistrum, postquam absoluerunt; qui sigillatim ea corriget, subscriptis aliquibus characteribus pulchre exaratis, seu dictionibus, in iis potissimum, in quibus puer errauit.

4. Exemplum uero, quod pueri imitentur, uel ipsi afferent ex paterna domo, uel magister conscribet et dabit, alphabetum, inquam, uel lineam unam uel alteram; aut uero curet, ut in collegio aliquis nostrorum fratrum scribat, qui norit probe exarare literas.

5. Tempore, quo magister corrigit aliorum scripta, alii, qui iam correxerunt uel qui iam scripserunt, discunt lectiones uespertinas designatas a magistro, et magister curat ut haec omnia sic fiant. Vesperi, ut diximus, fit prorsus eodem modo, et designantur similiter lectiones matutinae modo exposito.

[a] nominatiuus unus, *ms*.

6. Postquam didicerunt ac memoriter recitarunt omnes nominum declinationes, iterum ab initio iubebit recitari easdem magnis lectionibus; et idem faciet finita prima conjugatione [a] uerbi amo, eandem magnis lectionibus reddendo; *et idem finitis omnibus conjugationibus.*

CAPUT 40

DE MODO IN 3.° ORDINE SERUANDO

1. In 3.° ordine singuli recitant simul memoriter, ut diximus, alteram coniugationum earum, quas nesciunt, uel etiam declinationum nominum, eas repetendo; et alteram secundae partis Codreti, magnitudinis trium uel 4.ʳ linearum *comuniter,* uel plurium, pro ratione ingenii.

2. Ac magister audit uel sigillatim singulos, uel binos recitantes ob multitudinem, ac per se quidem omnes audit: nec utetur decurionibus, sicut nec inferior alter magister.

3. Postquam aliqui recitarunt, statim terni uel quaterni, datis nominibus aut uerbis, quae declinant et coniugant, interim dum alii recitant, distribuuntur, ut diximus. Dat autem singulis *quinariis vel* ternariis nomina tria uel quatuor, aut uerbum unum, uicissim ab illis inflectendum, aut his nomina, illis uerba, prout periti uidentur; quae uicissim ordine apud se inflectunt, aliis librum inspicientibus, ubi est declinatio uel coniugatio, ad cuius formam inflectitur, et errantem corrigunt, et errata numerant, et ad praeceptorem deferunt, uter minus plusue errauerit: qui eis rursus noua, si tempus suppetit, dabit nomina aut uerba, similiter inflectenda, dum ipse audit alios recitantes, atque etiam paulo amplius protrahendo. Poterunt etiam simili modo uicissim praeceptà ipsa, quae didicerunt, uicissim ordine memoriter recitare. Atque haec exercitatio est magnae utilitatis, et excitat miram puerorum aemulationem, et magistro interim datur aliqua requies, dum omnes sic distributi se ipsos exercent.

4. Durat hoc exercitium per horam plus minus: postea iubet cessare, et per aliquantum temporis lectionibus futuris uacare.

---

[a] cognugatione, *ms*.

5. Modus deinde, *quo* ipse magister *per horam sequentem* eos exercet: interrogando de declinationibus et coniugationibus, quae didicerunt, ut unus dicat unum nominatiuum, alter alterum; unus unum modum aut unum tempus, et alius alium, ordine ut sedent, uel hinc inde interrogando diuersos. Item *potissimum exercet* dando nomina simplicia *frequentius, quae declinent per uarias nominum declinationes in terminationes, vt seruus sicut dominus, etc.;* uel composita, *vt paterfamilias; et quidem* cuius utraque pars inflectitur, *ut respublica;* aut altera, *vt jurisperitus;* et *substantiua, vt sapientia; et adjectiua, vt sapiens, bonus; et substantiuum cum adjectiuo simul, vt pater bonus; vel nominatiuum quem didicerunt, addito adjectiuo, vt poëta egregius, musa xpiana.;* et facilia et difficilia; similiter uerba *facilia et similia conjugabunt.* Denique exercet eos eo modo, quo supra diximus, cum de puerilibus exercitiis, *capite octauo,* et illi declinandi *et conjugandi modi seruabuntur.*

Tandem potissima exercitia, et ueluti finis huius infimae classis, sunt haec duo exercitia, nempe: bene declinare et coniugare; et ideo haec erunt frequentissima. Secundum locum obtinet exercere eos in secunda parte Codretti, *ea[m] interrogando et brebiter explicando, exemplo posito vno tantum aut altero, sine alia ulla interpretatione, nisi forte italice, breuissime interpretando ad verbum praeceptum de quo interrogat. Item exercitium* tertium *erit* et minimum, concordantiae, quas incipit pro prouectioribus. *Tandem magister incipiat cum eis latine agere in quibusdam communibus, quae frequenter occurrunt, vt: tarde venis, responde, dic tu, male dicis vel bene, etc.: et cum interrogat ipsa praecepta, similiter.*

SEXTA CLASSIS

CAPUT 41

QUAE ET QUALIS CLASSIS

1. Ad hanc scholam seu classem admittuntur cum sciunt bene declinare et bene coniugare, dum sciant quoque bonam aliquam partem secundae partis rudimentorum, etiamsi nec totam teneant, nec concordantias norint: *ibi autem discent residuum*

secundae partis rudimentorum, et concordantias, tertiam videlicet partem, et in eis exercentur, et incipiunt audire authorem aliquem facilem et bonis quoque moribus accommodatum.

2. Libri *ergo,* qui docentur *seu discuntur,* sunt: tertia pars rudimentorum Codretti, et id quod supererat secundae: quibus finitis, incipit regulas Guarini *seu paruae syntaxis,* scilicet actiuorum, post tres menses plus minus, cum uidet bene eos exercitatos in concordantiis. *Item singulis tribus mensibus incipit, et intra illud spacium absoluit* de generibus Dispauterii et declinationum quasdam regulas, non uero declinationes Dispauterii. Item autores: Cato, *primis aliquot mensibus,* et postea epistolae selectae. *Item cathechismus paruus Canisii pro iis, qui jam didicerunt, et bene tenent paruam doctrinam xpianam.; et haec ipsa pro iis, qui eam nesciunt;* et praeterea nihil aliud; nec ulla alia praecepta danda aut dictanda.

3. *Nec aliis discipuli utuntur libris, sed tamen Dispauterium habere licebit cum mediocribus commentariis. Magister uero habere poterit etiam Dispauterium cum magnis, et epistolas Ciceronis cum commentariis, et Calepinum, et forte alios aliquot humaniores.*

CAPUT 42

QUID, QUOQUE TEMPORE, ET QUANTO, ET QUO ORDINE DOCENDUM

1.° 1. *Mane prima hora, post solitam orationem, quam omnes in ingressu magistri recitant genibus flexis, distributis discipulis, ut sedent per decurias recitant memoriter apud suos decuriones lectionem matutinam praeteriti diei, scilicet de generibus, singuli; et dum alii recitant, praeparant se, qui recitarunt, ad alteram, magistro inuigilante et lustrante omnia, vt recte fiant.*

2. *Postquam omnes recitarunt, rursus ab initio* singuli similiter recitant alteram lectionem Catonis uel epistolarum selectarum cum leguntur; et postquam quisque recitauit, se praeparat ad repetendum easdem; *vel forte melius, vt singuli binas pariter recitent, vnam proxime post alteram; deinde alius atque alius. Atque haec recitatio breuius quam intra quartam*

horae fortasse. Postea per quartam horae aut amplius, distributi terni vel quaterni, declinant et conjugant vicissim, datis vocabulis, vel ipsamet vocabula et verba lectionis recitatae aut lectionem, quae praeceptor designat eis; atque hoc frequentius: vel praecepta rudimentorum vicissim recitant secundae partis uel tertiae, vel de generibus, quae hucvsque sunt lecta, aliis librum intuentibus, et corrigentibus errantem, sicut est expositum prius, ac magistro ipso inuigilante vt recte fiat.

3. Postea repetunt de generibus bis, aut ter, *aut quater* diuersi.

4. Deinde *examinatur* lectio *eadem, hos et illos interrogando per mediam horam.*

5. Tertio *per quartam horae paulo minus, aut per octauam,* magister docet prius de generibus, et deinde repetitur bis aut ter a diuersis. *Secunda hora paulo post repetitur lectio Catonis seu epistolarum, cum docentur; examinatur per mediam horam. Deinde* docet Catonem uel epistolas *per quartam horae,* et similiter repetitur lectio *praesens bis aut ter a diuersis, per quartam horae paulo minus. Rursus* exercentur scholastici uarie ab ipso magistro, *si quid temporis superest vsque ad tertiam horam uel tertiam cum dimidia.*

1. Tertia hora *vel media postrema* distributi discipuli, *ut sedent,* per ternarios uel quaternarios repetunt apud se uicissim ordine easdem lectiones lectas [a], uidelicet, prius singuli de generibus, deinde rursus singuli Catonem, aliis *duobus* audientibus, et ubi nescit adiuuantibus, ipso magistro omnia lustrante ut recte fiant, *vt illum interrogent discipuli cum nesciunt.*

2. Tandem finita repetitione hac, *si aliquid temporis supereſſet,* singuli quoque ordine sic apud se distributi declinant et coniugant omnia nomina et uerba auditarum lectionum [b]; et si

---

[a] *In margine ignota manu:* Nota. Videtur melius per ternarios, quam vel per binarios aut quaternarios.

[b] *In margine, P. Ledesmae manu:* Secundae partis uel tertiae, vel de generibus, quae hucusque sunt lecta; aliis librum intuentibus et corrigentibus errantem, sicut est expositum prius ac magistro ipso inuigilante ut recte fiat.

quid temporis supersit, *petunt scholastici et* dantur a magistro *etiam* noua aliquot nomina *aut uerba declinanda et conjuganda, et referunt ad praeceptorem, vter plus aut minus erravit, vt in classe praecedenti.*

3. Postremo, *post tertiam horam* omnes audiunt sacrum, qui non audiuerunt ante lectiones, et eius rei habeat sindicos, qui referant si quis non audierit.

2.° Vesperi prima hora recitant memoriter similiter apud decuriones lectionem uespertinam praeteriti diei secundae partis rudimentorum aut tertiae partis, aut uero regularum Guarini, cum docentur. 2. Deinde repetitur bis, aut ter *aut quater.* [3]. Examinatur *per mediam horam integram.* 4. Legitur noua.

5. Repetitur, *vt in prima hora matutina. Tribus etiam diebus hebdomadae, post recitatam lectionem rudimentorum, simul recitant doctrinam xpianam.; et illi quidem, qui sciunt paruam, recitant cathechismum Cannisii; qui uero nesciunt, recitant paruam. Dies autem hi erunt, martis, jouis et sabbati.*

2.ª Secunda hora, *primo,* distributi scholastici ut mane, repetunt uicissim apud se eandem lectionem. 2. *Deinde etiam hac tota secunda hora fere frequentius fiet examen generale concordantiarum vel regularum Guarini auditarum, varie in eis exercendo, scilicet, dando concordantias et orationes per illas regulas latine reddendas, nunc istum, nunc alterum interrogando, etc.; et idem a pluribus petendo, et per uarios modos, tempora et personas. Rarius autem loco hujus examinis generalis posset vnum ex tribus exercitiis fieri, vt scilicet apud se distributi, ut dictum est,* ipsi declinent et coniugent nomina et uerba *praesentis* lectionis *uel alia data,* atque etiam *aliud,* si placet magistro: nonnumquam recitant praecepta se interrogando, quae olim didicerunt, alta uoce, caeteris audientibus, ac duobus tantum sic certantibus, *vno interrogante et altero respondente alta voce.* 3. Item, loco huius repetitionis *aut examinis, eodem modo* distributi *apud se per quaternarios,* possent aliquando recitare praecepta secundae partis rudimentorum, uel tertiae partis, ita ut unus alterum interroget, et alter respondeat, et rursus uicissim; *et* duobus aliis eadem praecepta apertis libris intuenti-

bus, ut errantes corrigant; atque hi alii duo rursus similiter: *et similiter possent aliquando praecepta de generibus vicissim ordine sic inter se recitare; sed frequentius erit illud examen generale, aut semper.*

Tertia hora corrigitur thema, praecedenti die datum, et quidem unum tantum aut duo publice *per quartam horae cum dimidia* [a]: deinde dictatur nouum *vulgari sermone: deinde alta voce dictatum legitur, vt emendent scripturae errorem, datis uocabulis dificilioribus. Postea per quartam horae paulo plus, aut mediam horam,* componitur in e[a]dem classe; et, ipsis componentibus, *priuatim reliqua themata praecedentis diei, singulos vocando, apud se corrigit.* Tandem transcribunt, et decuriones colligunt themata bene scripta et ferunt ad praeceptorem. *Item* semel in mense aut bis componunt per duas horas, *aut toto uespertino tempore,* et tunc omittunt repetitiones *et lectiones;* ac similiter corrigitur alterum, quod illi respondet, ante mensem datum *aut quindecim dies, et cetera vt in cotidiano themate.*

Nota. Item semel aut bis quoque in mense datur aliud thema longius, quod domi componant: forte in hac classe non debeat dari.

3.° Die mercurii, duabus tantum horis docent mane, ut aliis diebus, sed omnia breuius.

4.° Diebus veneris, mane tertia hora, una cum aliis infimae classis intersunt lectioni doctrinae xpianae.

5.° Die sabbati, mane recitantur, et repetuntur deinde, omnes lectiones totius hebdomadae matutinae, et examinantur ac disputant, *se interrogando,* in eisdem. Vesperi similiter recitantur et repetuntur omnes uespertinae, et similiter examinantur et disputant in eis: corrigitur thema praecedens et dictatur nouum, et componitur, ut supra diximus.

6.° Nonnumquam poterunt protrahi examen et disputationes et concertationes inter se usque ad finem horarum, et eo die non componi: etiam praemiola *tunc dari* uictoribus, scilicet, vt ascendant ad curiam altiorem, uel calamus, uel carta, uel fasciculi florum.

[a] *Verba «cum dimidia» lineam habent subductam.*

7.° Diebus dominicis ac faestis a prandio, *per horam cum dimidia, consueta lectionum hora,* accedent ad literaria exercitia, *et dantur praemiola, saltem aliquando,* et dein ad doctrinam xpianam., *per horam plus minus* remittuntur una cum infima classe. *Cum plures dies faesti simul acciderint, posset eis assignari aliquid domi, uel repetendum, uel memoriter addiscendum et recitandum, ex auditis lectionibus, cujus postea elapsis diebus festis rationem peteret, vel thema componendum extra ordinem dari.*

8.° Postquam uidet in concordantiis bene profecisse, post tres menses, uidelicet, plus minus, incipit regulas actiuorum Guarini, et tunc pariter in his et in concordantiis exercet; *sed non docebit ultra regulas actiuorum.* Item, finitis de generibus et nonnullis regulis de declinationibus, eadem repetit iterum *ab initio singulis tribus mensibus.*

9.° Post mutationem studiorum, uidelicet elapsis sex mensibus, statim post pascha eadem prorsus docet ab initio, et eodem modo se gerit usque ad finem anni. *Item, elapsis dictis sex mensibus, post pascha,* breui examine, qui iudicantur idonei, ascendunt ad alteram classem, et similiter in renouatione studiorum. *Singulis denique sex mensibus fit muttatio ad aliam classem. Recipit autem singulis tribus mensibus ex inferiori.*

CAPUT 43

DE MODO HAEC AGENDI

1.° Praecipua exercitia huius classis et quasi finis eius sunt tria fere ex aequo. Primum declinare: 2.m coniugare: 3.m concordantiae; sed hoc tertium proprium et fraequentius, alia duo communia cum praecedenti classe et paulo minus frequentiora.

Item, cum postea auspicabitur regulas specierum et uerborum actiuorum, erit alia exercitatio, ut per illas componant themata; et praeterea ut, data oratione uulgari sermone actiua, eam reddent statim latine, idque per singulas regulas auditas uel lectas.

2.° In concordantiis uero exercent, tum accipiendo ipsius lecti autoris aliquam, tum nouam proponendo, ut homo iustus, et interrogando modo hunc, modo illum, quae concordantia est? an

bona? an mala? et cur? et per quam regulam? ac dicant regulam et *sensum* exponant. Quod si quis nesciat, alterum interrogare *oportebit,* ut eum emendet an bene dicat, etc., *uel ipse magister exponat et efferat quo pacto sit dicendum.*

2. Item, italico sermone, datis nominibus latinis, ut ipsum concordent, gratia exempli: quomodo dices, Dio bono? Et postea similiter, cum ipsi dixerint latine, interrogare cur *illa* sit bona concordantia? et quae? et in quo errarunt ostendere, et semper regulam adferendo cur ita sit. *Et idem postea a pluribus petere oportebit, vt singuli ueram responsionem dent, et regulam referant eandem, vt sic saltem haereat in memoria paruulorum.*

3. Item, proponere aliquando, sed raro, malas concordantias, ut homo bonas, ut dicant quae concordantia est, et in quo aut quibus discordant, et semper interrogando regulam, cur?

4. Item, posset fieri ut unus ab altero peteret concordantiam, et *aliquo uel* aliquibus aduersum se positis, ut, aliis dicentibus, alii corrigerent errantes. Et idem modus seruabitur plus minus cum dabitur oratio per uerba actiua latine reddenda, *cum doceat regulas syntaxis paruae Guarini.*

3.° Modus repetendi *lectionem* est, ut *interrogati* praeteritam lectionem diligenter, et bis et ter repetant, cum omnibus, quae fuerunt notata a magistro, *memoriter, id est, alta voce et clara, omnibus audientibus*, prius reddendo duobus uerbis sensum *uulgari sermone,* et deinde ordinando italice; praesentem uero lectionem *repetunt, sed* non ita exacte, *et dictata, si quae fuerunt a magistro, ex scripto tunc alte referunt, vt alii, si forte male exceperunt, addant vel emendent.*

1.º 1. Ad hanc classem admittuntur qui bene teneant praecepta de praeteritis et supinis, et bene grammaticeque componant per omnes regulas Guarini [a]*; item qui syntaxim altiorem non bene teneat, aut saltem non mediocriter. 2. At vero ex quinta classe admitti ad hanc tertiam poterunt, qui optime teneant de generibus, declinationibus, praeteritis, et bene praeterea componant per omnes regulas verborum Guarini* [b]*, ac similiter, qui de nouo accedunt ad nostras scholas, si istis essent similes, vt bene per omnes verborum regulas componerent, non uero aliter. 3. In hac autem classe audituri sunt syntaxis totius altioris plenitudinem exacte, et aliqua grauiora Ciceronis opera, quam quae in quarta docentur, et poëta grauior, praesertim procedente anno, ac postea etiam et artem audituri sunt metricam, et carmina component, et denique ad sermonis elegantiam aspirare jam eos oportebit, circa finem praesertim anni; sed et graece nonnichil tandem vltimo fortasse.*

2.º Libri autem, qui in hac schola docentur, sunt hi: in initio quidem anni authores per aliquot menses iidem prorsus, qui vltimo docebantur in praecedente, sed exactius; postea uero proprii hujus classis libri erunt, praeter epistolas Ciceronis, de senectute vel de amicitia, loco epistolarum; item Ou-

a *In margine, etiam P. Ledesmae manu:* paruae syntaxis.

b *Id. id.*

dius de fastis, vel eglogae Virgilii, vel Aeneidos postea facilior aliquis liber, vt primus, 2.us, vel etiam aliquando, sed rarius, aliqua Plauti comoedia, vel Salustii catilinaria, etc.: item post medium annum ars metrica Dispauterii vel Conymbricensis, Clenardi prima rudimenta graecae linguae, vt declinationes, et verbum τύπτω *vltimo mense.*

3.º Libri uero, quibus discipuli utentur, erunt, tum hi, quos audiunt, quos etiam habere poterunt cum comentariis, tum Calepinus vel Nizolius; et alia etiam Ciceronis opera non nocebit habere, aut alios libellos elegantiarum, sententiarum et florum poëtarum, vel Ciceronis aliorumue authorum similes; item, libellum aliquem de conscribendis epistolis possent habere, praesertim vltimo medio anno. At magistri vtentur aliis scriptoribus sintaxis elegantioribus, ut inde mutuentur *alia etiam* exempla et insignia aliquot praecepta, quae suis locis interserent. Demum eosdem *habere poterunt*, quos praeceptori praecedentis classis praescripsimus. Poterit tamen habere plures historicos et poëtas plures, demptis turpioribus; item, uariae eruditionis alios aliquot, ut *Aulum Gellium, Diogenem Laërtium, Alexandrum ab Alexandro, Chyliada; item ex dictionariis plures, non solum Calepinum et Nizolium, sed apparatum linguae latinae, thesaurum linguae latinae et thesaurum Marci Tullii Ciceronis, lexicon graecum etc.; et pro fine etiam anni lexicon historico-poëticum, et aliquos de arte poëtica scriptores fortasse.*

CAPUT 51

QUID QUOQUE TEMPORE, ET QUANTO, ET QUO ORDINE DOCENDUM

1.º In initio anni per aliquot menses [a] *vel eosdem authores* docet, qui [b] ultimo tempore docebantur in praecedenti classe, uidelicet, epistolas familiares, Ouidium de tristibus vel de Ponto; sed tamen hoc erit discriminis, quod deligi poterit liber aliquis epistolarum familiarium grauior, uidelicet quartus, uel primus, uel sextus, et aliud Ouidii opus ab eo, quod audierunt; et *in* syn-

a *Verba* aliquot menses *lineam habent subductam, et in margine legitur:* tres uel quatuor.

In ms. quae; *ante emendationem legebatur:* eadem docet, quae.

taxi altiori quoque, quamuis eadem docebit, ab initio *eam* incipiens, tamen exquisitius et exactius et plenius eadem docebuntur, *et thema esse poterit paulo longius*. Ac post tres aut quatuor menses, loco epistolarum, poterit auspicari de amicitia uel de senectute Ciceronis, *aut etiam a principio anni nonnunquam*.

2.° Mane igitur prima hora post orationem solitam: 1. Recitant *per quartam horae* apud decuriones lectiones matutinas praecedentis diei, scilicet, epistolarum familiarium prius, uel de senéctute aut amicitia, cum docetur; deinde Ouidium de tristibus seu de Ponto; sed singuli recitant utramque simul, ut antea diximus in aliis classibus. 2. Repetitur lectio epistolarum, recitata praecedentis diei, bis a diuersis. 3. Examinatur, *et petuntur dictata et notata per quartam horae: initio quidem anni per duos menses vnus latine repetet, alter italice; at postea vterque latine*. 4. Legitur noua *per mediam horam*. 5. Repetitur bis a diuersis *similiter*.

2.ª hora *aut paulo post:* 1. Repetitur lectio Ouidii praecedentis diei bis a diuersis. 2. Examinatur *similiter*. 3. Legitur noua *per mediam horam, vt supra*. 4. Repetitur bis, ut supra.

Tertia hora, uel per mediam postremam horam, per binarios [a] distributi, suis locis sedentes, repetent vicissim utrasque lectiones auditas, et notata quoque ac dictata a magistro in eis.

Vesperi prima hora cum dimidia: 1. Primo recitant uespertinam lectionem memoriter syntaxis altioris modo praedicto *per quartam horae*. 2. Repetitur lectio eadem *bis, ut dictum est in aliis, et dicunt dictata et notata memoriter per quartam horae*. 3. Examinatur, et exercentur in ea scholastici, *et petuntur etiam a diuersis lecta, dictata et notata, per mediam horam*. 4. Legitur noua *per mediam horam*. 5. Repetitur bis, ut supra.

Media hora sequenti usque ad finem 2.ae horae repetunt, distributi per binarios, ut supra, auditam lectionem. *Aliquando posset institui certamen scholasticorum inter se, uel ut diutius repeterent, vel generali examine insumitur per alias regulas lectas exercendo hac etiam media hora*.

[a] *Verba* per binarios *lineam habent subductam, et in margine legitur:* non ternarios neque quaternarios.

Tertia hora, *aut per quartam ante:* 1. Corrigitur thema praecedentis diei unius, aut duorum uel trium, publice *per quartam horae plus minus.* 2. Dictatur nouum uulgari sermone, et legitur alte ab uno dictatum, ut *alii* errata scripturae corrigant, *per quartam horae plus minus.* 3. Componunt omnes in magno silentio per tres quartas horae paulo plus aut minus, *et post auditam artem metricam, alternis carmine et prosa.* 4. Corriguntur *eodem tempore* priuatim reliqua themata praecedentis diei, aliis componentibus. 5. Colliguntur compositiones transcriptae per decuriones et dantur magistro, et alterum eiusdem exemplar sibi retinet discipulus. 6. Semel in mense aut bis componunt toto uespertino tempore, et tunc omittuntur praelectiones; ac similiter corrigitur alterum, quod illi respondet, ante mensem datum. 7. Item, semel in mense dictatur aliud thema longius, quod domi componant, et corrigitur extra tempus lectionum, aut aliquando extra ordinem. Quod quidem diebus festis aut dominicis memoriter poterit ab aliquo scholasticorum pronuntiari.

3.° Die mercurii, quo solent intermitti lectiones, duabus horis tantum matutinis docet eadem, quae aliis diebus, sed breuius, aut componunt, uel disputant, uel uarie exercentur.

4.° Die veneris mane, tertia hora, intersunt lectioni doctrinae xpianae., quae fiet pro classibus altioribus in ecclesia nostra; uel in propria classe audiunt, et ibidem docetur.

5.° Die sabbati: 1. Mane recitantur omnes lectiones matutinae totius hebdomadae; recitatur etiam doctrina xpiana. *parua ab iis, qui eam nesciunt, aut uero catechismus Canisii ab iis, qui sciunt paruam, forte catechismus Canisii latinus;* deinde repetuntur lectiones, examinantur, et disputant in eisdem. 2. Vesperi similiter recitantur et repetuntur, examinantur uespertinae totius hebdomadae, instituitur certamen disputantium discipulorum; postremo corrigitur thema, dictatur nouum, componitur, etc., ut supra. 3. Nonnunquam poterunt protrahi examen et disputationes ac concertationes *scholasticorum* inter se, et eo die non componi, et tunc de loco certare, aut praemiola dare, ut in quinta classe diximus.

6.° Diebus dominicis ac festis *vesperi per horam cum dimi-*

dia, statim dato signo post finem 2.e recreationis nostri collegii: 1. Accedunt ad litteraria exercitia. 2. Et iis finitis, ad doctrinam xpianam. in ecclesia nostra, uel in ipsa classe, vel ducuntur ad concionem a magistro ad lectionem, quae fiet in templo domi nostrae; vel si non sit concio, poterunt protrahi haec exercitia ad longius tempus. 3. Cum accidunt plures dies festi, posset longius eis thema dictare componendum, vel aliqua ex lectis lectionibus praescribere memoriter recitanda, cum primo reddeant, vel vt transferant epistolas Ciceronis, aut alia Ciceronis, et deinde eadem latine vertant, quo possint elegantius; et cum accedent ad scholas primo die, epistolas, loco correctionis thematis corrigendi, et emendet vt themata, et dictet novum thema, etc.

7.º Primis tribus [vel] quatuor mensibus totam syntaxim altiorem ad finem vsque prosequitur, exacte eam docendo; ac, eadem finita syntaxi, cursim iterum eandem repetit ab initio duobus mensibus; ac, si uidetur necesse, aliquot ejus partes praecipuas uel dificiliores iterum repetit, si uideantur indigere.

8.º Post sex menses, scilicet post Pascha, repetit syntaxim ab initio, et prosequitur de senectute uel de amicitia, ac Virgilium, aut uero tunc haec ipsa auspicatur et artem metricam simul, uel alternis cum poëta.

9.º Circa finem anni, per mensem postremum, si uiderentur scholastici satis in aliis profecisse, posset auspicari rudimenta graeca Clenardi, ac legere declinationes et aliquam partem verbi tipto, aut totum. *Id autem, si in humanitatis classe sequente auspicatur graecam grammaticam initio anni; at si post Nativitatem, non ita.*

10.º Recipit haec schola sexto quoque mense ex 5.a vel ex 4.a; sed singulis tantum annis mittit optimos et bonos ad 1.am rhetorices; reliquos, tam mediocres, quam ineptos, ad 2.am humanitatis.

CAPUT 52

DE MODO HAEC AGENDI

1.º Praecipua exercitia huius classis sunt: 1. Primo quidem, tamquam finis omnium, componere prosa oratione, non solum

grammatice, sed etiam eleganter, quanuis non ex arte aut elegantiarum praeceptis, sed ex sola obseruatione; atque id per omnem syntaxis uarietatem. 2. Secundum locum tenet compositio carmine, in qua exercentur post Pascha circa finem artis metricae. 3. Sunt deinde alia exercitia quotidiana, in repetitione, scilicet, et examine lectionum ac certamine ipsorum inter se; in quibus adhibenda erit a praeceptore cura, ut non solum grammatice, sed eleganter referant *omnia et agant.*

2.° Modus recitandi memoriter lectiones erit idem, qui dictus est in aliis omnibus classibus.

3.° Modus repetendi lectionem *discipuli* est: 1. Ut dicant *memoriter* sensum latine; *nec solum grammatice, sed etiam eleganter, vel verbis iis, quibus ipse dictavit sensum, vel aliis; ac, sensum referendo, dicat capita praecipua, in quae magister lectionem diuisit;* deinde ordinent literam per synonima latina; deinde referat discipulus saltem dictata a magistro, aut etiam reliqua notata ab eodem; quod si ipse non dicat, magister interroget. Ac ista dicuntur quidem memoriter in lectione praecedentis diei; ex scripto uero, si praesens sit lectio, *et, vt diximus, pure et latine, imo et eleganter, quoad fieri possit; et ea, quae dictata sunt, vel iisdem verbis vel aliis referre poterit.* Postea fortasse poterit alius ex inferioribus repetere eamdem lectionem similiter; sed tamen *initio anni per duos menses* uulgari sermone, aut saltem ordinando literam uulgari sermone, reliqua latine; *deinde* omnia latine, ut primus. *Posset etiam aliquando repetenti assignare emendatorem, vt, cum erret, corrigat, vel cum aliquid omittit, ad excitandam aemulationem.* 2. Inter se uero cum repetunt, distributi per binarios, idem erit modus, sed uicissim, ut dictum est in aliis classibus; *et eadem haec, quae diximus, repetent. 3. In die sabbathi modus repetendi esse poterit, ut antea, die veneris vesperi; designet aliquot, qui debeant repetere in fine lectionis, et illis assignet totidem correctores seu emendatores; aut si plures adhuc supersint, poterit vni repetenti assignare duos tresue emendatores, quod quidem utile erit, ut diligentius lectiones praeparent, et vt excitentur quadam aemulatione inter se, vt in aliis dictum est classibus.*

4.° Modus examinandi lectionem praeteriti diei in authore quidem is erit: 1. Constructionis seu syntaxis rationem uniuersam per singulas partes *vniuscujusque* periodi petere seu interrogare, ac, si ipsi nesciant, dicere et exponere; imo uero etiam per singula uerba *nonnunquam* et nomina petere: unde regitur hoc? quem casum postulat ante se uel post se? quem casum hic habet? etc.; ac petendo semper cur, seu per quam regulam. Ubi syntaxis altioris in iis, quae *lecta* erunt, regulam referent, in aliis satis erit, si syntaxis paruae regulam dicant. Item, nomina anomala et uerba defectiua notabit *docendo*, *et postea* petet ab scholasticis; item, nonnunquam praeterita et supina aliquorum uerborum difficiliora; item, explorabit quomodo assequantur sensum et intelligentiam tum *maxime* authoris, tum *etiam* eorum, quae ipse notauit aut dictauit; vbi etiam aliquando efficiet narrari commode, nec solum grammatice, sed eleganter, historiolas et fabulas notatas, etc., si quando incidant; atque in iis modo hunc, modo alium interrogando, et ut unus alterum corrigat, etc., *vt in reliquis classibus expositum fuit.* 2. In praeceptis uero syntaxis examen erit, ut petat eas *regulas,* et quidem has uel illas, ut *exploret an sciant, et* memoriter dicant, et sensum reddant, et exemplum proferant aliquod eius regulae. Item, nonnunquam, proposita illis *oratione seu* periodo uulgari sermone per illam regulam, ut reddant statim latine, *vt in praecedenti classe,* et quidem apte et commode; ac cum ipsi nesciant, ipse praeceptor eleganter efferat *idem,* aut uno aut pluribus modis. Item, nonnunquam petendo a diuersis, ut alio atque alio modo *idem dicant,* et diuersis uerbis *ejusdem significationis illius syntaxis, et per diuersos casus (cum idem verbum variam habet constructionem, aut in eadem regula varia constructio continetur), aut idem per diuersas regulas et per diuersas verborum species ac nominum, etc.;* similiter eos emendando cum errauerint. Atque haec ratio exercendi, non solum per *proxime* precedentem regulam syntaxis esse poterit, sed etiam per quasuis alias, *et nonnunquam per omnes indiferenter, quasi quodam examine generali regularum hactenus lectarum.* Item, petet in iis quoque ea, quae notauit ipse, et praecepta noua, quae addidit; et tam horum quam aliorum sensum explorabit, et

usum petet, et ipse tradet, si nesciat; uel dato *ac petito* exemplo exercebit. *Item, latine per aliquam ex regulis lectis offerre poterit orationem, et petere quae ea constructio sit, et cur, et per quam regulam; et dicant regulam, et sensum exploret, vt supra; et deinde etiam aliter dicant per eandem vel per aliam regulam.* 3. In praeceptis uero artis metricae examen erit tantum, ut ea repetant memoriter, petere et interrogare; et ut sensum reddant uel exemplum aliquod proferant. Item in poëta, tum illa eadem, quae supra diximus in examine authoris, tum etiam, post lectam artem metricam, poterit iubere ut metiantur carmina, et ibidem per uarietatem *versuum, pedum* et syllabarum quantitatem petere et annotare, ut quis pes iste est, quanta est haec syllaba, et per quam regulam, etc. 4. In lectione uero graecorum rudimentorum, *quando docebuntur,* examen *et exercitium* similiter erit, explorare num ea teneant memoriter, diuersa a diuersis petendo, et cum nesciant, corrigendo; item, iubere aliquando, ut unus dicat unam declinationem, alius aliam ordine, etc.; et similiter per modos et tempora uerbi τύπτω; *item declinare datis nominibus, vt declinent per hanc aut illam declinationem, et coniugare, dato aliquo verbo aut verbis similibus* τύπτω, *vt conjugent.*

5.° Modus docendi auctorem, uidelicet, epistolas de amicitia aut senectute, et Ouidium et Virgilium. In prima anni lectione, habita praefatione, explicat haec: 1. Nomen auctoris; 2. vitam ac laudes auctoris; 3. titulum libri breuiter; 4. utilitates libri illius et disciplinae eius; 5. argumentum totius libri, scilicet, de qua re tractat; 6. partes in uniuersum; atque omnia eleganter, *et latine prius, deinde vulgari sermone per duos primos menses; at, iis elapsis, tantum latine.*

2. Postea in singulis epistolis: primo, *titulum epistolae, cujus et ad quem missa, vbi statum et conditionem personarum illarum poterit notare vel officium; 2. item locum et tempus vnde et quo missa, et quando, et qua occasione: vbi et aliqua poterit ex historia de praesenti reipublicae statu uel personarum aliquarum tunc temporis referre breuiter; 3. deinde breuiter admoneat cujus generis sit epistola, an petitoria, exhortatoria, congratulatoria, etc.; et deinde, 4. explicet statim* argumentum totius episto-

lae; et in eo, *vel postea,* diuidet in aliquot partes ipsam epistolam, uidelicet, primo petit Cicero hoc, deinde conqueritur, postea admonet aut congratulatur, etc.; *ac idem argumentum rursus vulgari sermone illis, ut dico, primis duobus mensibus.* Et in singulis deinde harum partium, cum ad eas uentum erit, admonebit *quae pars epistolae tunc incipiat,* exponendo sensum lectionis.

3. In eglogis singulis, *in prima earum lectione,* in genere similia prorsus notabit, uidelicet: *1, titulum exponet; deinde 2, totius* argumentum; *3, item* diuidet in partes aliquot; *4, et* personas, *quae introducuntur,* exponet quae aut quales: item, quae aliae ficto nomine in eis intelligantur.

4. Idem in dialogis de senectute et amicitia faciet; ac praeterea in progressu enarrationis, cum ad singulas uniuersalis partitionis partes uentum erit, poterit rursus eas subdiuidere in alias minores, ut finito proemio, et cum incipit disputatio de amicitia, etc. *Idem, si Plauti aliquam comoediam, vel historiae aliquid, vt Salustii catilinariam doceat faciundum erit per comoediae vel historiae partes;* et in omnibus dictis poterit explicare historiam aut fabulam, quae incidat circa illas personas *uel res, etc.*

5. Idem in enarrando *Aeneidos* aliquo Virgilii libro faciet, *et libris fastorum Ouidii vel aliis;* ex iis dictabitur argumentum; item partium diuisio uniuersalis, uel etiam aliqua historia aut fabula; sed haec breuissime.

6. *Postea dictabit ex iis breuiter genus epistolae cum argumento et cum partibus epistolae: alia non ita, nisi forte raro, et cum digna scitu uiderentur, etc.*

6.° 1. Jam uero in singulis lectionibus quotidianis, facto signo crucis, et lecta una aut altera periodo in singulis dictis authoribus, sic se geret: Primo exponet sensum latine et eleganter, dicens de quibus dictum sit hactenus et de quibus dicendum, *distinguendo lectionem in ejus capita praecipua, distincte efferendo quid in singulis continetur; ac si uideatur, poterit iterum sensum verbis paucioribus repetere.* Cum incidet secunda pars uniuersalis partitionis, eius admonebit; et eandem, si magna sit

quoque in aliquot partes rursus distribuat, et idem faciet in reliquis, cum ad eas uentum erit. 2.° Ordinat primae periodi litteram latine per synonima et per singula uocabula plus minus, *vt possint excipere, et repetendo eadem. Hoc loco poterit,* vbi incidet, si opus sit ad ipsius litterae pleniorem intelligentiam, referre historias, aut fabulas, aut etiam aliquot antiquitates. 3.° Sensum *totius* periodi latine et eleganter *continuata oratione* referat. 4.° Exponit sensum uulgari sermone breuiter, et deinde ordinat litteram primae quoque periodi uulgari quoque sermone *primis illis duobus mensibus.* 5.° Dictat sensum, et praeterea aliqua praedicta ex notatis, si uidetur; tamen breuissime. 6.° Percurrens singula uerba, et latine frasim frasi reddendo eleganter *singula; illic poterit aliqua ex his annotare, frequentius quidem haec:* uarias significationes uocabulorum, differentias uocabulorum, *originem seu* etymologiam, constructionem, sententias, prouerbia, frases, metaphoras, epitheta, comparationes et similitudines; *si quid rarum, nouum, dificile, elegans, sententiosum, pulchre dictum, etc., quod et uernacula lingua reddet:* atque haet ita, ut possint scribi a discipulis, si quis ea notare uelit; *at haec rarius.* Poterit *nonnunquam* citare aliqua carmina poëtarum ad id spectantia, aut authorum loca, dicta uel apophtegmata, et poëticas frases aut uocabula, si quae incidunt, quae soluta oratione uti non licet, aut non ita; *item figuras aliquot constructionis vel poëticas, raro, et rhetoricas rarissime, nisi forte aliquot notissimas, vel argumentorum locos faciliores, vt a simili, dissimili, contrario, comparatis, causis, effectis, et hujusmodi.* 7.° Dictat inter dicendum aliqua ex his breuiter, et quae maxime utilia aut necessaria iudicat; et non multa, sed pauca: *et haec prius dictabit, deinde exponet eadem:* nec etiam *ex aliis* notabit multa, sed mediocritatem seruabit. NOTA. *Forte expedit vt solum notet quae sunt dictanda, et non alia; et omnia jubeat excipi a discipulis; et omnium postea, nullo excepto, rationem exigat, quae notavit, ac pariter dictavit: atque ita pauca notare et dictare praestat. Fiat* [a]. 8.° Prosequitur simili modo secundam periodum,

---

[a] *Hoc postremum verbum lineam habet subductam.*

1.° exponendo ejus sensum, etc.; deinde tertiam, etc. 9.° Et postremo tandem sensum lectionis latine paucissimis uerbis repetit, et cursim totam lectionem ab initio latine ordinat, et demum iubet statim repetere.

Tandem curet admiscere aliqua inter docendum, ad pietatem et bonos mores spectantia, vbi lectionis aliqua se obtulerit occasio; item caueat ne aliquid excidat, quod vel in praelatos, vel in hujus temporis principes dictum esse uideri possit; quod et in sequentibus maxime erit seruandum classibus.

2. In lectione uero syntaxis; 1.°, exponet praeceptum clare et distincte, atque idem bis repetet; et 2.°, postea uulgariter *primis mensibus, ut dictum est.* 3.° Item, exempla ibidem posita explicabit, ordinando literam per synonima latine et uulgariter, aut frasim frasi. 4.° Deinde in quibusdam illorum *exemplorum* repetendo praeceptum, et ostendendo eius usum ibidem. 5.° In ipsis etiam exemplis poterit quoque eadem plus minus notare, quae in autore diximus notanda esse. 6.° Postremo, finitis exemplis, repetet praeceptum iterum, et eius sensum latine et uulgariter cum uno aut altero exemplo. 7.° Tandem fortasse poterit postea ordinare literam praecepti et exemplorum latine [a] per synonima cursim. 8.° Poterit etiam alia praecepta ad idem spectantia, aut alias significationes uerbórum uel nominum, eumdem casum regentium, et alia exempla suis locis inserere et superaddere; tamen pulchra et egregia et maxime utilia, non uero alia, nec nimis multa; et discipuli addita praecepta excipiant, praeceptore dictante breuissime. 9.° Item in singulis praeceptis tandiu immoretur, quousque discipuli ea bene teneant et eis uti sciant in quotidiana compositione, nec ulterius aliter progredietur.

3. In lectione artis metricae seu de quantitate syllabarum Dispauterii uel Conymbricensis, quam auspicatur post medium annum; [1.°] simpliciter exponet praecepta ipsa, reddendo scilicet sensum latine; 2.° et addendo exempla; 3.° atque ordinando literam; 4.° et curabit ut memoria addiscant; 5.° et deinde in lectione poëtae, *et in ejus examine* et carminum compositione ac cor-

[a] *In margine:* uulgariter.

rectione, eadem inculcabit; *6.° sed non traddat ipse praeceptor noua praecepta, neque alio ordine, quam ibidem sunt; sed neque addat, nisi forte paucissima, nec alia vlterius doceat quovsque iacta optime teneant.*

4. In lectione rudimentorum grammaticae graecae Clenardi, scilicet, declinationum et uerbi τύπτω, quam auspicatur circa ultimum mensem anni, uidelicet ante uacationum tempus, is erit docendi modus, quem postea praescribimus in lectione graecae lectionis inferioris; aut uero satis erit ut dumtaxat simpliciter ea praecepta exponat, et discipuli memoria utcumque discant; quandoquidem statim eam sunt audituri in sequenti classe: non discent autem memoriter annotationes, quas interserit Clenardus in uerbo τύπτω, sed tantum tempora et modos, illarum sensum et intelligentiam.

7.° Quantitas lectionis circa initium anni ac per aliquot menses, *vnum aut duos,* erit pene eadem, quae classis praecedentis; postea uero poterit paululum augere, prout uiderit discipulos proficere. Ut in plurimum autem per maiorem anni partem haec erit: 1, ut autoris lectio, siue Ciceronis siue historici, sit quatuor aut quinque periodorum mediocrium; 2, poëtae uero, sex uel octo carmina, raro decem; 3, in arte metrica quatuor carminum erit satis, aut trium; 4, in syntaxi, in exemplis quidem, ut in Ciceronis uel historici aut paulo minor; in praeceptis autem, ut in poëtae lectione plus minus; cum uero eadem praecepta repetet, iterum docendo, poterunt lectiones esse altera parte longiores aut tertia parte; 5, in lectione graeca ea erit; ut in primis lectionibus paucissima doceat, et deinde declinationem unam, ut summum, aut unius declinationis unam tantum nominis terminationem; in uerbo uero τύπτω duo aut tria tempora, raro aut nunquam modum unum.

8.° Modus corrigendi themata, dictandi, componendi et colligendi idem erit prorsus, qui in precedenti classe; sed emendabit non solum barbarismos, soloecismos et orthographiam, *ut in illa,* sed praeterea sordidas frases, uel parum elegantes et *impropria.*

9.° *Quantitas et qualitas thematum haec erit.* Erunt the-

mata *paulo* longiora quam in praecedenti classe, uidelicet: magnitudinis *quatuor uel* quinque periodorum mediocrium, quotidiana; quae uero semel aut bis in mense, *in classe quidem, tertia parte aut duplo maiora; at*, ut domi componant, in triplo aut quadruplo maiora. *Curabit autem vt thema uulgare, dexteritate quadam adhibita, dictetur per ea praecepta, quae docuit syntaxis paulo antea, aut docet, et per eas phrases quoque, quas audiuerunt in lectionibus, et aliquando per omnia aut pleraque praecepta lecta.* Item, bis aut ter in mense tam haec quam illa component proprio marte, dato breui themate *alicujus epistolae consolatoriae vel commendatitiae, etc., cum suis locis;* et admonendo in genere *quod genus epistolae, et praeterea quae illius componendae praecepta et leges, ac etiam* additis aliquibus rebus seu locis, quae ipsi possunt amplificare, ac similia alia quaerere. *Ad hoc subseruient praeceptori libri editi de conscribendis epistolis, atque etiam discipulis, vt ibi haec uideant, admoniti a magistro.* Post medium uero annum poterit hoc fieri frequentius, praesertim circa anni finem *fere semper; quo tempore etiam chryae dari poterunt nonnunquam, et laudes ac uituperia virtutum uel uitiorum, personarum, factorum et dictorum, exordiolis adhibitis, et peroratiunculis, naturae ductis* [*sic*] *non ex arte, sed assignatis aliquibus locis amplificandis.*

10.° Item, absoluta arte metrica, aut circa eius finem, dabit aliquando paruula themata carmine, ut semel in hebdomada, in initio quidem duorum aut quatuor carminum, postea sex uel octo, et aliquando plurium; ac primo, exametro et pentametro carmine, deinde fortasse aliqua specie lyrici carminis facilioris, ut saphico, etc.; *vltimis tribus mensibus anni aut duobus component bis in hebdomada carmine, uel alternis. Carminum autem thema erunt carmina quaedam dissoluta verbis et phrasibus poëticis quam maxime; imo ab initio anni, antequam legat artem metricam, si sint aliqui auditores, qui eam jam nouerint et audierint, poterit his die veneris, loco prosae, epigramma proponere, et illud correctum affigatur in schola die sabbathi, vel die dominica et festo.*

11.° Modus discendi, tum in classe, tum extra classem,

idem qui in classe praecedenti, praeterquam quod plura et diuersa excipiet, praeter dictata ex notatis a magistro, et plura et altiora discet pro ratione ipsius classis. Breuiter ergo dici potest, ut in classe excipiat inter lineas sinonima latine; item, dictata et notata a praeceptore, in margine uel in albeolo separato, *et in altero themata;* domi uero repetet lectiones auditas apud se uel cum socio, *et dictata et notata, ac ex iis mandauit memoriae phrases notatas a magistro, seu dicendi modos et sententias praecipuas et prouerbia.* Discet nouas *lectiones* memoriter recitandas; componit thema semel in mense datum, extra classem componendum; *forte transcribit correctum thema.*

Videtur autem expedire, ut transcribat quoque domi lectionem unam, saltem poëtae, distantibus lineis, etc., ut in aliis classibus dictum est; et ibidem excipiat, quae ad eandem lectionem attinent, notata et dictata.

12.° Modus exercitiorum literariorum dominicis ac festis diebus: statim a prandio, finita 2.ª recreatione, per horam cum dimidia *aut per duas horas* erit unum ex quatuor *uel quinque.*

Primo. Certamen scholasticorum uel disputationes, se interrogantium de praeceptis et aliis rebus auditis ea hebdomada uel mense. 2.° Recitatio omnium praeceptorum, quae lecta sunt, uel poëtae omnia lecta, uel mediam partem, aut integrum libellum de amicitia uel senectute, etc., uel notata seu dictata omnia eius hebdomadae; item, ut singuli singula carmina ordine recitent praeceptorum, uel poëtae, *uel duo alternis.* 3.° Ut lectionem aliquam discipuli legant *more magistri, praemissa praefaciuncula, et* unam aut plures uel praeceptorum, uel poëtae, uel Ciceronis, etc. 4.° Ut propriam compositionem, quae fit semel in mense *aut bis domi,* correctam memoriter pronuncient unus uel duo; uel carmina a se composita, uel nonnunquam a praeceptore data. 5.° Tandem ut duo ex iis, quae diximus, aut tria, aut omnia simul eodem die fiant; curabit autem praeceptor, ut misceantur pia in his exercitiis.

13.° Finitis iis litterariis exercitiis, si sit concio uesperi domi nostrae aut lectio, eo ducuntur scholastici ab ipso praeceptore ad locum illis destinatum; sin autem, poterunt protrahere

ipsa litteraria exercitia longiori tempore, ad duas horas cum dimidia plus minus.

Sed de horum exercitiorum modo fusius et plenius in catalogo de iisdem conscripto habetur.

SECUNDA CLASSIS, QUAE EST HUMANITATIS, SEU RHAETORICA INFERIOR

CAPUT 53

QUAE ET QUALIS CLASSIS

1.° Admittuntur ad hanc classem qui bene componunt per omnes regulas syntaxis altioris, non solum grammatice, sed paulo elegantius; item, qui iam norunt artem metricam et utcumque carmina componunt.

2.° At uero *initio anni* ex quarta classe ad hanc poterunt *optimi et boni* accedere; qui, scilicet, bene norint componere per omnes regulas syntaxis altioris, etiamsi nesciant carmina componere, *praesertim si raro sint ingenio.* In hac autem classe audituri sunt insigniores quosque poëtas et historicos, et Ciceronis opera grauiora et altiora, et artem metricam, et de utraque copia, et graecas literas, ac post aliquantum tempus praecepta rhetorica. Ibidem autem debent componere quam eleganter carmine et prosa, *non solum epistolas, proprio marte, varii generis, sed postea etiam oratiunculas, cum audiant rhetoricae praecepta; atque ita hujus classis propria est elegantia omnis, tam ex obseruatione quam ex arte, et artificium praeterea rhetoricum mediocre, et historiae poësis, ac variae eruditionis plenitudo.*

3.° Libri, quos audituri sunt *et qui ibi docentur, sunt grauiores quique authores:* Primo quidem Cicero de officiis, vel Thusculanae quaestiones, uel de finibus, uel paradoxa, ac deinde orationes aliquot faciliores Ciceronis. Item, poëta aliquis ex praecipuis, ut Virgilii Aeneidos, uel Martialis correctus, uel Horatius correctus; et similiter historicus aliquis, uel alternis cum poëta, uel diuersis ac distributis temporibus, nunc poëta, nunc historicus, ut Julius Caesar, Sallustii catilinaria, uel Iugurta frequentius, uel Titus Liuius, uel Suetonius, uel Valerius; sed hic raro.

Praeceptorum vero authores, quae ibi docentur, sunt: artis metricae, Dispauterius; de utraque copia Andreae Frusii; rhetorica Cypriani, vel ad Herenium 1.us, 2.us et 4.us liber.

Item, in graecis, grammatica graeca Clenardi cum aliquo authore faciliori, ut Isocrate, dialogis mortuorum, etc.

4.° Libri vero, quibus discipuli uti et iuuari poterunt, erunt ipsimet qui docentur, cum commentariis; item Calepinus, Nizolius, omnia Ciceronis opera, epictheta Textoris, officina Textoris, Aulus Gellius *et similes, cum aliis, quibus vtuntur discipuli praecedentis classis.*

Magister vero uti et iuuari poterit, tum omnibus libris, quos in catalogo hac de re conscripto habemus, tum maxime iis.

Primo. Omnibus iis libris, quos docet, cum variis et diversis *parvis* maximisque commentariis.

2. Ad enarranda vero Ciceronis opera uti poterit his...
3. Ad officia...
4. Ad Thusculanas...
5. Ad librum de finibus...
6. Ad paradoxa...
7. Ad orationes...
8. Ad poëtas *enarrandos*...
9. Ad historicos...
10. Ad graeca...
11. Ad copiam...
12. *Ad rhetorica praecepta*...
13. Ad omnia, tum haec, tum alia exercitia classis, uti poterit, et iuuari his...

CAPUT 54

QUID QUOQUE TEMPORE, ET QUANTO, ET QUO ORDINE DOCENDUM [1]

1.° Docetur quidem Cicero de officiis primo medio anno, vel alius liber ex praedictis, Tusculanis uel finibus; post medium annum vero orationes aliquot faciliores Ciceronis, ut pro Archia poëta, pro rege Deiotaro, pro Marco Marcello, etc.

2. Item, poëta, scilicet, Virgilii Aeneidos grauior liber, vt 3.us, 6.us; et post tres menses plus minus, historicus, Caesar uel Liuius vel alius per totidem, aut uero alternis. Post Pascha similiter, scilicet, post sex menses; ac tunc etiam vel Horatius, vel Martialis aut Lucanus, etc.

[1] Integrum caput, praecedenti titulo excepto, est autographum P. Ledesmae.

3. Item, praecepta haec, scilicet, ars metrica Dispauterii per duos menses ; deinde de copia Frusii per totidem, vel vsque ad Pascha; postea rhetorica Cypriani vel ad Herenium.

4. Item, graeca grammatica tribus mensibus plus minus; et post actiuum typto, Isocrates vel aliquis alius author facilis ex dictis, simul cum ipsa; postea solus author usque ad finem anni.

5. Discuntur memoriter a discipulis ex dictis, Cicero, poëta, et ars metrica, et grammatica Clenardi; alia non ita. Neque rhetorica, inquam, praecepta, nisi forte tantum definitiones et diuisiones; neque de vtraque copia, nisi forte sola praecepta, omissis exemplis; neque authores alii historici aut graeci, nisi forte sententiae ipsorum praecipuae aliquot, aut egregii dicendi modi, et prouerbia, si incidant. Quod si quis non possit etiam discere memoriter, is, quandiu docetur ars metrica uel graeca grammatica, non discet poëtam.

2.° Mane igitur prima hora, post orationem solitam: 1. Recitantur per quartam horae aut minori tempore apud decuriones matutinae lectiones praecedentis diei, scilicet Ciceronis, et altera artis metricae, et ambae lectiones simul a singulis eo modo, quo in aliis classibus est dictum. Finita vero arte metrica, non recitatur nisi vna lectio, scilicet Ciceronis, non alia de copia nec rhetoricae, quae succedet illi, nisi tantum definitiones in rhetoricis ac diuisiones. De copia uero, forte sola praecepta sine exemplis, vt dictum est. 2. Repetitur Ciceronis lectio, recitata semel vel ab vno vel a diuersis per partes; et ipsi dicant, aut, si non dicant, ipse magister petat dictata et notata in ea. 3. Legitur noua Ciceronis per tres quartas fere horae. 4. Repetitur statim semel.

2.ª hora: 1. Repetitur lectio praecedentis diei, artis metricae, vel copiae, vel rhetoricae, cum docentur. Simili modo, per quartam horae semel, uel ab vno uel a diuersis per partes. 2. Legitur noua per tres quartas horae. 3. Repetitur semel statim.

3.ª hora, aut media postrema, ipsimet scholastici ea repetunt inter se, et nonnunquam componunt carmine loco repetitionis.

Vesperi prima hora: 1.° Recitatur lectio graeca grammaticae, cum docetur, et poëtae per quartam horae. 2.° Repetitur lectio

graeca, et examinatur per quartam horae, grammaticae cum legitur, et in ea exercentur. 3.° Per quartam sequentem docetur et repetitur lecta. Similiter fit in graeco authore cum docetur solus; alias per quartam praecepta, per quartam author.

2.ª hora recitatur, repetitur, docetur poëta vel historicus; et lecta tunc lectio repetitur, vt mane.

NOTA. Forte prius repetetur et docebit per mediam primam horam; deinde exercebit et examinabit per mediam ultimam. Forte docebit, seclusa repetitione, per quartam tantum horae: reliquum expendet in exercitio.

3.ª hora, aut postrema quarta secundae horae. 1. Corrigitur vnum duove themata aut tria publice; deinde per integram horam, aut tres quadrantes integros vt minimum, dictatur nouum, alternis carmine et prosa [a]: componitur, et simul eodemmet tempore alia priuate corriguntur: colliguntur composita et bene transcripta per decuriones, altero exemplari apud discipulos retento. 2. Semel in mense aut bis toto uespertino tempore componitur, et tunc omittuntur praelectiones; et similiter corrigitur alterum thema, quod illi respondet, ante mensem datum. 3. Item, semel aut bis in mense dictatur aliud thema longius, domi componendum, et extra tempus lectionum corrigitur; ac correctum, dominicis festisque diebus poterit recitari [b].

3.° Die mercurii, tantum duabus horis mattutino tempore docet eadem, quae aliis diebus, sed breuius; vesperi otiatur [c].

4.° Die veneris mane 3.ª hora intersunt lectioni doctrinae xpianae., quae fit pro classibus altioribus in ecclesia nostra, vel in propria classe audiunt et ibidem docetur [d].

5.° Die sabbathi: 1. Mane recitant omnes matutinas lectiones, forte etiam lectionem vnam catechismi Canisii maioris; deinde repetunt lectiones easdem; et ipsarum, ac eorum, quae in eis notauit et dictauit, rationem exigit magister. Demum, si tem-

---

a *In ms.*, alternis prosa.

b *Praecedentia duo verba lineam habent subductam, et in margine haec scripsit P. Ledesma:* forte antea, scilicet, post Natale.

c *In margine:* forte toto die mercurii otiatur.

d *In margine:* vel semel in hebdomada.

pus aliquod supersit, componunt, vel eos exercet magister, varia ex lectionibus interrogando. Nota. Forte recitant et repetunt prima hora tantum; deinde docet vnam, uel duas, lectionem, vel componunt carmine vel prosa. 2. Vesperi similiter recitant et repetunt omnes vespertinas hebdomadae; deinde corrigitur praecedens, et dictatur nouum thema.

Nota. Forte 1.ª hora recitant et repetunt; secunda, docet vnam vel duas lectiones breuiores, vel disputant, inito certamine; tertia, corrigitur et dictatur thema. Item, possent [a] aliquando, loco repetitionum, vesperi institui certamen aut disputationes per primam horam cum dimidia, vel praelegere discipuli [b] et enarrare more praeceptorum bonum aliquem authorem, vt esset condiscipulis disputandi materia, vel aliter exercere.

6.° 1. Diebus dominicis ac festis vesperi per horam cum dimidia, vel per duas horas, statim, dato signo post finem 2.ae recreationis nostri collegii, accedunt ad litteraria exercitia, orationes recitandas graece vel latine, carmine aut prosa, etc.; sed tamen alternis haec aget cum rhaetoricis, ita vt vtrique intersint vtrisque; et, iis finitis, ad doctrinam xpianam. in ecclesia nostra uel in ipsa schola, vel, cum sit concio aut lectio in templo domi nostrae, ducuntur a magistro ad templum, ad eam audiendam, ad locum eis destinatum, uel tantum prosequuntur sua exercitia litteraria, et postea dimittuntur. 2. Cum plures dies festi aut ocii acciderint, poterit eis praescribere componenda carmina, aut orationem, aut alia compositionum genera, vt aenygmata, epigrammata, dialogum, etc.

7.° In hac schola manent per integrum annum; post ejus uero finem ascendunt, vel ad supremam classem rhaetorices, vel ad alias facultates, quas uolunt, praeuio examine.

8.° Semel aut bis in anno exhibebit publicas declamationes coram tota schola, post Pascha.

9.° Semel in anno componet, aut exhibebit saltem, ab alio compositum, dialogum vel comoediam circa carnis priuium, vel post Pascha, aut in renouatione studiorum.

---

[a] *Ms.*, posset.

[b] *Ms.*, discipulos.

CAPUT 55

DE MODO HAEC AGENDI

1.° Praecipua exercitia et quasi finis hujus classis sunt:

1. Componere tum prosa tum carmine quam eleganter et artificiose et ornate; et vtrumque ferme ex aequo: nec solum epistolas proprio marte, sed orationes; imo non solum ut scribant, sed etiam ut eleganter loquantur.

2. Secundum locum litterae graecae obtinent et earum exercitaciones, ac circa finem anni etiam compositiones paruulae.

3. Atque ad haec tendunt et referentur alia cotidiana classis exercitia et dierum festorum.

2.° Modus repetendi lectionem praecedentis diei est, vt sensus latine exponatur eleganter; deinde ordinetur littera per synonima latine, aut etiam phrasim phrasi reddendo; atque hoc per singulas periodos; et praeterea notata et dictata a praeceptore memoriter suis locis, vbi occurrunt, polite referendo; aut, si discipulus ea taceat, magister interroget. Repeti autem semel satis est vel ab vno, vel per partes a diuersis. Idem fiet cum apud se repetunt, et idem quoque in repetitione praesentis lectionis lectae; sed dictata et notata satis erit ex scripto tunc referat. Poterit etiam, cum jubet vnum repetere, tunc quoque praecipere ut alter emendet errantem.

In die sabbati idem esse poterit reppetendi modus, qui in classe praecedenti est expositus: designando die veneris vesperi in fine lectionis repetitores, et eisdem totidem emendatores; vel vni repetenti plures assignare, vt in hos et illos tota sit partita classis: imo uidetur expedire singulis etiam sint alii assignati aemuli, qui semper vicissim in hoc et omni alio exercitio se corrigant, cum eorum quis interrogatur; et cum thema legitur, [idem] [a] *fit, etc.*

3.° 1. Modus examinandi lectionem authoris nullus est alius ab ipsa repetitione dicta, interrogando notata et dictata

---

[a] *Abscisa est papyrus.*

tantum; nisi forte vellet explorare alicujus loci dificilioris intelligentiam, ab aliquo percontando, aut raram, neque ita frequentem constructionem uerbi alicujus, quae tunc ibi accideret; item in poëta, vt metiantur aliquod carmen, vel quanta sit aliqua syllaba, raro; item, cum praecepta de utraque copia vel artis rhetoricae lectae occurrunt in authore, ea petere, num illic discipuli agnoscant; sed tamen hoc inter notata a magistro sit oportet. Demum artificium rhetoricum, poëticum et historicum, posset, tum docendo authorem, exponere, tum postea idem explorare a singulis, interrogando.

2. In praeceptis uero artis metricae examen tantum erit, vt repetant ea memoriter; et interroget, vt sensum reddant et exemplum proferant. Item, in poëta inculcare etiam illa eadem praecepta, cum aliquid notatu dignum occurrit, et ab scholasticis petere.

3. In praeceptis copiae, si tamen illam docet, simile examen: et praeterea in copia uerborum dare latine sententias uel orationes, quas varient diuersis modis diuersi per ipsa praecepta lecta; idque ordine vt sedent: vel vt vnus solus pluribus efferat idem modis: et similiter in copia rerum dare rem amplificandam per illa praecepta; et themata, tum voce tum scripto amplificanda, eis offerre.

4 In praeceptis artis rhetoricae similiter explorare num sensum teneant, et vt exemplum proferant; item, vt definitiones et diuisiones memoriter referant interrogati; et explorare in authoribus num ea artificii praecepta cognoscant, praesertim quae a praeceptore fuerunt notata.

5. In praeceptis grammaticae graecae, et in authore graeco, et tota denique graece legendi ratione, is erit modus, quem praescribimus postea in lectione inferiori graecae linguae, cap. 60.

4.° 1. Modus docendi Ciceronem de officiis, et Tusculanas, et de finibus, et alios authores, idem prorsus erit in initio anni, qui in praecedenti classe dictus est seruari oportere in aliis operibus Ciceronis et aliis autoribus, praeterquam quod nihil vulgari sermone debet explicare, sed semper latine et

quam eleganter; nisi forte alicujus uocabuli significatio esset vulgari sermone necessario explicanda vno verbo, vt intelligatur.

2. Sed praeterea, succedente anno, plures historiae, et fabulae quoque plures, et ex aliis authoribus vel poëtis citari et adduci plura possunt, ut proverbia, sales, sed non dentati, et sententiae, dicta acuta et egregia, epigrammata, epitheta, apophthegmata, frasses tum oratoriae tum poëticae; nonnunquam etiam constructionis genus indicare poterit, si sit rarum aut inusitatum, aut si quid nouum, obsoletum, dificile, pulchre dictum, acute, elegans, et alia omnia ad verba et elocutionem spectantia ac elegantiam sermonis.

3. Item alia omnia, quae ad variam eruditionem, ex poësi, historia et omni antiquitate, praesertim anno procedente, inter quae haec sunt, quae sequuntur. Primo, quae ad artificium rhetoricum, vt figuras tum grammaticas, tum poëticas, tum rhetoricas et historicas, praesertim faciliores. Denique in ipso authore, ostendendo inuentionis artificium, dispositionis et elocutionis, tum oratoriae, tum historicae, tum poëticae, et in genere et particulatim per singula, et in omnibus iis authoris judicium et consilium; sed adhibita mediocritate quadam, vt solum ea, quae artificii audiuerunt, vel quae facile possint capere.

4. Item, notare poterit, quae ad philosophiam moralem, ethicem, politicam, oeconomicam, uirtutes, vitia, affectus, bona et mala spectant; leges varias, mores rerum publicarum varios et ritus aliquos, caerimonias, etc.; magistratus, etc., graecorum, romanorum et barbarorum, etc. Ad haec subseruient Alexander ab Alexandro, Celius Rhodiginus, Paulus Manutius, et similes, de quibus in cathalogo pro studioso humanitatis; sed philosophica, pingui quadam minerua, non vero philosophice nimis aut dialectice agendo, sed potius eleganti sermone, et populari ac rhetorico oratorioque more, et cum locus et res postulat.

5. Atque eodem modo referre poterit aliqua ex historia naturali, vt de fontibus, fluminibus, montibus, herbis, arboribus, animantibus, lapidibus praeciosis, metallis, regionibus, prouinciis, opidis ac ciuitatibus: et nonnunquam ex cosmographia, sed

non multa, verum necessaria et facilia, et non philoso[pho]rum more disputando, sed historico more narrando.

6. Item, aliqua scitu digna de uariis rebus artificialibus, vt vasis, vestibus et re uestuaria, aedificiis, machinis bellicis, nauibus, et re nauali ac re militari, re nummaria, agriculturae, pastoriae, belli et pacis, et similibus.

7. Ex omnibus iis solum dictabit artificium aliquando, et praecepta alia addita, et quaedam notatu digniora et quae putat vtiliora fore discipulis. Neque uero superflua adferet, sed loco et moderate; et tantum ea, quorum vult discipulos rationem reddere, in repetitione lectionum interrogatos [a].

5.° Hunc autem seruabit in his agendis, dictandis et notandis ordinem:

1. In genere, cum authorem aliquem auspicatur, in prima lectione, praemissa praefaciuncula ad rem spectante [b], *si videatur, exponere licebit haec prolegomena: 1. Nomen authoris. 2. Vitam et laudes ejus. 3. Titulum libri. 4. Quando, vbi, et quo modo ocasioneue compositus, et ibi referat ex historia quod occurrit. 5. Vtilitates ejus libri vel artis ejus. 6. Argumentum. 7. Partes; atque hic artificium in uniuersum notare poterit, quod author obseruavit. 8. Et postea, cum ad singulas uentum erit, easdem subdiuidet in minores partes, singulas prosequendo, et scholasticos semper admonendo cum ad eas uentum fuerit. 9. Dictabit solum breuiter argumentum et partium distributionem vniuersalem, indicando in vniuersum artificium uniuersale, quod exposuerat.*

2. Jam uero in singulis et cotidianis lectionibus, facto signo crucis et lecta vna periodo, fiunt haec, et hoc ordine: 1.° Artificii pars aliqua rhetorici, vel oratoris, vel poëtici, vel historici artificii, si quae incidit in ejus lectionis initio, aut in vniuersum in tota lectione. Quantum, inquam, ad inuentionem attinet, juditium, uel dispositionem, solummodo oratoriam uel poëticam uel historicam, non uero elocutionem; hanc enim no-

---

[a] *In ms.*, interrogati.

[b] *In ms.*, spectans.

tabit postea. 2.° Sensus lectionis totius quam eleganter, in quo quid dictum sit et quid dicatur.

3. Accedens ad primam periodum, ejus artificium particulatim ostendent, quod in ea obseruatur, inuentionis, juditii et dispositionis; vt, hic digreditur, praeocupat, respondet; est ratio ab adjunctis, a..., etc. Deinde eam periodum aliis uerbis eleganter refert ad eundem sensum.

4. Ordinat literam partim per synonima, partim frasim frasi, et quidem non una, sed pluribus et uariis, idem eleganter reddendo, *vt sic scholasticis det imitandi exemplum ad hanc varietatem commode adhibendam; inter alios juuabit Nizolius et Thesaurus.*

5. Ac tum mixte in singulis uerbis ac periodi partibus simul annotat, ut occurrunt, aliqua ex dictis, puta uel hystorias uel fabulas, *copiose et plene ab ipsarum initio quae non fuerunt explicatae antea,* uel reliqua omnia ad uariam eruditionem spectantia.

6. Sic finita vna periodo, dictat artificium illius periodi, e aliqua ex his, quae annotauit; sed tamen breuiter et utiliora tantum.

7. Explicat artificium elocutionis, puta tropos et figuras; item frases et alia, quae ad elocutionem spectant, quae in tali periodo inciderunt, *et jubet discipulos ea annotare, aut ipse etiam dictat breuiter; talis est tropus, aut figura, etc.*

8. Simili modo prosequitur secundam periodum et tertiam, etc., *admonendo quid in ea periodo tractat author, et particulatim artificium inuentionis notando, quod in ea periodo continetur, et caetera, eo ordine quo diximus.*

9. Postremo tandem sensum *totius* lectionis paucis uerbis repetit, et lectionis partes per capita, puta: dictum est hoc et hoc, etc.; *vel per artificii capita quae notauit, vt: primo, praeocupat dicens hoc; 2.° respondet, dicens hoc; 3.° amplificat a causis, dicens hoc, etc.;* et demum ita statim iubet repetere, *et dictata etiam, saltem praecipua, ex scripto referre.*

Item. 10. Admonetur magister, ut admiscere studeat aliqua ad pietatem et bonos mores spectantia, vbi sese obtulerit in le-

ctione occasio; et ne quid excidat, quod aut in praelatos aut in hujus temporis principes dictum esse posse uideatur.

6.° 1. Atque haec, quae dicta sunt, in omni auctore erunt seruanda, uel oratore, uel poëta, uel hystorico, *plus minus,* enarrando. 2. Particulatim tamen in poëta erit obseruandum, ut dialectos poëticas obseruet, et frases poëticas, *et si quid licentius dictum, quod non sit imitandum, vel quod prosa non sic liceat,* et uocabula poëtica, et figuras poëticas, et denique artificium poëticum *legesque poësis, et quomodo ab illo poëta et quatenus obseruentur.* Ad quod uti poterit his autoribus: *Aristotele de arte poëtica, Horatio de arte poëtica, Dionisio Alicarnaseo et Schaligero de arte poëtica, Minturno, Vida, Giraldo de arte quoque poëtica, et aliis scriptoribus in artem poëticam, de quibus in cathalogo 3 librorum postea.* 3. Item notabit dicta eius et sententias, facetias, lepores. 4. Item fabulas, ad quas agnoscendas subseruient *hi: Giraldi historia poëtarum; ejusdem de diis gentium; Bocatii genealogia deorum; imagines deorum Vincentii Cartarii italice; index Erithrei in Virgilium cum ejusdem annotationibus, etc.* 5. In his tamen fabulis referendis aut exponendis abstineat, quantum possit, ne inhonesta narret: item, cum de diis ac deabus et gentilitatis superstitione sit sermo, irrideat semper gentilitatis ignorantiam, quae talia crederent, ac deos ipsos quoque ac deas, et impia reprehendat, nec narret ut uera, sed ut ficta.

7.° *In historico uero* particulatim obseruari poterunt: *1. Tum ipsae* historiae *et ejus authoris ueritas, ex aliis historicis, aut uero falsitas. 2. Tum* leges *historiae* et hystoricum artificium, *et quomodo ac quatenus ab illo historico obseruata sint haec omnia, etc.* 3. Item in concionibus aut orationibus, quas miscet, uel digressionibus, oratorium quoque artificium. 4. Item, in hystorico potissimum, locus esse poterit annotandis uariis rebus uariae eruditionis, ut rerum publicarum, legum, morum, nationum, ciuitatum et oppidorum, *locorum, montium, vallium, fluminum, instrumentorum,* personarum, dictorum et factorum, tum pace, tum bello. 5. Quamquam in hystorico plura cursim poterit nonnunquam pertransire, nihil notando, ubi satis esse *videbitur* hystoriae ipsius simplex cognitio.

9.° [a] In lectione uero orationum Ciceronis particulatim haec uidentur propria: Primo quidem prolegomena, in initio, cum orationem auspicatur, uidelicet haec: 1. Dignitas et utilitas eius orationis, et autoritas. 2.° Quae persona accusans, accusata, defendens, patroni, iudices; qui, *coram quibus seu apud quos? etc.* 3.° quando habita? ubi? quis eius fuit exitus? quanto apparatu habita? quae omnia petenda ex hystoria. 4.° Accedendo ad artificium, in uniuersum exponet in quo genere sit scripta: an deliberatiuo, judiciali, etc. 5.° Quis *et qualis* status, et quotuplex; et qui *status,* si plures sint. 6.° Quod causae genus, an turpe, honestum, etc. 7.° In quo stili genere, an sublimi, mediocri, etc. [b] 8.° Quas partes habeat, et quot, et quo ordine. 9.° Ubi poterit etiam *magister cognoscere,* simul iuditium oratoris explicare, scilicet, cur has *partes* et hoc modo et hoc ordine Cicero, etc.; si tamen id magister assequitur. X.° Argumentum orationis totius eleganti ac diserto sermone complecti. 11. Et tandem dictare haec omnia breuissime *paucissimis* uerbis, et argumentum paucissimis. *12. Postremo eadem dictata statim leguntur ab uno ex discipulis; vel ipsemet magister ea, quae dictauerat, celeri et breui sermone connumerans, repetit: nempe, causa est haec, status hic, partes hae, etc. Gratia exempli: causa haec est juditialis, et honestum genus; status vnus conjecturalis, partes tot, etc.: habita fuit a Cicerone contra Hortensium tali tempore, illis judicibus, etc. Atque hanc breuitatem, cum repetit et cum dictat, aemulabitur, ne multum elabatur temporis, et ne res fiat prolixior et obscurior et minus vtilis.*

10.° In singulis uero lectionibus cotidianis orationis postea ita se gerit, ut antea diximus in authoris lectione numero quinto; tamen artificium inuentionis, quod particulatim per singulas periodos orationis aut periodi partes annotare minutim debet, est hoc, videlicet: 1. Partes orationis, vt: hic incipit exordium, hic incipit narratio, hic partitio, etc. confirmatio, confutatio, peroratio, digressio, etc. 2. Jam in exordio

---

[a] *Desideratur* 8.°

[b] *In margine, P. Ledesmae manu:* Nota. Forte stilus quinto loco melius notabitur.

dicetur: vbi attentos facit Cicero; vbi dociles aut benevolos, aut alios affectus mouet; vbi se tacite insinuat; vbi manifeste; vnde, seu ex quo loco quaue ratione haec fiat, etc. 3. In narratione haec: an vna narratio, an multiplex, an interpollata, an nulla narratio; item particulatim: ista illam verissimilem effecerunt, haec lucidam, quid omissit, quid leviter attigit, quid fuse, quid falso narrat, quamuis uerissimiliter, quid perturbate data opera, quid clare et ordine et aperte, quid commixtum per totam orationem quasi sanguis. 4. In partitione, quae et quot partes seu status, et qui, aut quae propositio, si vnus tantum sit status. 5. Cum ad confirmationem accedet, num pura confirmatio an admixta confutatione, et quo modo, quis rationum collocandarum ordo seu dispositio adhibita. Item, particulatim haec in singulis: quae ratio? ex quo loco desumpta? quod argumenti genus? quare illic collocata? et quare ita tractata? quem affectum mouet? vbi digreditur? 6. In confutatione similiter, eadem quae in confirmatione, videlicet: hic proponit rationem talem aduersarii, hic dissoluit hoc pacto, semper rhetoricae audita praecepta ibi referendo, ubi accidunt, in quauis orationis parte ea saepius inculcando. 7. Ac in peroratione similiter: hic Cicero enumerat, et tali enumeratione; hic uero amplificat ex tali vel tali loco; hic mouet hunc affectum ex tali vel tali loco, tali aut tali ratione. Item, in iis omnibus citare poterit alia loca Ciceronis, in quibus simili est artificio usus. 8. Dictare autem satis erit in singulis locis, ut occurrent, artificia praecipua et magis vniuersalia cum aliis variae eruditionis. Scholastici uero debebunt semper excipere in margine libri vel albeoli, non sola haec, sed omnia, quae de artificio dicuntur, etiam minima, praefixo uocabulo ad quae pertinent, et subscribendo annotationem, vel numeris praefixis supra dictionem et in margine, vel signis aliis vtrobique positis sibi respondentibus; et praesertim haec observabunt in confirmatione et confutatione, et ea excipient obiter, dicente magistro. Aduertendum est autem in dictandis singulis, vtilius uideri ut prius dictet, deinde fusius exponat, quam e contrario; nam ita melius capient scholastici,

et semper sunt attenti: et aliter saepe prius scribunt, quae nesciunt an postea dictabit quoque magister; vel, putantes dictandae, quae non dictabuntur, non scribunt ea neque notant.

11.° 1. In lectione praeceptorum artis metricae tantum erit, ut ea praecepta clare explicet et distincte: 1, sensum reddendo; 2, frasim frasi literam percurrendo, aut per synonima; 3, exemplum afferendo unum aut alterum; et 4, iterum praeceptum breuiter repetendo: et curabit ut memoriter discantur; et in poëta, ut occurrent, illa inculcabit.—2. Non dictet uero aut tradat nouam artem metricam, nec alio ordine doceat, sed poterit addere suis locis aliqua alia praecepta, si quae uisa sint necessaria, aut etiam utilia; non ita multa, sed pauca.

12.° In lectione uero praeceptorum grammaticae graecae Clenardi, et deinde authoris graeci (vt in examine supra dictum est), erit idem docendi modus, examinandi et exercendi, qui describitur postea in lectione graeca, cap. 60.

13.° In lectione uero praeceptorum rhetorices Cypriani uel ad Herennium sic se geret: 1. Ut illa tantum praecepta doceat simpliciter, praesertim cum docet Cypriani rhetoricam, et non alia addat, nec alïo ordine, nec nouam ipse rhetoricam dictet aut rhetoricae partem aliquam magnam. Poterit tantum addere obiter aliqua praecepta, aut pleniorem eorundem praeceptorum expositionem. 2. Curabit tantum ut clare et distincte et eleganter ea exponat, et haec exemplis accommodatis et perspicuis. 3. Sed nec plura doceat, quam discipuli ferre et retinere possint.

Igitur primo, lecta periodo, sensum praecepti explicet: secundo, exempla afferat, ubi praeceptum ostendat seu praecepti usum; *atque illis poterit Ciceronis locum aliquem, quod sit ejus praecepti exemplum, refferre, aut loca duo, sed non multa:* tertio, frasim frasi literam percurrat, aut partim per synonima, partim phrasim phrasi: quarto, idem praeceptum breuius repetat; atque *postea tandem, quinto,* in authoribus et in orationibus, praesertim Ciceronis, ipsa praecepta iam lecta potissimum annotare oportebit, *vbi occurrunt.*

14.° 1. Quantitas lectionis non uidetur certo praescribi posse; sed tempore, ad singulas lectiones antea praestituto, men-

surabitur, dempto tamen tempore repetendi, exercendi, examinandi, componendi, *ipso docente; imo docente et dictante insumet tantum tres quartas horae.* Item, pro capacitate auditorum mensurandae lectiones prudentia magistri, ita ut scholastici eas possint memoriae mandare, intelligere, ac repetere sciant.

2. Quamuis fortasse sic mensurari posset, ut poëtae lectio esset decem aut duodecim carminum plus minus; orationis, quinque aut sex periodorum mediocrium, aut paulo plurium; historici uero poterit esse paulo longior, historiam simpliciter percurrendo; artis metricae, *vnam aut alteram regulam cum suis exceptionibus, nisi cum nimis multae essent exceptiones;* rethoricae, paulo minor quam orationis ; graecae lectionis quantitas erit ea, quae postea praescribitur, cum de lectione graeca, inferiori cap. 60.

15.° 1. Modus corrigendi themata, *dictandi, componendi, colligendi,* erit idem, qui in aliis classibus dictus est; tamen alternis carmine et prosa; ac prosa quidem in initio anni componunt per duos menses [a] solum epistolas proprio marte in uariis epistolarum generibus, *vt nunc petitorias, nunc consolatorias, etc.; admonendo quale sit genus epistolae, et quae earum loca et leges, cum dictat thema, et in quo libro praecepta illius generis reperient de conscribendis epistolis.* 2. Dato themate cum aliquibus locis talis generis amplificandis, aliquando sine locis, tantum dato themate, *admonendo in genere quid soleat obseruari in talibus epistolis, ad quod deseruient magistro libri de conscribendis epistolis, et etiam scholasticis.* 3. Deinde aliis duobus aut tribus sequentibus mensibus, uel usque ad Pascha, cum scilicet docet de utraque copia, componunt, uel similes epistolas per uaria epistolarum genera aliquando, uel, sententia aliqua proposita, ut uarietur pluribus modis, auditis praeceptis in ipsa copia verborum. Item aliter, scilicet, ut amplificetur per alia loca de copia rerum, et ornetur. Item 4. Laudes aut uituperia rei alicuius, uel personae, uel facti, uirtutis aut uitii, uel ciuitatis, uel alterius rei; item narrationes rerum gestarum, aut descriptiones ciuitatum etc., *more historico; item chryae; item sententiae, additis rationibus, vt*

[a] *In margine, sed ignota manu:* Nota. Forte aliquando dictabit italice per mensem unum aut duo pro imbeccillioribus tn. [*sic*].

approbentur vel reprobentur, eas amplificando, nunc in hoc genere, nunc [in alio]: *ad haec subseruient progymnasmata Aphtonii et similes magistro.*

Post quattuor uero menses, finita copia, aut post Pascha, componunt oratiunculas *in genere demonstratiuo prius*, cum iam docetur rhethorica [a]; *id autem fit* dato themate *breui* cum locis *omnium partium orationis, scilicet, exordii, narrationis, partitionis, confirmationis, confutationis, perorationis; sed confirmationis potissimum et confutationis. Deinde, progressu temporis, in genere deliberatiuo esse poterunt; atque etiam postea in judiciali, praesertim conjecturali statu, vel qualitatis faciliori aliquo.*

Assignabit [b] *autem in themate domi componendo, non solum loca, sed etiam in fine, ex quibus libris poterunt scholastici supellectilem variam ad eam orationem* seu thema componendum comparare, et locum et caput quoque eis citando illorum authorum, vt facile inueniant.

2. Thema carminis in initio anni per tres menses primos aut quatuor dictabitur latine, extense, magnitudinis quinque aut sex carminum pro quotidiana compositione; in duplo uero maior cum toto uespertino tempore componunt; in triplo maior aut paulo plus pro eo quod domi componunt. *Erit autem tale thema, vt proponantur prosa oratione carmina dissoluta, et verbis quam maxime poëticis ac phrasibus*, ut sic discipuli facile discant illa perficere. Postea uero poterit thema dari tantum cum locis, ut proprio ipsi marte carmina quoque componant, et aliquando *postea sine locis, cum plus profecisse judicauerit; et tunc component tot carmina quot possint, praestituto sibi tempore ad componendum, et corrigent, et transcribent, et transcripta decurioni dabunt.*

Thema uero graecum post quatuor menses aut quinque com ponent semel in hebdomada, aut forte bis [c]; erit autem duarum

---

a *In margine, P. Ledesmae manu:* Nota. Forte oratiunculae non in classe, sed domi componendae, vel cum toto vespertino tempore componitur: reliqua uero semper in classe, aut breuiores oratiunculae tantum, vel partes aliquot vno die, aliae alio.

b Assignauit, *ms.*

c *Praecedentia tria verba lineam habent subductam, et in margine*

linearum in initio; deinde poterit augeri progressu anni usque ad uersus quinque aut sex *plus minus, prout scholastici profecerint. Sed de graecis postea, cap. 60.*

16.° Modus *audiendi seu discendi priuatus* scholasticorum *is erit:—1. In classe quidem excipit synonima latina inter lineas, seu frasses, quando phrasim phrasi reddit magister; in margine uero libri uel albeoli, dictata excipit a praeceptore. Neque haec solum, sed notata pleraque, praesertim artificium et aliqua egregia poëtarum dicta, et praeclara aliquot ad antiquitatem et variam eruditionem spectantia, quae magister dicit: reliqua plus minus memoriter curabit percipere et retinere. Item, in altero albeolo excipit themata, et compositionem ibidem scribit primo, vel collocat ibidem correctam, vel solum themata seorsim in albeolo.—2. Extra classem uero domi. 1.° Repetet lectiones auditas apud se uel cum socio, et dictata et notata discit. 2.° Discit memoriter lectiones recitandas. 3.° Componit thema, quod datur semel in mense domi componendum, cum vacat; ac id diebus quoque faestis domi. Forte expediret vt transcriberet lectionem cotidie domi orationis Ciceronis audiendam, vel poëtae lectionem, saltem vnam earum, distantibus lineis, vt ibidem notaret etc., vt in aliis classibus dictum est; sed graecam authoris lectionem omnino uidetur expedire.—3. Curabit etiam ut scholastici non solum in classe, sed etiam extra classem latine semper loquantur; qua etiam de re poterunt constitui obseruatores.*

17.° *Modus exercitiorum litterariorum diebus dominicis ac faestis* [a] *erit hic: statim a prandio, finita 2.ª recreatione, dato signo, per horam cum dimidia, vel per duas horas, fit vnum ex iis: 1. Frequentius quidem, initio anni, compositio aliqua selecta ex iis, quae domi componuntur, a discipulo recitatur memoriter, atque etiam carminis altera compositio. At postquam rhaetoricam auspicabitur, oratio aliqua recitabitur prosa, altera carmine; et id alternis fiet cum rhetoricis. Componentur autem de iis*

---

eadem manu scriptum est: Nota. Forte carminum compositio posset fieri mane, uel graeca; et semper prosa uesperi tertia hora.

[a] *In margine, P. Ledesmae manu:* Forte satis erit post Pentheco-stem aut post Pascha.

rebus, plus minus, quae sunt in catalogo hac de re, et supra, cap. 16 et 17, ac ad has audiendas ambae classes conuenirent, imo et Praefectus studiorum aliquando. 2. Quod rarius fiet, erunt disputationes de rhetoricis praeceptis et de auditis ac notatis a magistro, non dialectico more, sicce et aride, sed ornate ac rhetorico more opponendo et respondendo, aut interrogando et respondendo; ac prius vterque praefaciuncula quadam eleganti ac decenter vtatur. 3. Vt lectionem aliquam praelegat scholasticus ex auditis more prorsus magistri, aut artis rhaetorices, aut poëtae, vel orationis Ciceronis, in qua quoque poterit scholasticus addere alia, si quae ipse repererit; et praefari scholasticus poterit initio lectionis. Possent etiam duo legere, rhaetoricam et poëtam; vel legere latine et graece, et alii postea contra legentem vel legentes disputare et obiicere. 4. Vt duo ex iis, uel omnia simul haec exercitia misceantur lectionum, meditationum, etc., curabit autem vt semper sint admixta aliqua ad pietatem in iis exercitiis. 5. Poterunt etiam nonnunquam alia uaria fieri, vt recitari epigrammata, aut conscribi et affigi carmina in ipsa classe; et haec etiam ab aliis oppugnari; vel affigi orationes compositae, et theses etiam rhaetoricae nonnunquam affigi et defendi; sed non tam dialectico quam rhetorico more, eleganter et ornate interrogando aut respondendo. Item, affigi aenygmata ab aliis diuinanda seu interpraetanda; et constituto judice, vt ei, qui vicisset, palma adjudicaretur. Item, praemiorum aliquorum distributio victoribus, vt imaginum, vel loci in classe, vel aliarum rerum, vt folii papyri, vel pennae, vel fasciculi florum, aut sertae lauri, vel rami, etc. Item, circa finem anni aut post Pascha, aliquando declamationes, in classe quidem posset frequentius: at caelebriores, bis in anno aut ter publice post Penthecostem aut post Pascha, cum jam sunt prouectiores discipuli et defessi praeceptores, ut quodammodo omnes recreentur. Haec autem in demonstratiuo, deliberatiuo aut etiam juditiali genere, oratoribus pro et contra vtrinque constitutis, et judice ac alio pragmatico, scilicet qui in initio argumentum proponeret: atque ad has declamationes essent inuitandi omnes auditores collegii nostri etiam aliarum classium, et posset or-

nari ramis aut etiam peristromatis et tapetibus impluuium: possent etiam hae declamationes haberi aliquo die hebdomadis vesperi, et tunc esset subtrahenda tertia hora lectionum vltima, et possent recitari prius et post easdem epigrammata latine aut graece.

18.º Finitis exercitiis litterariis, si sit concio uesperi domi nostrae aut lectio, tunc solum durant haec exercitia litteraria per horam; deinde eo ducuntur scholastici ab ipso praeceptore ad locum illis destinatum. Sin autem, poterunt protrahere ipsa litteraria exercitia longiori tempore, ad duas horas cum dimidia, quando non fit concio.

19.º In hac classe et in sequenti rhaetorices hoc est aduertendum, solitos esse aliquot, uel pedagogos, uel magistros alios seculares, accedere, et aliarum quoque facultatum superiorum discipulos; qui omnes, finita lectione, statim discedunt, et nollunt se interrogari: cum iis ita est agendum, vt priuatim magister suam illis operam polliceatur, vt, si uelint priuatim ad se ferre compositiones, libenter emmendaturum dicat; idque priuatim vel in cubiculo; et ad id eos exhortetur: hac enim ratione retinentur et alliciuntur. Si nolint, nihilominus indicet gratum sibi esse eorum aduentum.

PRIMA CLASSIS, ID EST, RHAETORICAE

QUAE ET QUALIS CLASSIS

Ad hanc classem admittuntur...

In hac classe audituri sunt...

Libri, quibus vtentur magistri, ex cathalogo facto humaniorum.

Modus recitandi, idem qui superioris classis.

Modus repetendi...

Modus examinandi [1]*...*

[1] Sic finitur quaternio, incompletam relinquens hanc primam Rationis studiorum partem; nam, ut ex indice superius dato constat, 67 capita complecti deberet.

REGULAE

AD PROFICIENDUM IN SPIRITU ET LITTERIS

IN SCHOLIS INFERIORIBUS [1].

REGULAE PRO SCHOLIS [a].

Quoniam a Deo optimo maximo omnis vera sapientia proficiscitur, quam ipse puris atque integris mentibus multo libentius et copiosius elargitur, id ipsum ut consequantur scholastici nostri in primis eniti debent, tum vt in literis quam maxime proficiant. Quas ad res obtinendas plurimum poterunt ea, quae sequuntur, documenta. Itaque, vt haec ipsa quam diligentissime obseruetis, a vobis enixe petimus.

DE MORIBUS ET PURA CONSCIENTIA

I. Cum fundamentum totius spiritualis aedificii sit fides, credere [debent] pure atque simpliciter quicquid sacrosanta mater Ecclesia nobis credendum esse proponit, omnesque errores et sectas, et potissimum huiusce nostri temporis, detestentur; caueantque ne haereticorum aut eorum, qui haeretici suspecti habentur, consuetudine vtantur. Atque propterea non legent libros prohibitos, sed sanctam Sedem apostolicam religiose colent, summum Pontificem reuerebuntur, qui in terris vices Domini nostri Jesv Christi gerit, omnesque errores ab Ecclesia exterminauit atque condemnauit.

II. Omnem spem suam in Deo tanquam in patre amantissimo et benignissimo ponant, atque eum, si illis scrupulus aliquis et dubitatio iniiciatur, si quid incommodi eueniat, consulant, idque animo patienti et constante; necnon omnia bona fortunae, naturae et gratiae eidem accepta referant, qui se nobis tam longe tamque munifice communicat.

---

[a] *Additum Natalis manu:* P. Nostri Laynis.

[1] Ex *cod. 6 Vatic.*, ff. 155-160, apographum. Titulus generalis in *ms.* desideratur.

III. Dent operam vt ex toto animo totisque viribus Dominum reuereantur et ament, suamque voluntatem abiiciant eamque diuinae voluntati conforment, atque summa cum diligentia Dei Ecclesiaeque praeceptis pareant.

IIII. Summa religione et veuerentia se commendent beatissimae et gloriosissimae Virgini Mariae matri Dei, quae sua aduocatione omnem gratiam et omne bonum nobis a sanctissima Trinitate impetrare potest. Tunc etiam colant et reuereantur sanctos et angelos, et praesertim sanctum Michaëlem archangelum, vt principem Ecclesiae; eum etiam, quem sibi custodem delegerunt. Honorent praeterea reliquias et imagines sanctorum. Sint in templis cum religiosi, tunc modesti. In honore habeant sacerdotes caeterosque omnes, qui se Deo consecrarunt.

V. Singulis diebus, cum e lecto surgunt aut discedunt cubitum, orent, seque Deo commendent. Item, cum in scholas eunt aut cum inde domum redeunt. Audient etiam quotidie sacrum attente, religiose et genibus flexis; atque, ubi hostia consecrata erit, Dominum et Jesvm Christvm ibi vere praesentem adorabunt, memores tum passionis et mortis, qua, cruci affixus, pro nostra salute affectus est. Recitabunt quoque officium beatae Mariae Virginis aut mortuorum, aut septem psalmos, aut coronam, aut alias id genus orationes, provt fuerit vniuscuiusque religio, aut consilium confessoris vel praeceptoris. Qui vero sacerdotia [b] habuerint aut sacris initiati fuerint, recitent officium, quod magnum appellant, sacrisque vestibus et signo, provt debent, vtantur. Atque omnes in benedicenda mensa, antequam cibum sumant, et post in agendis gratiis, et in flectendis genibus, tum cum ad salutationem angelicam recitandam signum datur, suam ipsi religionem et christianam consuetudinem praeseferent.

VI. Curabunt ne mentem ipsi suam ad futilitatem versent, sed vt in sanctis et honestis rebus omnem suam cogitationem ponant; atque meminerint Deum Opt. Max. vbique adesse, nec quicquam eum latere. Item assuescent saepe mortem, quae semper omnibus impendet, iudicium postremum, aeterna supplicia,

---

[b] sacerdortia, *ms*.

tormenta, quibus iniqui afficiuntur, praemia et bona aeterna meditari, vitam quoque et passionem Domini nostri Jesv Christi, quae nobis tanquam exemplar ad imitandum quam diligentissime, vt fert cuiusque aetas et captus, proposita est.

VII. Sermonem habeant his de rebus, quae ad pietatem aut ad studia conducant; abstineant ab omni blasphemia, periuriis, mendatiis, obtrectationibus, et quibusuis verbis iniuriosis, turpibus, vel etiam otiosis; atque etiam admonebit unusquisque quem contra facere viderit: quod si ipse emendationem neglexerit, ad magistrum deferetur.

VIII. Cibo et potioni modum adhibeant, eo contenti, quod illis detur, absque ullo fremitu et indignatione; vestitus honestus, non sumptuosus, neque propterea parentibus molesti erunt. Parce dormiant, surgant mature, sint casti quoad vxorem ducant, vel certe in perpetuum, si a Deo ad id genus vitae vocentur; quamobrem vitandus erit omnis locus infamis et quaeuis occasio turpitudinis. Non erunt otiosi; non vtentur armis, nec ludis prohibitis, vt tesseris, chartis, laruis et similibus. Quod si aliquando, animi relaxandi gratia, honestis ludis vtantur, ii ad exiguum tempus durent, ne, quod tam praeciosum est, illud inutiliter consumant.

IX. Parentes et praeceptores suos cum omni reuerentia et obedientia amabunt, ferentes aequo et sumisso animo, si illos verbis aut etiam verberibus castigent. Reuerebuntur senes et eos, qui aut in dignitate sint locati, aut magistratum gerant. Sciant nunquam fore vt ad Societatem nostram admittantur, nisi velint ii, quibus in tutelam et curam traditi sunt: deprecari tamen obnixe Dominum debebunt vt ipsis adsit, lumenque praeferat in eo vitae genere deligendo, quod ad diuinum obsequium et propriam salutem magis conuenire videatur. Caueant interea ne in votis faciendis sint temerarii et inconsiderati, quibus vbi sese considerati astrinxerint, curent ea diligenter persoluere.

X. Videant ne condiscipulis aut domesticis sint molesti, seditiosi, aut factiosi, inuidiosi, aut iniuriosi aliis, sed modesti et pacifici. Vitabunt [c] improborum familiaritatem, et eorum tantum

[c] Vitabunt tum, *ms.*

consuetudine vtentur, qui illis, cum in moribus, tum in literis possint esse adiumento.

XI. In gestu et incessu sint extraneis modestiae exemplum, neque per vicos lapides iaciant, neque pauperes aut mendicos irrideant, sed potius eorum misereantur et iis eleemosynam, si possint, elargiantur.

XII. Vt autem melius perfici possint ea, quae supra diximus, habeant omnes libellum, qui doctrina christiana inscribitur, eumque ad verbum ediscant. Audiant praeterea exhortationes et declarationes, quae in doctrinam christianam fient in collegio, et contiones, quae in templo habebuntur, idque assidue et attente. Legant etiam aliquando librum aliquem spiritualem, veluti libellum illum, qui de imitatione Christi inscriptus est. Singulis mensibus semel confiteantur et sacrosanctam eucharistiam sument, si tamen confessori, qui illis constitutus est, ita videbitur.

QVOD AD STUDIA ATTINET

I. Qui dant operam literis, id idcirco facere debent, non vt scientiam solum, aut opes et honores adipiscantur, sed vt veritatis cognitione sibi et aliis ad honorem et gloriam Dei opitulentur. Quod si aliquando ipsa scientia ad facultates et dignitates perueniamus, id omne vni Deo acceptum referre debemus.

II. Quoniam autem praeter rectam mentem desideratur in iis, qui student, ingenium quidem acutum ad percipiendum ea, quae vel legunt ipsi vel audiunt, rectum autem ad dijudicandum, memoria firma ad custodiendum, et inclinatio quaedam ad studia, ne ab ipsis desistant, qui se his muneribus donatum comperiet, videat ne vllo modo pro tantis beneficiis erga Deum sit ingratus, neue iis abutatur, quibus ad Dei gloriam vti debet. Qui vero viderit se hisce animi dotibus non esse praeditum, curabit vt haec ipsa praecipue studio et exercitatione sibi comparet. At si quis tam rudis inueniatur, vt nulla sit spes eum in literis profecturum, sciat praeceptores, postquam ipse in moribus profecerit, hoc vnum patres eius monituros, ne perdat ipse tempus, rem et operam.

III. Quoniam literarum studia requirunt totum hominem, cauendum ne se negotiis implicent, ne se ludis dedant, neue consuetudine tali vtantur, quo possint impediri vt ad Dei gloriam liberius studiis incumbant. Cum ita sit vt temporis progressu scientia acquiratur, neque quisquam, nisi diuinitus, e vestigio vir doctus euadat, assidui sint in studiis, atque singulis diebus intersint omnibus literariis exercitiis, veniantque antequam inchoëntur, neque prius discedant, quam iisdem finis imponatur, neque ad classes ascendant superiores, nisi in inferioribus probe iactis fundamentis. Itaque, cum primum ad scholam venient, dabunt sua nomina vt in catalogo scribantur, vt eam classem adeant, quae illis maxime conuenire videatur.

IIII. Habeant libros non lasciuos, neque authores, qui in suspicionem haereseos venerint, neque inemendatos. Qui vero sub tutella parentum sunt, ne vendant libros suos absque eorum facultate, neque dilacerent aut inficiant. Qui sunt prouectiores, studeant domi ante lectionibus suis. In schola autem eas cum attentione et cura audiant, neque interim dormiant, neque garriant aut quicquam aliud agant, quo impediatur; sed notabunt ea, quae praeceperit ludimagister, et quae ipsi sibi vtilia esse iudicauerint.

V. Sint etiam diligentes in examinandis et ordine repetendis lectionibus, neque erubescant; si quid ignorent, consulent doctiores: hi autem sine inuidia, quae sciunt, eos doceant. Sic enim hoc ipsum melius ab ipsis intelligetur et memoriae tenatius haerebit.

VI. Definitis temporibus, cum libertate simul et ardore disputabunt, ita tamen vt humanitatem quandam et modestiam praeseferant, absque vlla ira aut indignatione, atque summise et amice veritati cedant, quae finis est omnium disputationum: quicumque ab ea victus fuerit, errorem suum vicerit. Atque ne importune se mutuo interpellent; ac breues ac clari sint, sublatis omnibus, quae veritatis explicationem et cognitionem impedire possint; et ne sint contentiosi et immodesti. Finem ipsi imponent disputationibus, ubi primum id significauerit praeceptor.

VII. Ediscant illud tantum, quod a praeceptore illis praefinitum fuerit, idque horis congruentibus et matutinis et ante coe-

nam: quam ad rem multum iuuerit frequens repetitio et assidua et clara lectio, et si uox attollatur, et potissimum antequam eant cubitum.

VIII. In scriptionibus et in exercendo stylo erunt quam diligentissimi, quod valde vtile erit et necessarium ad iuuandam omnem posteritatem.

IX. Loquentur latine, gramatici absque solecismo, provectiores eleganter, omnes autem vt poterunt. Non enim parum refert, ut quis sensa animi aliis bene explicet; curent idcirco vt emendate et clare legant.

X. In studiis priuatis et domesticis videant ne curiose rebus prohibitis, inutilibus, futilibus, altioribus studeant, sed utilibus et quae captum illorum non excedant, cuiusmodi sunt quae leguntur in scholis et alia id genus; curentque vt in studiis suis seruent ordinem, sintque stabiles, moderati, perseuerantes, vt sic valetudinem suam conseruent.

XI. Qui diligentiores erunt in exequendo ea, quae supra diximus, et maxime qui singulis mensibus confiteantur, si cura et diligentia in suis studiis vtantur, vt plurimum in literis et virtutibus, X.° iuuante, proficient, ita erunt participes omnium orationum et bonorum operum, quae in Societate nostra et proprie in hoc ipso collegio per Dei gratiam fiunt. Qui uero petulantes fuerint et aliis occasionem ruinae praebentes, a correctore, prout deliquerint, punientur; quod si grandiores erunt, neque se verberibus cohiberi patientur, cum semel atque iterum admoniti fuerint, neque tamen resipuerint, expellentur e collegio, in quo nostri docebunt; qui quidem omnia gratis facient propter solam proximorum vtilitatem, et amorem et gloriam Domini nostri Jesv Christi, qui nostra sola et magna merces est, qui est benedictus in secula.

33

†

Jus. Maria.

DE ARTIUM LIBERALIUM STUDIIS [1]

† LEDESMA [a] †

Ihus.

1. Quoniam artes uel scientiae naturales ingenia disponunt ad theologiam, et ad perfectam cognitionem et usum illius inseruiunt, et per se ipsas ad eundem finem iuuant, qua diligentia par est, et per eruditos praeceptores, in omnibus sincere honorem et gloriam Dei quaerendo, tractentur [b]. Tractanda autem sunt logica, phisica, metaphisica, moralis scientia, et etiam mathematicae, quatenus tamen ad finem nobis propositum conueniunt [c].

2. In artium studio cursus erunt ordinandi, in quibus scientiae naturales, ad quas minus quam trium annorum spatium satis non erit, praelegantur, praeter quos medius adhuc annus ad audita repetenda et actus scholasticos celebrandos et gradum magisterii suscipiendum (iis, qui eum suscepturi sunt) relinquetur. Cursus integer trium erit annorum cum dimidio usque ad

---

[a] *Pater Brunelli supra cognomen P. Ledesmae ejus nomen scripsit, scilicet,* P. Jacobus, *et ad calcem:* Asseruanda. *Nihil aliud in hoc primo folio continetur.*

[b] *In margine:* 4.ª p. Const., cap. 12, § 3.

[c] *In margine:* Decla. 4 p., cap. 12, § 3.

[1] Ex archetypo in *cod. Rom. stud., II,* ff. 282-291 Alterum extat ejusdem ordinationis exemplum in eodem codice, ff. 179-184, quod archetypum etiam est, non autem in omnibus cum illo concordat ; nam et brevius est et inemendate scriptum. Illud vero (ff. 282-291) plenius digestum et accuratius descriptum facile perspicitur. Patris vero Ledesmae manus hunc laborem dirigentis in utroque exemplari dispicitur: unde hujus tractatus auctor abs dubio videtur, licet fortassis ab alio compositus fuerit. In *cod. Rom. I,* ff. 41-44, habetur apographum prioris partis, scilicet usque ad caput «De promotionibus ad baccalaureatum...», et in ultima pagina addita sunt alia manu sequentia: «De artium liberalium studiis, Collegii Romani.»

promotionem ad magisterium [d]. Quae intelligantur in iis collegiis et uniuersitatibus, ubi studiorum intermissiones aliquot mensium sunt; sed, ubi nullae tales sunt intermissiones, ut Parisiis, ex hoc spatio poterit tantum deduci temporis, quantum vacationibus alibi datur.

3. Ubi uero nostri in celebri quapiam accademia erunt, poterunt se eius tempori accommodare, si, iuditio Prouincialis, consulto prius Generali, expedire iudicabitur.

4. In logica, et philosophia naturali et morali, et metaphisica doctrinam Aristotelis profiteri oportebit: et meminerint praeceptores canonis concilii Lateranensis, octaua sessione, hac de re; sic enim constitutio nostra intelligitur [e].

5. Ne uero tempus, uni facultati debitum, aliis prolixe tractandis tribuatur, hanc distributionem, quantum res tulerit, obseruabunt, ut dialecticae succincta introductio et ipsa aristotelica dialectica unius anni spatio absoluatur; ita singulorum enarrationi librorum immorando, ut omnibus suum tempus relinquatur, iuxta id, quod Praefectus praescribet, iudicio Rectoris.

6. Sesquiannus deinde phisicis et reliquis philosophiae naturalis studiis impendatur, ut postremis sex mensibus metaphisica explicentur, si una tantum lectio quotidie habeatur; si uero binae lectiones singulis diebus sint, quatuor menses sufficient metaphisicis.

7. Erit quidem in dialectico et philosophico curriculo universus Aristotelis contextus explicandus; sed quoniam non aeque utilia sunt omnia, uerum aliis alia magis sunt necessaria, pleraque erunt accurato et diligenti studio explicanda; multa uero aut cursim praelegenda, aut certe sub breui compendio attingenda, ut subiecta formula indicat.

8. Accurate et plene praelegentur omnia praedicabilia, ultimo excepto capite; praedicamenta omnia; de enuntiatione prior liber; primi libri priorum prima sex capita; libri prioris posteriorum, undecim prima capita, et a 23 usque ad finem; secundi

---

d *In margine:* 4 p., cap. 15, § 2.
e *In margine:* 4 p., cap. 14, § 3.

uero libri tantummodo primum, 14, 15, 18 capita: topicorum liber primus, secundus et sextus. Reliqua omnia sub compendio aut cursim, ut dictum est, sunt tractanda, quemadmodum etiam inueniendi ars et elenchi.

9. Physici libri accurate enarrentur, praeter haec quae sequuntur, quae compendio tantum explicentur: ex primo libro, placita philosophorum; ex 3.°, capita de infinito; ex quarto libro, capita de uacuo; sextus etiam liber totus [f].

10. De coelo priores libri duo exacte, reliqui vero compendio.

11. De generatione, uterque accurate praelegatur, praeter philosophorum sententias, quibus immorandum non uidetur.

12. Meteorologica paulo exactius quam compendio tractentur; nec parua naturalia negligi debent.

13. In primo libro de anima, nihil est diligenti studio explicandum praeter prooemium: secundus uero liber et tertius exacte sunt praelegendi.

14. Ex metaphysicis, quamuis cum prooemio operis explicatio quinti, septimi, octaui, noni et duodecimi libri, si tempus suppeteret, utilis futura iudicetur, si tamen temporis angustiis intercludetur magister, cum prooemio primi, libros quintum, septimum et duodecimum sibi plene esse enarrandos intelligat. Ex ethicis etiam aliqua praelegenda sunt.

15. Mathematicae disciplinae praeteriri non debent: hae in uniuersitatibus extraordinaria aliqua lectione praelegantur aut ab eo, qui proximo anno cursum alium est incepturus, aut ab alio: in collegiis uero priuatis, aut qui philosophiam profitetur magister, si id facile possit; sin minus alius mathematicas explicabit, quatenus ad finem nobis propositum conueniunt. Sed spherae saltem cognitio habenda est: et cum nostri in academiis litteris dant operam, huic etiam disciplinae uacare studeant cum philosophiam audiant; aut, si id fieri tunc non potuit, cum theologiae student. Ii praesertim in ea exercitati esse debent, qui superiorum uoluntate ad artes liberales publice praelegendas parantur.

---

[f] *In margine manu P. Ledesmae:* item 7.us cursim forte.

16. Ad artium liberalium disciplinam nullus admitti debet auditor, quamuis aliquanto tempore dialecticis studiis sub aliis praeceptoribus operam nauarit, de quo per examinatorem exploratum non sit ad eam facultatem non esse inaeptum. Si quis tamen externus hoc modo nollet procedere, excludi propterea non debet.

17. Toto triennii spatio singulis diebus horas quinque discipulis magistri impertient, ita ut ante prandium duas horas apud scholas sint; pomeridiano deinde tempore tres horas dabunt.

18. Haec autem spatia temporum hoc ut plurimum ordine distribuent: mane hesterna lectio ab aliquo discipulo primum omnium ualde breuiter repetatur; deinde unius horae lectio sequetur [g], quam in fine, intra horam tamen, compendio repetat ipsemet magister per quartam horae plus minus; quam etiam, magistro praesente, qui ab eo iubebuntur, postea [h] repetent. Postremo ipsi inter se discipuli eandem lectionem bini aut terni repetent; quo tempore magister prope classem maneat, ut discipulorum de lectione controuersias dirimat.

19. A prandio uero, matutina lectione a discipulis succinte repetita, magister unam horam in lectione consumet; qua reddita a discipulis, eaque postea inter ipsos diligenter repetita, ut fuerat mane factum, elapsis duabus horis, ex classe exibunt, ut per mediam saltem horam possint uacare; deinde in schola una hora reparandis lectionibus, disputationibus et exercitationi dabitur [i].

20. Die sabbati in scholis nostris aliquis ex quauis classe artium et theologiae studiosorum, a magistro, re communicata cum Praefecto et Rectore, assignatus, a prandio, si aliqua ex causa peculiari impedimentum non accederet, aliquas positiones tuendas suscipiat, quae pridie eius diei ualuis scholarum affigantur; quibus ab eo, qui responsurus est, confirmatis, quae confirmatio quartam horae partem nunquam excedat, argumentari ex domesticis vel externis licebit cuicunque libuerit.

---

g *Quindecim sequentia verba a P. Ledesma in margine addita sunt.*

h *Hoc verbum a P. Ledesma additum est.*

i *In ms. additum est*: iuxta Constit., 4 part., cap. [*sic*].

21. Hae autem disputationes aut generales erunt aut particulares. Particularibus magister in sua classe disputantibus discipulis praeerit, nullo praeter eos ad disputandum admisso. Ad generales uero concertationes omnes magistri cum discipulis conuenient; quamuis, qui rudimentis dialecticae imbuuntur, primis anni mensibus iuxta Rectoris iudicium tempus id frustra terere non debent, sed in sua classe utilius occupari: particulares uero per *duas horas tantum* habeantur; generales uero *duas horas mane, totidem vespere,* quae semel in mense fiant [j].

22. Disputare autem bifariam poterunt; nonnunquam scriptis positionibus, quas discipuli tueantur, interdum uero capite aliquo assignato ex iis, quae sunt ex Aristotele interpraetati, quod impugnare alii possint. Sit uero caput hoc ex praecipuis et difficilioribus; nec hoc tamen frequentius quam semel in mense fiet.

23. Generales disputationes diuersi ex diuersis classibus discipuli sustinebunt, et eos magistri sinent, quamdiu recte dixerint, disputare; ipsorum deinde partes erunt illorum positiones, cum opus erit, diligenter tueri; quod etiam in particularibus seruandum erit.

Cum superiorum classium auditores publicas positiones tuendas susceperint, meminerint aliquas addere, quas inferiorum classium discipuli possint impugnare: nimirum si propugnator metaphisicus est, non materias metaphisicas tantum, uerum etiam et philosophicas et dialecticas defendat, ut dialectici et philosophici cum utilitate disputationi adesse, et disputare etiam possint.

DE PROMOTIONIBUS AD BACCALAUREATUM LICENTIAM ET MAGISTERIUM

In gradibus tam artium quam theologiae tria obseruentur: Primum, ne quis, nisi diligenter et publice examinatus per per-

---

j *In margine manu P. Ledesmae:* Nota. Communi consensu magistrorum, tum Superiorum, uisum fuit expedire, ut durarent per duas horas cum dimidia, et in generalibus similiter tam mane quam uesperi, hoc est, toto tempore, quo durant lectiones vespere et mane.

sonas dessignatas, quae bene suum officium faciant, et idoneus ad praelegendum eandem scientiam inuentus, promoueatur, siue ille de Societate sit, siue extra eam [k]. Alterum, ut praecludatur ostium ambitioni, nullis locis certis eis, qui ad gradus promouentur, assignatis, quin potius honore se inuicem praeuenire, nulla locorum differentia obseruata, curent: sortibus omnes committantur. Tertium, ut, quemadmodum gratis docet, ita et ad gradus Societas gratis promoueat, et non nisi admodum exigui sumptus, licet uoluntarii sint, externis permittantur, ut in Constitutionibus, 4 parte, cap. 15, praecipitur. Quae autem expensae in singulis uniuersitatibus fieri debeant, Praepositus generalis, auditis Prouincialis, Rectoris et consultorum sententiis, constituet.

In collegiis nostris aut uniuersitatibus, ubi gradus dari debebunt iuxta facultatem nobis a Sede apostolica concessam, hic erit obseruandus modus.

DE BACCALAUREIS

1. In fine anni 2.[i] ab incoepto cursu artium, post festum divi Joannis Baptistae, examinari incipient futuri baccalaurei. Ad examen uero non admittatur, qui rectoris collegii et sui praeceptoris syngraphum non tulerit, quo testentur illum fuisse assiduum logicae et phisicae, in quibus est examinandus, auditorem; nec solum lectionibus, sed etiam exercitationibus quotidianis, et publicis scholarum disputationibus interfuisse.

2. Examen autem hoc exigitur, ut unusquisque positiones decem aut duodecim diligenter per horas duas et dimidium tertiae tueantur. Singulis uero positionibus singulorum dialecticae librorum materiae difficiliores et utiliores breuissime complectantur, et tres aliae aut 4 positiones phisicas, atque adeo grauiores quaestiones, contineant. Debet insuper illud exigi, ut aristotelicas definitiones rerum, quae praecipuae sunt in dialectica et phisica, ubi de eis examinatores petent, memoriter recitent.

3. Examinatores tres esse debent, qui a rectore collegii eligentur. Hi suo ordine, ut assolet, baccalaureandos interroga-

[k] *In margine:* 4 part. Constit., cap. 15.

bunt, nullam positionem sine seria, saltem alicuius partis, impugnatione praetermittentes, ita ut primus de primo, secundus de altero, tertius de tertio libro Aristotelis interroget. Duorum examinatorum suffragio approbatus, ad gradum idoneus censeatur. Intelligant tamen examinatores nullum hic gratiae locum aut aliis humanis affectionibus esse debere, sed puram, simplicemque ueritatem ob oculos mentis habendam esse.

4. Si quis parum idoneus inter examinandos sese petet admitti, debent Praefectus studiorum et magister eum ualde dehortari, ne uelit repulsae periculum, quod sibi forte impendet, adire; quod si pergat examen subire, non debere postea in alium, quam in se ipsum, ignominiae causam conuertere. Hoc de externis intelligi debet; nostrae enim Societatis qui sunt, nec ad gradum nec ad examen, nisi uoluntate Superioris, admitti debent.

5. Praefectus studiorum catalogum eorum, qui sunt examinandi, et certum ordinem dierum, quibus est unusquisque uocandus, bedellio dabit, ut examinandi tempestiue admoneantur.

6. Inter examinandos esse nullus debet, cuius non sit nomen scriptum in libro secretarii inter scholasticos, qui scholas frequentant, quique promiserit obedientiam se Rectori praestaturum et constitutiones obseruaturum.

7. Cum primus omnium erit examinandus, ut celebritas rei per se honestae accedat, Rector cum omnibus magistris et scholasticis adesse debet; et qui inter examinatores primum antiquitatis locum obtinet, orationem habeat de artium liberalium dignitate et exercitationum huiusmodi utilitate. Deinde examinandum adolescentem ad sedile, in medio positum, uocet, et examen incipiat.

8. Postquam omnes examen subierint satisque fuerit de cuiusque eruditione exploratum, Rector collegii Praefectum studiorum et examinatores seorsum conueniet; et, de singulorum doctrina profectuque in studiis certior factus, eis sygillatim euocatis pro ratione meritorum, aut nauatam operam laudando, aut in diligentia admonendo, quodnam fuerit de eis examinatorum iudicium declarabit.

9. Die aliquo festo, Rectore cum uniuerso gymnasio praesen-

te, omnes á suo magistro, ut moris est, baccalaureatus honorem accipiant. Vnus e discipulis primus omnium orabit, qui suo et commilitonum nomine pro petitione dicet: tunc magistri sequetur oratio, qua discipulorum labores, in studiis constantiam, in moribus probitatem commendans, ad reliquum virtutum et studiorum certamen ineundum exhortetur, et petitum honorem deferat.

Tum demum unus ex baccalaureis pro gratiarum actione dicet, suis caeterorumque uerbis, operam suam in posterum, multo quam ante diligentiorem, modeste pollicendo.

De magistris designatis seu de licentia

1. Elapso iam artium liberalium et philosophiae curriculo, eodemque satis aliquot mensium exercitatione repetito, pro arbitrio Superioris, qui licentiati futuri sunt, ad publicos actus accedant. Ii tres esse debent; duo primi responsiones uocantur, tertius uero examen erit.

2. Prioribus responsionibus, quae maiores dicuntur, praeesse magister debebit: in his quinque ex initiandis, a magistro electi, mane et a prandio respondebunt. Singuli eorum nouem positiones defendendas suscipient: primus quidem dialecticae; alter uero phisicae; philosophiae autem naturalis tertius; quartus eiusdem philosophiae septem, et reliquas duas ex aethicis; postremus ex metaphisica quinque, et quatuor ex aethicis desumet.

3. Scriptas positiones ipsi, qui eas defensuri sunt, ad Rectorem et magistros deferent, obnixeque petant ut et adesse disputationi uelint et placita impugnare.

4. Magister breui oratione initium disputationi dabit, et singula positionum problemata breuibus utrinque uersans, singula etiam argumenta respondentibus singulis proponet: tum is, qui dialecticam tuetur positionem, quae problemati respondet, et deinde a capite reliquas fulciet, quousque a praeside satis esse in probationibus progressum iudicabitur. Tum demum ad propositum sibi a magistro argumentum respondebit.

5. Huic succedet alter, qui ad phisicam propugnandam est paratus, omnia eodem ordine, quemadmodum primus, excepta

oratione, faciens. Deinde tertius, qui philosophiae, et quartus qui metaphisicae, et quintus, qui aethices partes sustinent, ordine quisque suo respondebunt.

6. Hoc argumentorum orbe a praeside absoluto, alii doctores et magistri disputationes agredientur.

7. Post aliquos dies de aliis quinque a magistro assignatis periculum non dissimile fiet. Quod si designandi adolescentes pauciores sint, quam ut hunc numerum expleant, a magistro ita componentur, ut disciplinae rite inter eos distributae uideantur.

RESPONSIONES PARUAE

Praeter has magnas responsiones, aliae, quae paruae appellantur, praeside eodem magistro, subsequantur; in eis uero, magistris tacentibus, ipsi inter se baccalaurei congrediantur, ita ut, qui priores magnas responsiones sustinuerint, mane aduersus eos disputent, qui alias postea defenderunt, eodem prorsus ordine, quo magistri antea disputauerant. A prandio uero, qui has positiones defenderunt, aduersus eos, quibus mane responderant, argumententur. Positiones autem tres tantum in his disputationibus quisque tueatur. Sed illud debet animaduerti, ne eiusdem sint argumenti cum illis, quas in magnis responsionibus defenderant.

DE EXAMINE

1. Extremum, quod adiri ante licentiam periculum debet, examen est, quo tres magistri, aut, ubi erit commodum, quinque, e quibus unus erit Cancellarius, de tota dialectica, phisica, naturali philosophia et metaphisica diligenter et accurate interrogabunt. Et quamuis aristotelicum contextum memoria ut teneat, qui examinatur, non exigatur, illud tamen ab eo praestari necesse est, ut de omnibus, quae ex Aristotele a magistro explicata sunt, rogatus, facile prompteque respondeat; ita ut non solum quid quouis in loco philosophus [1] doceat, elucidare, uerum etiam omnes, quae super ea re quaestiones proponentur, absol-

---

1 *Perperam in ms.* philosophum.

uere, et rationibus argumentisque obiectis satisfacere iudicetur.

2. Ad hoc examen nemini accessus sit, qui rectoris collegii et magistri sui scriptum testimonium examinatoribus non ostenderit, illi syngrapho persimile, quod ad baccalaureatum necessarium dixeramus. Constare enim hoc testimonio debet illum esse iam inter baccalaureos numeratum, et assiduum toto artium cursu fuisse auditorem; publicis praeterea scholae exercitationibus et disputationibus adfuisse, responsiones, tam magnas quam paruas, peregisse.

3. Omnibus examinibus absolutis, Rector, cum Cancellario caeterisque examinatoribus, de eorum, qui examinati sunt, doctrina et moribus conferentes, an reiiciendus quispiam sit iuxta constitutiones constituent.

4. Deinde ingressus notarius duplices singulis examinatoribus litteras pro quolibet approbando uel reprobando, A. et R., porriget, et illi in pileum aut uasculum utram libuerit coniicient: vnde facile ad plura suffragia apparebit, an magister designatus fieri ille, de quo exploratum, debeat; et notarius repertarum litterarum fidem scripto faciet, necnon poenitentiae iniunctae, si erit; et litteras, sicut in pileo sunt, examinato tradens, illum ad Rectorem et examinatores accerset. Quae etiam omnia, seruato examinis ordine, cum singulis aliis sunt obseruanda.

5. Qui plurium suffragio, praedicto ordine fuerint approbati, nomina sua scripta notario dabunt, quae, in pileum missa et deinde sygillatim extracta, ordinem magisterii adipiscendum indicabunt; nam is, qui sorte loco primo educetur, primam etiam lauream consequetur, eodemque alii ordine: quae omnia idem notarius in librum suum excipiet.

De licentiae gradu

6. Gradum licentiae omnes simul die aliquo celebri a Cancellario publice ac solemniter accipient. Primum omnium bedellius catalogum baccalaureorum, qui sunt initiandi, recensebit, quorum unusquisque, nudo capite, cum se audiet nominari, in concionem prodeat. Eos deinde examinator primarius Cancellario, nomine totius scholae, offeret latino sermone, breuibus com-

plectens examinatos illos esse baccalaureos et dignos iudicatos, qui designati magistri per licentiam fiant. Respondebit Cancellarius sese libenter eos admittere.

7. Extemplo unus ex baccalaureis sibi et suis condiscipulis oratione praemeditata, sed minime prolixa, gradum petet, cui Cancellarius alia oratione respondebit, et ab eis iuramentum exiget. Tunc genibus flexis gradum accipient, quem Cancellarius authoritate apostolica conferet. Tunc, in pedes erecti, expectabunt ut unus pro gratiarum actione peroret, quemadmodum de baccalaureis fuerat ante memoratum.

DE MAGISTERII LAUREA

8. In die aliquo festo a prandio unus aut duo ex primis designatis magisterii insigniis cum celebritate decorentur, et alii deinceps aut singuli aut bini unaquaque haebdomada: et oportet ut expletum decimum octauum aetatis annum habeat qui ad hunc honorem prouehendus est.

9. Proponet ex alto loco Cancellarius e morum philosophia problema, ad quod, qui initiandus est, e sede sua breuibus una aut pluribus propositionibus respondebit, eas uero aristotelicis comprobabit sententiis. Deinde stans, sed minime longa oratione, debitum suis laboribus honorem a Cancellario petet; cui postquam ipse Cancellarius alia responderit oratione, et consueto iuramenti uinculo illum obligarit, ut, accedens, genua flectat, admoneat. Tunc demum expectato honore authoritate apostolica eum cohonestabit, magisterii insignia capiti de more imponens.

10. Deinde doctorum et magistrorum sedes nouus magister, singulos amplexandi et gratulandi causa, adibit; et ad sedem suam rediens, accepti beneficii honorisque communicati Rectori, Cancellario, magistro caeterisque astantibus, praemeditata ante oratione, gratias aget.

In omnibus autem constitutionum nostrarum ratio habenda est.

Laus Xpo. Jesu Domino nostro.

34

MODUS QUO DISCIPLINAE MATHEMATICAE IN SCHOLIS SOCIETATIS POSSENT PROMOUERI [1]

Primum deligendus erit magister eruditione atque authoritate non uulgari : alterutra enim si absit, discipuli, ut experientia docet, non uidentur ad disciplinas mathematicas allici posse. Ut autem maiorem apud discipulos auctoritatem habeat magister, et disciplinae ipsae mathematicae maiori in pretio sint, ac discipuli earum utilitatem necessitatemque intelligant, inuitandus erit magister ad actus solemniores, quibus doctores creantur et disputationes publicae instituuntur, ita ut, si fuerit idoneus, proponat etiam interdum argumenta et argumentantes iuuet. Nam hac ratione facile fiet ut discipuli, uidentes professorem artium mathematicarum cum reliquis praeceptoribus eiusmodi actibus interesse et interdum etiam disputare, persuadeant sibi coniunctas esse, ut uere sunt, philosophiam scientiasque mathematicas; praesertim quia hactenus discipuli contempsisse uidentur fere has scientias hac una adducti ratione, quod putent eas non haberi in pretio, imo inutiles esse, quandoquidem, qui eas docet, nunquam conuocatur ad actus publicos cum caeteris professoribus.

Necessarium etiam uidetur, ut praeceptor habeat inclinationem quandam et propensionem ad has scientias praelegendas, et non sit multis aliis occupationibus distentus; alias uix discipulos iuuare poterit. Ut autem Societas semper habere possit idoneos harum scientiarum professores, eligi deberent aliquot ad hoc munus obeundum apti et idonei, qui in priuata academia instituentur in uariis rebus mathematicis; alioquin non uidetur posse fieri ut haec studia in Societate diu permaneant, nedum promoueantur; cum tamen magnum Societati afferant ornamentum, et frequentissime in colloquiis et conuentibus principum uirorum de illis sermo habeatur, ubi intelligunt nostros mathematicarum rerum

[1] Ex *cod. Rom. stud., II,* ff. 350 et 351 r. Autographum, ut Pater Brunelli statim post titulum asserit hisce verbis: « Manu P. Christophori Clauii. »

non esse ignaros. Unde fit [2] ut necessario nostri in eiusmodi conuentibus obmutescant, non sine magno rubore atque dedecore: id quod iidem, quibus hoc ipsum contigit, saepius retulerunt. Omitto philosophiam naturalem sine disciplinis mathematicis mancam esse et imperfectam, ut paulo infra docebimus.

Atque haec de magistro mathematicarum disciplinarum dicta sint: nunc de auditoribus pauca subjiciamus.

Secundo ergo loco necesse est ut discipuli intelligant has scientias esse utiles et necessarias ad reliquam philosophiam recte intelligendam, et simul magno eas ornamento esse omnibus aliis artibus, ut perfectam eruditionem quis acquirat; immo uero tantam inter se habere affinitatem hasce scientias et philosophiam naturalem, ut, nisi se mutuo iuuent, tueri dignitatem suam nullo modo possint. Quod ut fiat, necessarium erit primo, ut auditores physices audiant simul disciplinas mathematicas; qui mos hactenus in scholis Societatis retentus semper fuit. Nam si alio tempore praelegerentur hae scientiae, existimarent philosophiae auditores, neque immerito, eas nullo modo esse necessarias ad physicam, atque adeo pausissimi eas intelligere uellent: cum tamen apud peritos constet physicam sine illis recte percipi non posse, praesertim quod ad illam partem attinet, ubi agitur de numero et motu orbium coelestium, de multitudine intelligentiarum, de effectibus astrorum, qui pendent ex uariis coniunctionibus, oppositionibus et reliquis distantiis inter sese, de diuisione quantitatis continuae in infinitum, de fluxu et refluxu maris, de uentis, de cometis, iride, halone et aliis rebus meteorologicis, de proportione motuum, qualitatum, actionum, passionum et reactionum etc., de quibus multa scribunt calculatores. Omitto infinita exempla in Aristotele, Platone et eorum interpretibus illustrioribus, quae nulla ratione intelligi possunt sine mediocri scientiarum mathematicarum cognitione; immo propter earum ignorationem nonnulli philosophiae professores saepissime multos errores, eosque grauissimos, commiserunt, et (quod peius est)

[2] Sic in autographo; attamen quae in hac periodo dicuntur, non videntur ex praecedenti posse deduci. Quid sibi voluerit P. Clavius, ex contextu totius scripti optime dignoscitur.

scriptis etiam mandarunt, quorum aliquos in medium proferre non esset difficile.

Pari ratione oporteret praeceptores philosophiae callere disciplinas mathematicas, saltem mediocriter, ne in similes scopulos magna famae, quam Societas in litteris habet, iactura et dedecore incurrerent.

Taceo professores hac re apud auditores magnam sibi auctoritatem conciliaturos, cum intelligerent eos loca Aristotelis et aliorum philosophorum, quae ad mathematicas disciplinas pertinent, pro dignitate tractare. Ex quo etiam fiet ut discipuli magis intelligant harum scientiarum necessitatem. Ad hoc etiam multum conferet, si praeceptores philosophiae ab illis quaestionibus abstineant, quae parum iuuant ad res naturales intelligendas, et plurimum auctoritatis disciplinis mathematicis apud auditores detrahunt, quales sunt illae, in quibus docent scientias mathematicas non esse scientias, non habere demonstrationes, abstrahere ab ente et bono etc.; nam experientia docet multum haec obesse auditoribus, prodesse autem nihil ; praesertim quia praeceptores ea vix (quod non semel ex relatione aliorum cognitum est) sine derisione harum scientiarum docere possunt.

Expediret etiam ut magistri in priuatis colloquiis discipulos hortarentur ad has scientias perdiscendas, inculcando earum utilitatem, et non e contrario eos ab earum studio abducerent, ut plerique superioribus annis fecerunt. Hac ratione tolletur omnis dissentio, quae externis inter nostros esse uidetur, cum eiusmodi doctrina in scholis auditur.

Praeterea ad haec studia maxime incitabuntur scholastici, si singulis mensibus omnes philosophi in unum aliquem locum conuenirent, ubi unus discipulorum habeat breuem commendationem disciplinarum mathematicarum, deinde cum uno aut altero explicet problema aliquod geometricum uel astronomicum; quod et iucundum esset auditoribus et utile rebus humanis, qualia problemata plurima reperiri poterunt; vel declaret locum aliquem mathematicum ex Aristotele uel Platone, qualia loca apud ipsos non pauca sunt; uel etiam afferat nouas demonstrationes quarumdam propositionum Euclidis a se excogitatas ; vbi laudari

possent ii, qui melius problema propositum soluissent, uel pauciores paralogismos, qui non raro occurrunt, commisissent in nouis demonstrationibus inueniendis. Ita enim fieret, ut non parum inflammarentur ad haec studia, cum uiderent sibi propositam esse hanc gloriam, et simul intelligerent eorumdem praestantiam, maioresque in illis hac exercitatione facerent progressus.

Posset autem huic exercitationi tribui uel tempus unius scholae antemeridianae pomeridianaeuae in mense, quod praeceptoribus philosophiae graue non esset; cum id septies aut octies dumtaxat ad summum contingeret in anno, uel tempus matutinum unius diei vacationum, uel certe hora illa, qua mathematicae disciplinae praelegi consueuerunt.

Postremo, circa finem curriculi philosophiae, qui uolunt lauream magisterii doctoratusue suscipere, examinari deberent in rebus mathematicis more aliarum academiarum quarumdam; cui examini intersit una cum reliquis philosophiae professoribus professor mathematicarum disciplinarum.

Manu Patris Brunelli. Patris Christophori Clauii manu scripta et diligenter asseruanda.

35

†

DE RE MATHEMATICA INSTRUCTIO [1]

Actum est anno superiore ut ad promouenda in Societate nostra mathematicae studia, quae pene iam negligebantur, ii, qui eam scientiam professuri essent, a docenda grammatica ea ratione eximerentur, ut primum annum, post peractum philosophiae curriculum, domi eam plenius audirent, tum uero uno aut altero anno publice profiterentur; quod quidem expedire uisum est; agi etiam aliqua ex parte coeptum est, idque utilissimum futurum, non modo ad fouendam eam disciplinam, uerum etiam ad alias et ornandas et augendas; et tandem demonstratum est

[1] Ex *cod Rom. stud., II*, ff. 201 et 202. Autographum P. Christophori Clavii. Titulus, a nobis appositus, non extat in *ms.;* et illius loco haec tantum scripsit Pater Brunelli: «P. Christophorus Clauius.»

et omnes fatentur. Illud unum ea in re uidetur esse incommodi, quod, cum admodum adolescentes plerumque ingeniosissimi, quique et ii, quos ad maius Domini nostri seruitium ac Societatis bonum ad tale ministerium seligi oporteret, philosophiam absoluant, cum, ut plurimum, qui aetate maxime praecesserint quartum et uigesimum annum uix attigerint, neque ipsis expedire uidetur ut annum eum, quo docent, cum unius aut alterius horae spatium ministerium id requirat, reliquum arbitratu suo, ut uidetur, insumant, neque ad scholae ipsius utilitatem, quae deprimitur ac deiicitur, ubi magistri pene pueri sint, neque ad Societatis existimationem perpetuo eiusmodi hominibus uti ad grauiores disciplinas explicandas.

Quam ob rem expediret fortasse eos, qui ad haec ministeria seliguntur, post peractum quidem philosophiae curriculum, annum integrum domi audire ea, quae deinde docturi essent, ut iam ante decretum est, deinde uero audire theologiam, tum uero docere id temporis, quod ante docturi essent, mathematicas disciplinas: nam, praeterquam quod iam matura aetate uiri, ac sacerdotes et theologi, cathedram cohonestarent potius quam deprimerent, et tutius possent sibi credi ad reliquum tempus insumendum. Essent illa quoque non uulgaria commoda:

Primum. Quod philosophicis disputationibus possent, tum menstruis tum priuatis etiam, interesse, ac replicando et iuuari ipsi atque excitari, et iuuare etiam alios. Quod si ante legant quam theologi sint, fieri non potest uel quod ipsi, licet excellant ingenio, puri philosophiae discipuli, uix quicquam afferre possent dignum disputatione, uel quod forte philosophiae magistris molestum esset ab iis prouocari et [cum eis] certare. 2.m Quod tempus illud ipsum, quod superat a docendi labore, uel hoc ipso quod iam theologiam audissent, multo utilius in recognoscenda philosophia textuque Aristotelis intelligendo insumerent, quam si uel diligentissime antea in id studium incubuissent; nam et ipsa aetas plus affert iudicii, et theologiae studium mirum in modum ingenium et acuit et excitat. Uidetur autem magis e re Societatis ad Domini nostri gloriam esse, ut, quam fieri potest maxime, eodem praesertim et tempore et labore, in studiis

scholastici nostri proficiant. 3.m Quia poterunt etiam interim philosophorum repetitionibus domi praeesse, atque eo labore magistros leuare, qui alioqui nunc grauiore etiam onere premerentur quam antea, ut id magno adiumento futurum sit. 4.m Quia ad mathematicam addiscendam multo id est accomodatius. Quoniam enim in schola sex iam priores libros audierunt, poterunt a 7.° initium audiendi facere usque ad 12.m inclusiue; tum uero addere Theodosii sphaerica elementa, et aliqua ex cognitis Apollonii; quod satis commode uno anno fieri posset, si duas lectiones audirent singulis diebus, quod et fieri oporteret; tum uero quadrienni illo theologiae spatio, sicut magistri futuri grammaticae, ubi uacatur a prandio, domesticis academiis exercentur, ita ipsi quoque a prandio per horam, eodem tempore, dum docendi finis fiat, theoricas planetarum, gnomonicen, astrolabium, aliquid ex Archimede et ex algebra, distributis quasi in orbem materiis, audire, atque ita instructiores ad docendum uenire; quod reliquis etiam studiis et ornamento foret et utilitati.

Oporteret autem eos potissimum seligi, qui, reliquis paribus, ingenio, diligentia, atque in has scientias affectu, ac docendi modo aliis omnibus praestent, non qui gratia alios superent; eiusque rei iudicium serio ab iis peti, qui eos in eo genere tractant; fit enim interdum ut aliqui, uel quia non sint ita applicati, uel quia ad illud studium facti a natura non sunt, et in aliis studiis satis proficiant, ad mathematicam sint inepti.

Illud unum uidetur afferre difficultatem huic practicae, quod, cum egeamus magistris mathematices, ad quos informandos fiunt haec omnia, non uidetur unde possint haberi, qui interim doceant, dum ii sua studia absoluunt, qui mathematica sunt docturi. Verum ne hoc quidem ipsum officit; hoc enim anno absoluunt studia theologi, ex quibus sunt qui nunquam docuerunt, et libenter studerent mathematicis, ut doceant alii, qui possunt interim locum implere; et ne, dum unus docet, alter tempus inutiliter terat, possent ex studiorum ordine et constitutionibus nostris interim studia sua repetere.

Manu P. Brunelli. Asseruanda.

36

†

DE STUDIIS MATHEMATICIS [1].

Parece que en las mathemáticas se devría tener esta orden: Que se leyessen siempre dos lectiones, vna para los que son nouicios, ó de vn año, y otra para los que son introducidos. Y començando del principio, los dialécticos, tres meses antes del primer año, sería bien que oyessen la arithmética práctica el mes de Agosto y Setiembre y Otubre; y al principio de la lógica oyessen tres libros de Euclides, que se leerán no en menos de 4.° meses; y luego oyessen la sphera, que duraría otros quatro meses, y la geographía, que duraría otros tres ó quatro meses; y ansí se concluiría el segundo año. El tercero theóricas de planetas por espacio de quatro meses, y el astrolabio de otros quatro, y la perspectiua los otros quatro; y desta manera siempre avría dos lectiones, la vna á la mañana la primera hora, y la otra luego después de comer. En este tiempo parece que se aprouecharían más si tuuiessen media hora de tiempo ó algo menos para repetir estas lectiones, y que cada vno tuuiesse vn compás y vna regla, con que se exercitassen en hazer algunas figuras: y si se diessen quatro ó cinco meses después de acabado el curso, podrían oir el quarto, quinto y sexto y vndécimo de Euclides, y dar vna passada á las theóricas, y á introducirse en las tablas; y si huuiese tiempo que oyessen algo de reloges, ó el ánulo, ó el quadrante, ó el radio, ó el cómputo ecclesiástico, ó vna spera sólida.

Alia manu. Memoria del doctor Torres.

---

[1] Ex *cod. Rom. stud., II,* fol. 203 r; autographum P. Hieronymi Torres: in fol. 203v tria tantum vel quatuor verba, P. Natalis manu exarata, leguntur.

37

†

DE REBUS MATHEMATICIS [1].

Podríasse tener en leer el curso de mathemáticas este orden: Que se leyessen ordinariamente dos lectiones, vna la mañana y otra la tarde; vna para los lógicos y otra para los philósophos. Al principio del año podrán tener los lógicos estas lectiones: quatro libros de Euclides, que se leerán en 4 meses poco mas ó menos; arithmética práctica en mes y medio; la sphera en dos meses y medio, de manera que al fin de Junio sea acabada; la geographía dos meses: y en lo que queda del año, el quinto y sexto de Euclides.

Los philósophos oirán el astrolabio en dos meses; las theóricas de planetas en quatro meses; la perspectiua en tres meses; los reloges y cómputo ecclesiástico en lo que queda. Y si algunos discípulos, los más ingeniosos y aptos á la mathemática, pareciere ser cosa conueniente que oyan más que esto, para ser más sufficientes, se les podrá leer las fiestas del año vna lectión familiar en cámara el tercer año, en la qual se les declaren sphaerica Theodosii et Menelai et Maurolici, y vna introductión de tablas, o almanach perpetuo, con algún quadrante ó ánulo ó radio.

Manu P. Torres. † Orden de la lectura de mathemáticas. *Manu P. Brunelli haec sunt addita.* P. Torres et P. Clauii.

38

BREVIS INSTRUCTIO

DE RATIONE QUAE SERVARI DEBET IN CURSUS PHILOSOPHIAE LECTIONE [2].

BREUE INSTRUTTIONE DEL MODO DI LEGGERE IL CORSO IL TEMPO

Il corso almanco deue durare tre anni. Nel 1.° anno si deue finire la logica, lassando nelli predicamenti molte questioni me-

[1] Ex *cod. Rom. stud., II,* fol. 200: autogr. Patris Torres.

[2] Ex apographo in *cod. Rom. stud., II,* ff. 346-348. Hanc instructionem, cujus auctor nobis quidem ignotus est, scriptam fuisse antequam ul-

taphysice, et transcorrendo la perihermenia et la priora, della quale, oltra li sette primi capi, non accaderia legger il testo degli altri, come anco si può fare della topica.

Le summule, se pure si denno leggere, si finiscano al più tardo in doi mesi. Nel 2.° anno si leggano li otto della physica, et de coelo almeno li doi primi, et alcuni libbri della meteora; sichè per il 3.° anno restino solo li libbri de generatione, anima et metaphysica. Procuri il maestro d' hauer diviso il triennio del corso, o almeno l' anno presente, conforme alle lettioni che ha da leggere, acciò sappi quanto si può in ciascuno libbro et opra trattenere, et trattenendosi in cose leggiere non li manchi il tempo per cose di più importanza. Della metaphysica et è fastidioso et inutile leggere tutti li libri; bastaria cominciar dal 7.°, toccando gli altri nelli prolegomeni.

[IL MAESTRO]

Il maestro, che ha da leggere in uniuersità famosa, douria hauer letto un' altra uolta, o almeno esser tale, che per li doni dello animo et buona sanità si sperasse col studio et diligenza hauer da riescire bene.

2.° Nel 1.° corso, in luogo delli commentarii greci, che sono molto longhi et oscuri, potrà leggere Themistio et Vicomercato. Leggere Auerroe è molto utile, si per la sua dottrina, come per la fama ch' ha in Italia: et per poterlo intendere, leggerà li suoi seguaci, come Janduno, Barleo, Paulo veneto, Zimarra, Nipho. Habbi il catalogo delli migliori commentarii, che si trouano, sopra tutte le parti della philosophia, quale si è fatto in Roma. Et benchè deue il maestro seguire li principali authori, come sono, tra li greci Alessandro, Simplicio, Themistio; fra gl' arabi Auerroe; fra li latini Alberto et S. Thomaso; nondimeno non deu' esser sectario, massime di authori latini, che discordano dalli an-

---

tima *Rationi studiorum* manus imponeretur, indicare videntur tum ea, quae Brunelli, fol. 349v, scripsit, quaeque ad calcem hujus monumenti edimus, tum maxime quia ipsum monumentum in supra laudato codice jam reperitur, qui ante absolutam et perfectam primo editionem *Rationis studiorum* compactus fuit.

tichi. Deue esser modesto in refutare le opinioni che riprende, principalmente se sono de grandi authori, benchè deue essere resoluto nelle cose che insegna, et non dubbio nè problematico; nondimeno non deue esser precipite, ma speculare in giudicare le cose. Importa molto esser chiaro et ordinato, et che li scholari, per le virtù et dottrina sua, li tengano affettione et credito. In trattare le questioni, recitare molte opinioni, et portare molti argomenti, instantie et repliche, benchè al principio gioua per dare credito al mastro, ma simpliciter non è utile per li scolari; nè anco nell' espositione del testo recitare le opinioni di molti, ma contentarsi di due o tre delli più principali. Stia accorto quello ch' insegna, acciò non sia o pigliato in contradittione, o constretto a mutare opinioni, quanto potrà, benchè, quando li paresse altrimenti di quello ch' altre uolte ha detto, non deue dissimulare. Deue ancor scriuere qualche cosa, almanco notare circa ogni materia alcuni belli concetti o resolutione, o sua o d' altri; alcuni testi et testimonii principali, o di Aristotele o d' altri antichi, acciò di queste cose possa aiutarsi un' altra uolta. Procuri di non esser tanto testuale, che lassi le questioni, nè tanto dato alle questioni, che dispreggi il testo; ma, dechiarando la sentenza d' Aristotele, trattarà le questioni che occorrono circa essa.

Non sia amatore de opinioni nuove, cioè trouate da lui; ma si attacchi alla sentenza antiqua et commune; fugga nella sua dottrina le sophisticarie, et seguiti dottrina reale et solida.

Volere reprendere Aristotele nelle cose che non sono contra la fede, et che sono communemente approuate da tutti, è segno di leggierezza et ignoranza.

LI SCHOLARI

1.° Non desideri tanto hauere molti scholari, quanto atti al corso; et così, quando uedrà ch' alcuno non riesce nè è per riuscire, deue auuisare il Superiore acciò lo metta in altro officio; se è forestiero, potrà con buono modo auuisarlo et indrizzarlo a qualche altra cosa, che più li conuenga.

2.° Di tutti habbi cura quanto tocca all' officio suo, et a

tutti tenga et mostri affettione, pregando ancora particolarmente per loro ogni dì; benchè, con quelli che hanno particolare talento di riuscire grandi soggetti, è obligato, secondo la legge della charità, a tenerne particolar conto et spetialmente aiutarli.

3.° Procuri di trattar spesso con li suoi scolari, conoscendo le inclinationi et il profitto che fanno. Facci che tutti, quando hauran dubbii o altre cose circa li studii loro, possino libberamente communicarle con lui, insegnando tutti con charità et pacienza. Al mezo o al fine del 1.° anno potrà distinguere li scolari suoi in tre classi: nella prima porrà li ottimi, nella 2.ª li mediocri, nella 3.ª li infimi. Et sì come deue hauere particolare cura degli ottimi, così ancora deue animare li più deboli, et mostrare che tiene memoria et conto di loro. Procuri che la riuerenza che si deue al maestro, et la modestia che si osserua nelle scuole della Compagnia, s' osserui etiam dalli forastieri, alli quali si deue mostrare humano et facile in communicare le cose sue, essortandoli et inducendoli ad osseruare li medesimi essercitii che osseruano li nostri.

4.° Ancorch' è bene che li scolari seguitino et abbraccino la dottrina del mastro, nondimeno non deue permettere che sentino o parlino male delle opinioni d' altri maestri, burlandosene o immodestamente riprehendendole, principalmente se sono mastri della Compagnia.

5.° Darà alli suoi scolari li commentarii, che li paiono più conuenienti a ciascuno, non permettendo che perdano il tempo in leggere altri libbri: diali l' ordine et modo di studiare, et procuri che lo seruino; veda chi ha bisogno di freno et chi di sprone; chi, per darsi troppo allo studio, manca, o nella deuotione o nella salute corporale; o al contrario chi, per la deuotione o altri essercitii, non fa profitto nelli studii, et di tutto ne auuisi il Rettore.

6.° Per animare più li scolari forastieri et indurli alli nostri essercitii, darli delli nostri alcuni delli più dotti et edificatiui, acciò repetano con loro et trattino. È bene, quando uengono feste principali nell' anno, essortarli alla confessione et alla deuotione di quella festa.

7.° Guardi che non si noti in lui leggierezza o passione, o

desiderio di lode et gloria, perciochè queste cose sminuiscono molto l' authorità del mastro.

LO ESSERCITIO

Conciosiachè l' essercitio aiuta più nella philosophia che ogni altra cosa, si deue usare gran diligenza circa di esso. Nelle repetitioni, che si fanno doppo le lettioni, si repeta breuemente il testo et le questioni. Li repetitori siano ordinati da tre in tre; li doi delli quali siano quasi uguali, l' altro più debole; ciascuno repeta il suo giorno a mente, usando quanto manco potrà delli scritti, acciò che tutti si possano aiutare insieme.

2.° Nelle reparationi, cioè nelle repetitioni che si fanno in casa, repetansi le lettioni udite in scola, ma breuemente, toccandosi le principali cose del testo o delle questioni, acciò resti tempo per le dispute. Nel disputare distribuisca li scolari di doi in doi, si che uno uicissim proponga et l' altro risponda; li quali siano quasi uguali, acciò si possano insieme aiutare.

3.° La disputa si facci sempre sopra le lettione presenti, et procuri che nello argumentare si serui la breuità, chiarezza et modestia che si deue, schifandosi tutte le parole impertinenti, come di burle o dispreggio, o altre simili, che non fanno nè migliore nè peggiore l' argumento.

4.° Non permetta che li scolari s' auuezzino a sophisticare, ma attendano più tosto a proporre dubbii et dare resposte reali et solide. Nel citare Aristotele o li altri authori, faccia che sempre citino il luogo o il testo, acciò siano diligenti in prouederlo.

5.° Perchè alcuni sono più atti ad argumentare, altri a respondere, altri ad altre cose, procuri d' essercitare ciascuno principalmente secondo il talento suo; et in summa faccia che li suoi scolari si diano più tosto al speculare et disputare, che a leggere molte cose o scriuere. Ogni settimana, o uero ogni 15 dì, si defendano conclusioni in classe; et doue saranno più maestri di philosophia, ogni doi mesi si tengano publice al modo che si fa in Roma, et al fine dell' anno generali, nelle quali hanno d' argumentare solo dottori forastieri. Al fine del 3.° anno, al principio

della state, quando cominciano le uacantie, comincino a fare li atti quelli che saranno giudicati degni del magisterio; imperochè, far maestri tutti indifferentemente, non pare conueniente, se non fusse per alcuni particolari respetti, secondo il giudicio del Rettore [a].

6.° Chi potesse udire la lettione senza scriuere niente, essercitaria più l' intelletto, giudicio et memoria; ma si questo non si può, faccia che in classe scriuano solo li capi, quanto li basta per potere repetere, et fuori di classe scriuano solo le cose principali, che o loro hauràn notato, o il mastro li hauerà dittato: si che habbino tempo di leggere li suoi commentarii et speculare sopra le sue lettione.

7.° Nelle vniuersità famose della Compagnia douria essere una lettione straordinaria, oltra li tre corsi, per quelli del 3.° anno d' ethica, del 4.° della meteora, o delli parui naturali, la quale douria leggere un maestro d' authorità straordinario, il quale potria essere quello che ha finito il corso l' anno inanzi.

Manu P. Brunelli. Digna uidentur quae asseruentur, et fortasse quae offerantur R. N. P. Generali melius descripta; ut, si quid uideretur, excerpi queat pro regulis studiorum.

Alia manu. Modus legendi cursum philosophiae.

39

REGULAE IN DISPUTATIONIBUS SERVANDAE [1]

APUNTAMIENTOS PARA LAS REGLAS DE LAS DISPUTAS

Todos tengan muy particular cuydado, cuando disputan, en las disputas que se tienen en público ó en casa, de la modestia religiosa y edificación.

Así el que argumenta como el que responde, haga cada uno mucho caso del otro, y no se muestre el vno descontento de lo quel otro dize.

Ninguno diga palabra alguna fuera del argumento.

---

[a] *In ms., loco sequentium numeroruṁ* 6.° *et* 7.°, *legitur* 5.° *et* 6.°

[1] Ex apographo in *cod. Rom. stud.*, *II*, fol. 276.

Ninguno con la boz demasiadamente alta y otros mouimentos muestre deseo de sallir con la suya.

Todos dexen la palabra ó cláusula començada luego que el presidente dixere que abasta.

El que argumenta procure de mostrarse satishecho de la respuesta con alguna palabra de edificación.

Todos antes de disputar se recojan en sí mismos, pidiendo gracia á N. S. para no perder la paz interior ni desedificar á los otros en la disputa, y después hagan examen cómo se an auido, y pidan penitencia de las faltas.

Para esto se guardar, sería de importancia que algún Superior se hallasse presente á las disputas que se hazen en público, y que por lo menos ningunas disputas se hiziessen en que no estuuiesse algún en su lugar; y assímismo que uisite el Superior á menudo las conferencias de artistas y theólogos para uer cómo se procede en esta parte.

Mandar, conforme á las constituciones, que se siga la doctrina de santo Thomas, assí en la theología como en las artes, por ser principio [2] de la theología; y los que argüieren contra sus opiniones, ni argüian, ni muestren que argüien por tener la opinión contraria, si no fuese en algunas opiniones, que por la obediençia estuuieren [3] determinadas en contrario ó para seguirse ó para tenerse *problematice*.

Argúiase con efficacia, procurando traer algún punto, que tenga dificultad en la materia de que se trata ; pero después de mostrada la dificultad dél, con cualquier respuesta que le dieren se satishaga y muéstrese satishecho.

Patris Brunelli manu. Haec uere aurea, et excerpta uidentur ex alia scheda maiore R.^{mi} Patris nostri Jacobi Laynez uel R.^{mi} Patris Francisci Borgiae.

---

[2] Sic: videtur melius legendum esse, «por ser príncipe.»

[3] Iterum repetuntur in *ms.* praecedentia tria verba, «por la obediencia».

40

DOCENDA ET DEFENDENDA IN PHILOSOPHIA [1]

†

Jhs. Maria.

R.de admodum in Xpo. Pater.

Haec videntur defendenda esse et docenda, non solum secundum veritatem aut secundum philosophiam, et veram philosophiam, sed etiam secundum Aristotelem et ejus mentem; et istorum videntur admonendi.

DE DEO

1. Quod Deus habeat prouidentiam horum inferiorum, etiam rerum humanarum.
2. Quod concurrat cum rebus omnibus et causis mediis, etiam immediate vsque ad vltimos effectus.
3. Quod sit infinitae uirtutis, etiam intensiuae.
4. Quod intelligat etiam alia a se, et singularia et contingentia, etiam minima; sed ea intelligat in se ipso.

DE INTELLIGENTIIS AC DE COELO

1. Quod non sint purus actus.
2. Quod sint plures quam orbes coelestes.

DE ANIMA

1. Quod anima rationalis sit uere forma corporis, non solum assistens, sed informans.
2. Quod non sit vna in omnibus hominibus, sed in singulis propria et diuersa.

---

[1] Ex *cod. Rom. stud., I,* ff. 154-156: autogr. P. Ledesmae. Duo sunt exemplaria, quae, licet in multis inter se conveniant, in multis aliis omnino discrepant, unde utrumque typis mandandum existimavimus. Titulus in *ms.* desideratur; quod etiam in sequentibus sex monumentis accidit.

3. Quod non sint plures animae in homine, sed vna sola rationalis; neque etiam in bruto sint plures animae.

4. Quod intellectus, tam agens quam possibilis, nihil aliud sint, quam animae ipsius rationalis potentiae; non uero aliud, ab anima hominis separatum, aliaue substantia.

5. Quod anima rationalis sit immortalis.

6. Quod de statu animae rationalis, separatae a corpore, possumus habere aliquam scientiam vere.

7. Quod anima seu forma non est tota quid[d]itas rei.

8. Quod materia non est solum de ratione indiuidui, aut per accidens respectu speciei, sed est etiam de ratione speciei in communi.

9. Quod non pugnant haec: formam esse uere physicam, et tamen separabilem.

DE HUMANO CORPORE

10. Quod sanguis est aliquo modo pars corporis, et humores quoque, et quod de integritate naturae ac de ueritate ejus.

Denique reliqua omnia, quae ex iis sequuntur, concedenda erunt; et contraria iis principia et conclussiones reiicienda.

IN DOCENDI MODO AUT LOQUENDI

1. Non laudare nimis Auerroin, sed neque laudare quidem.

2. Non vituperare D. Thomam, aut ejus doctrinam, aut scholasticos doctores, vel in contemptum adducere; sed potius laudare et magnis laudibus efferre, et auditores ac discipulos ad eorum doctrinam potius allicere.

3. Non laudare graecos in genere et vituperare latinos: neque instituere disputationem contra latinos in genere, sub hoc nomine latinorum.

4. Non opinari nimis audacter, sed putare se posse falli, et cum humilitate judicare et loqui.

HAE PROPOSITIONES AFFIRMANTUR AB EO SECUNDUM VERITATEM IN SCRIPTIS SUI DISCIPULI

1. Item [2] rationes aliquot factas [3] contra veritatem, vtpote quod anima sit assistens et non informans, et similes, esse insolubiles; vt etiam quae sumuntur ex hoc, quod anima sit immortalis et corpus mortale, non posse solui, si anima est forma; et quae sumuntur ex modo operandi animae in corpore, similiter.

2. Nulla scientia de statu animae separatae haberi potest; vel ita sciri non potest status animae separatae.

3. Sciri non potest operatio aut operandi modus animae separatae.

4. Sciri non potest quod anima rationalis sit forma corporis.

5. Sciri non potest quod non fuerit ante corpus, neque modus quo facta est.

6. Non esse necesse soluere rationes factas contra fidem; sed neque oportere his fidem confirmare, imo derogari fidei, si quis conetur rationibus luminis naturalis eam fulcire. Hanc sextam, partim in classe mihi respondit, et partim ex discipulis accepi.

7. Item quod forma sit tota quid[d]itas.

8. Quod sint in homine tres animae totales: vegetatiua, sensitiua et rationalis.

9. Quod sanguis et humores non sunt partes corporis humani; haec etenim propositio et resumptioni sanguinis Xpi. et humorum, et vnioni eorum hypostaticae in eo pugnare videtur, et veritati ac integritati resurgentis Xpi. corporis, et consecrationi eucharistiae sanguinis.

Item, in hoc, quod Aristoteles senserit animam mortalem, et

---

[2] Hoc verbo «Item» incipit paragraphus primus, quia quintus ordine primum scriptus fuerat; sed postea in margine additum fuit manu ipsius P. Ledesmae: «Haec erit prima ordine.» Hac de causa quinque primos numeros, qui paragraphos indicant, mutavimus.

[3] In autographo legitur «factae; inacurate enim emendata est periodus, quae primum hoc modo exarata fuerat: «Rationes factae contra veritatem,... et similes, solvi non possunt.»

prouidentiam Dei abstulerit, citat Patrem nostrum Generalem, asserentem ab omnibus sacris antiquis doctoribus Aristotelem de iis condemnatum fuisse: hanc vidi in scriptis illius discipuli.

Item, citat Patrem nostrum Generalem, asserentem rationem hanc solui non posse lumine naturali: si anima est immortalis, cur habuit corpus mortale? Nam, si corpus est mortale, consequi quoque [videtur] eam debere esse mortalem, quia incorruptibile et corruptibile sic vniri nequeant [4], et mansuram violenter et otiosam sine corpore.

Item, contra veritatem disputat fuse et admodum acriter, pro ueritate perparum et languide.

Item, probando opiniones aliquot de anima esse de mente Aristotelis, adfert satis multas rationes, quae simpliciter militant contra ueritatem, et relinquit insolutas.

Item, parum reuerenter tractat D. Thomam, et contra illum ardenter disputat fere semper et contra latinos.

---

†

Jhs. Maria.

QUAEDAM, QUAE DOCENDA SUNT ET DEFENDENDA AB OMNIBUS ARTIUM AC PHILOSOPHIAE MAGISTRIS; ET QUIDEM ESSE ITA SECUNDUM UERITATEM ET SECUNDUM UERAM PHILOSOPHIAM, ATQUE ETIAM SECUNDUM ARISTOTELIS DOCTRINAM ET SENTENTIAM

DE DEO

1. Quod Deus habeat prouidentiam istorum inferiorum, etiam rerum singularum ac rerum humanarum, et quod cognoscat alia a se, etiam minima et contingentia, et omnia denique praesentia, praeterita et futura.

2. Quod sit causa libera, et agat libere, et non necessario.

3. Quod sit infinitae uirtutis, non solum extensione, sed intensione.

4. Quod agat seu concurrat immediate cum causis mediis

---

[4] Antea legebatur: «cum corruptibile.... sic uniri nequeant».

et rebus omnibus, etiam particularibus et singularibus et minimis, vsque ad vltimos effectus.

5. Quod Deus non sit forma mundi aut coeli, sed omnino separatus.

DE ANGELIS SEU INTELLIGENTIIS

1. Quod angeli non sunt corporei, sed spiritus.

2. Quod angelus seu intelligentia non est purus actus, neque simplicissimus; neque ejus intellectio est suum esse aut essentia; et quod sit in genere et specie.

3. Quod angelus non sit necessarium agens, sed liber.

4. Quod sint multo plures angeli quam orbes coelestes.

5. Quod angeli mouentes coelos non sint formae coeli, aut ejus coeli anima.

DE ANIMA

1. Quod non sint plures animae in homine, sed vna solum rationalis, scilicet anima.

2. Quod non sit vna in omnibus hominibus, sed in singulis propria et diuersa.

3. Quod anima rationalis sit uere forma, et actus corporis illud informans, et non tantum assistens.

4. Quod sit immortalis et immaterialis; et quod potest habere operationem a corpore separatam, etiam in corpore existens.

5. Quod de statu animae rationalis, separatae a corpore, possumus habere aliquam uere scientiam.

6. Quod non pugnat formam esse uere physicam, et tamen separabilem.

7. Quod non fuerint animae ab aeterno, sed de nouo fiant.

8. Quod anima non sit tota quid[d]itas hominis.

9. Quod materia non est solum de [rati]one indiuidui, aut per accidens respectu speciei, sed est etiam pars essentiae, et de ratione speciei, etiam in communi.

10. Quod intellectus agens et possibilis non sint aliud, quam animae rationalis potentiae, non uero aliud ab anima hominis

separatum, aliaue substantia. Et quod non distinguantur inter se realiter intellectus agens et possibilis, sed sint solus vnus intellectus in homine.

11. Quod non educatur anima rationalis de potentia materiae, sed producatur in materia.

12. Quod creatio est possibilis secundum ueram philosophiam. Item, quod ex principiis Aristotelis et ex eius doctrina necessario sequatur creationem esse possibilem.

DE HUMANO CORPORE

1. Quod sanguis est de integritate naturae ac de veritate ejus, et humores quoque.

2. Quod tam sanguis quam humores sint dicendi, aliquo saltem modo, pars corporis.

DE COELO ET MUNDO

1. Quod coeli aut coelum non sit animatum.

2. Quod sint sub genere et specie.

3. De aeternitate mundi, confutare rationes Aristotelis et modis omnibus ueritatem confirmare, scilicet, non fuisse ab aeterno; etiam rationibus naturalibus, quoad fieri possit, id ostendere: item, id asserere esse secundum ueritatem et secundum ueram philosophiam, licet non secundum Aristotelem.

IN COMMUNI

1. Denique reliqua omnia, quae ex iis sequuntur, concedenda erunt; et contraria iis principia et conclusiones reiicienda.

2. Nouae opiniones, in rebus praesertim grauibus, non inducantur sine consilio et expressa licentia superiorum.

3. Item, contra receptissimas et solemnes opiniones, et quasi axiomata omnium pene philosophorum et medicorum, non liceat opinari; quales sunt: Naturalia corpora constare ex materia et forma, et haec esse principia rerum naturalium. Quatuor esse elementa. Quatuor primas qualitates. Quatuor causarum genera, etc. Similes istis, quamuis ad fidem nihil spectent. Imo con-

tra quamcumque opinionem communem raro, et non sine magna causa, esset discedendum.

4. Item, cum vnus magister fuit alicujus opinionis, et praesertim magister proximi cursus praecedentis, sequens magister eam opinionem non grauiter reprehendat, quamuis putet falsam; sed cum humilitate et modestia poterit suam sententiam proponere, alteram relinquendo ut probabilem, vel taceat omnino.

DE INTERPRAETIBUS ARISTOTELIS

Repetam hic quaedam, quae in altera papyro fusius dicuntur.

1. D. Thomam et ejus doctrinam laudare, vel saltem non reprehendere, vel certe non ita, ut scholastici ab eo alienentur aut ab ejus doctrina; sed modeste, si quando ab ejus sententia discedendum videatur, id facere.

2. Item, doctores alios theologos scholasticos, aut eorum doctrinam, non irridere aut in contemptum adducere: multo autem minus theologiam scholasticam in genere.

3. Nec etiam latinos interpretes Aristotelis, aut eorum doctrinam irridere aut in contemptum adducere. Nec etiam in genere disputationes instituere latinorum contra graecos, et graecorum contra latinos; sed propriis nominibus tantum vtrinque citatis authoribus.

4. Item, non laudare nimium Auerroin, sed neque laudare quidem, aut alios quosuis impios Aristotelis interpretes. Sed, qui magnis laudibus sint efferendi, sint catholici, vt Albertus Magnus, D. Thomas, vel alius similis ex catholicis; vituperare vero Auerroin licebit, si quis volet.

41

DOCENDA IN SCHOLIS PHILOSOPHIAE [1]

Haec sunt, quae mihi in cursu videntur esse legenda; hoc prius statuto, ut tribus annis omnia absoluantur.

---

[1] Ex *cod. Rom. stud., I*, fol. 114 r. Manu P. Ledesmae in superiori parte: «Toletus».

LOGICA

Introductio legatur tota prius; deinde Porphirius et quae sequuntur:

Praedicamenta Aristotelis.

Vterque liber perihermenias.

Septem capita primi priorum; reliqua vero ad summam quamdam redigantur.

Vterque liber posteriorum, praetermisso, ex primo, capite duodecimo usque ad 21 exclusiue, quae in summa legantur.

Ex topicis primus, 2.us, sextus.

Ex elenchis fallaciae.

Praemittant quaestiones prohoemiales non admodum leuiter: similiter vniversalia tractent eodem modo.

In Porphirio quaestiones logicae aliquot disputentur, quae circa definitionum examen insurgunt: idem fiet in praedicamentis, et aliqua, quae ex methaphisica ad ipsorum explanationes adduci solent. In posterioribus sumantur quaestiones Apollinarii, aliquibus praetermissis: in his litera Aristotelis exacte exponatur.

PHISICA

Octo phisicorum libri exponantur; exacte aliqui, leuiter tamen alii, ut sextus, et ex tertio materia de infinito, et ex 4.° materia de uacuo, et ex primo opiniones philosophorum.

Primus, secundus, quartus de coelo non multum exacte.

Primus, 2.us metheororum.

Vterque de generatione.

Duo de anima cum prohoemio primi.

Quaestiones Ianduni in phisica.

Quaestiones eiusdem de coelo.

Quaestiones Marsilii de generatione.

Quaestiones Iauelli de anima.

METHAPHISICA

Prohoemium ex primo libro, 5.us et septimus, octauus, nonus, decimus, duodecimus.

Quaestiones Sonzinatis.

42

DOCENDA IN SCHOLIS PHILOSOPHIAE [1]

†

Suppuesto que el curso se aya de leer en tres años, quanto lo que toca á la lógica, philosophía natural y metaphysica, porque para la moral no parece sufficiente tiempo, se podría tener este orden.

La introductión de espacio, aunque se gastasse más tiempo, para que con el gusto de ir entendiendo aquello, se fuessen afficionando para cosas más difficultosas; y para esto no parece inconueniente que algunas cosas difficultosas se leyessen dos ueces.

PRAEDICABILIA

Todo el texto: y antes de començar, breuemente y con facilidad declarar an logica sit scientia, et quid sit eius subjectum. Quaestiones de secundas intentiones y uniuersales ninguna, pues por su difficultad y por ser proprias de la metaphysica se tratarán mejor allá. Item, no se trate si proprium a subjecto distinguitur: solamente los dubios textuales diga todos los que supiere el maestro, porque en esto no se puede dar regla. Item, el subjecto y sufficientia de los praedicables.

PRAEDICAMENTA

Todo el texto: y en el capítulo de aequiuocis, aunque sea metaphísico, por la necesidad que en todo el curso se ofrece dello, declarar bien la materia de equíuocos y análogos, si no

[1] Ex apogr. in *cod. Rom.-stud., I*, ff. 115-119r. In superiori parte primae paginae hoc verbum exaravit P. Ledesma: «Mariana».

está hecho en la introductión; pero en lo de analogia entis puede el maestro dezir su opinión con una breue declaración: lo demás por su difficultad dexallo para la metaphysica. Quedan dubios del texto, y de fundamentis relationum á la larga: praeterea de distinctione sex ultimorum praedicamentorum a relatione.

DE INTERPRETATIONE

Todo el texto: la materia de uerbo mentis para el 3.° de anima; la de ueritate y futuros contingentes para la metaphysica, donde se trata de providentia Dei, ó para la theología, dando aquí solamente vna introductión, como S. Thomás, para que se entienda en algún modo que no ay repugnancia. Lo de las contradictorias ya está dicho en la introductión, y assí se podría con facilidad passar este libro con sus dubios textuales, yendo fundando, lo que los discípulos ya saben, en el texto, quanto se pudiere, y refrescando la memoria de la introductión.

PRIORA

Del texto me parece bastarían siete ó ocho capítulos del primero; porque se ha de tener cuenta á no cargar tanto los ingenios, que, no pudiendo hazerse señores de todo, tomen naturalmente fastío y confusión para lo demás; y assí parece mejor yrse poco á poco, dexando lo no necessario. Aquí se pueden tratar los dubios de Burana, y renouar la memoria de algunas cosas de la introductión y fundallas en el texto, para que sepan concordar lo uno con lo otro y aprouecharse de todo.

POSTERIORA

Los posteriores, se lea todo el texto: y fuera de los dubios parece sería bien tratar todas las quaestiones que trató Soto, al modo que mejor supiesse el maestro; y en el último capítulo del 2.° tratar la materia de habitu primorum principiorum, qui dicitur intellectus, quomodo generatur, et an distinguatur ab ipsa potentia intellectiua; pues, por estar ya más capaces los discípulos, no les será difficultoso.

TOPICA

El texto sólo del primero, y de los lugares hazer un compendio, ayudándose de Rodolpho [2] ó Titilmán, y reduciendo á práctica, y haziendo reducir á los discípulos el uso destos lugares con mucha diligentia. De quaestionibus: de subiecto libri et intentione. Y porque en esta parte está la mayor difficultad, se podría tratar con maior exactión an logica sit scientia, an uero ars: ytem de numero problematum et alia textualia dubia.

Los elenchos bastaría reducillos á un compendio, como las fallacias de sancto Thomás; ó á lo menos, después de declarado breuemente el texto, hazer esto para mayor facilidad de los oyentes; y hazer á los discípulos que se exerciten en los argumentos en conocer estas fallacias, pues para esto las escriuió Aristóteles.

PHYSICA

Los physicos todo el texto, etiam el sexto y séptimo con todas sus calculationes, con la mediocridad que las trató Soto, por ser necessario algunas uezes para calculationes, que se ofrecen en la theología. De las quaestiones, parecen buenas todas las que trató Soto, excepto aquella, utrum totum a suis partibus distinguatur; pero en el modo muchas uezes es menester tomar otro mejor, y algunas ueces en una se pueden juntar dos quaestiones, como la de forma, del primer libro, y la de numero causarum, del segundo, como al maestro le pareciere: y en el octauo se dexe para la metaphysica la perfecta determinación de si Deus ex mente Aristotelis est infinitae uirtutis, si agens necessarium etc., porque se abrá uisto más de Aristóteles, aunque aquí será necessario tocar algo: ytem en este octauo, no en el segundo, se puede tratar, an grauia et leuia moueant se.

DE LIBRIS DE COELO

Textus totus exponatur: deinde hae quaestiones, praeter textualia dubia, adducendae uidentur.

---

[2] Rodulphus Agricola.

De infinito nihil, quia iam in libro physicorum.

De subjecto horum librorum.

Quomodo differant motus simplex et compositus, et vnde sumantur motuum species.

An motus circulares inter se specie differant.

An materia inferiorum et coeli differant specie, et an materiae coelorum inter se.

An in lumine naturali aliquid ualeant rationes Aristotelis, quod non possint esse plures mundi; et an de facto Deus id possit, ita ut corpora sua natura in illo alio uniuerso contenta essent.

An Aristoteles agnouerit creationem, et an ratione naturali probari possit.

Vnde motus uiolenti uelociores sunt in principio, naturales in fine.

An, cessante motu coeli, omnia in nihilum redigerentur.

An astra omnia inter se et a suo orbe specie distinguantur.

Quomodo terminetur uirtus et potentia, an intrinsece an uero extrinsece; et an intelligentiarum uirtus sit omnino adaequata orbi, quem mouent.

An possit conuinci terram non moueri circulariter.

An in proiectis impetus a motu distinguatur, et quid faciat aër in eorum motu.

An coelum sit animatum secundum Aristotelem et secundum ueritatem; et quo pacto in eo reperiuntur sex differentiae positionum, et an habeat materiam.

An motus localis sit perfectior omnibus aliis essentialiter.

An elementa grauitent in suis locis.

De sufficientia elementorum, an sint tot, et an possint esse plures, combinatis alio modo qualitatibus.

LIBRI DE GENERATIONE

Totus textus, et quaestiones hae.

De subjecto libri.

An elementa maneant in mixto.

An intensio fiat per additionem.

An rarefactione acquiratur noua quantitatis pars.

An alteratio, nutritio et augmentatio sint motus continui, et an augmentatio sit motus ab aliis re ipsa distinctus.

An mixtio sit motus superadditus singulis alterationibus, et an forma mixtionis sit necessario ponenda.

An in generatione fiat resolutio usque ad materiam primam.

An in omni actione, eorum, quae in materia communicant, sit reactio.

An detur antiperistesis, et quomodo fiat.

An inter elementa dissymbola sit immediata transmutatio.

An uapor sit de natura aquae, et exalatio sit essentialiter terrea.

An det[ur] mixtum aequale quoad pondus.

An augmentatio fiat secundum partes formales et quomodo.

DE ANIMA

Post expositionem prooemii posset magister statim ad 2.^{m} de anima transire, et caetera omnia pedetentim exponere: quaestiones hae.

De subjecto libri et ordine eius cum aliis libris: de certitudine et nobilitate.

An tantum sit una anima in toto composito.

An potentiae distinguantur ab essentia, et an omnis propria passio a subjecto.

An anima rationalis, etiam secundum illum gradum, informet corpus, et quid de mente Aristotelis.

An in cadauere Petri sit necessario eadem forma a quocumque agente corrumpatur, an alia et alia pro diuersitate agentium.

An omnis anima sit indiuisibilis, aut quae earum.

Quae definitionum animae sit quidditatiua.

Posset hic pertractari quomodo distingu[u]ntur potentiae per objecta, et scientiae, atque etiam uirtutes et artes; et unde sumenda sit distinctio formalis in objectis, quae sufficiat aliquorum supradictorum differentiam facere; et an cum eadem ratione formali objecti stet unitas specifica potentiae, et distinctio specifica actuum; quia, dicit Aristoteles, potentia ab actu, et actus ab ob-

jecto. Est, credo, exacta huius rei pertractatio admodum necessaria theologo.

Definitiones famis et sitis, an absolute an comparatiue sint intelligendae.

An anima uegetatiua, quandiu est, necessario semper debeat nutrire.

An sensus concurrat actiue, et an formaliter sentire sit recipere species.

An sensibile commune agat in sensum, et an possit aliquando sentire absque proprio.

Quomodo sit uerum et quo pacto intelligendum, quod sensus suscipiat species absque materia.

An lumen ad uidendum requiratur ex parte objecti, an solum ex parte medii; et quod sit medium ad uidendum; et an praeter lumen detur alia species lucis.

Qua in parte resideat uidendi uirtus.

De organo auditus et de medio; tum etiam ubi sit sonus, an in aëre, an in lapidibus qui colliduntur.

Quomodo fiat echo; an sit idem numero sonitus qui praecessit.

De organo olfa[c]tus et medio, et an odor realiter, an uero intentionaliter multiplicetur; et quare animalia terrestria non odorant nisi per respirationem.

De organo gustus et medio; et praeterea inter omnes sapores qui sunt extremi et maxime distantes.

De organo tactus et medio, et an sint plures tactus, et an in hoc etiam sensu species intentionaliter multiplicentur.

Quae sit ratio, quod sensibile supra sensum non faciat sensationem.

An sit necessarius sensus communis.

An uisus et quilibet alius sensus exterior possit cognoscere suum actum.

Quot sint potentiae sensitiuae interiores, et unde probari possit eorum numerus, et quid Aristoteles in hac re senserit.

An excellens sensibile corrumpat sensum actione intentionali, an uero actione reali.

An phantasia sit in omnibus animalibus, et in quo organo.

An anima rationalis sit immortalis de mente Aristotelis et secundum ueritatem, et an sit unus intellectus in omnibus.

An intellectus agens re distinguatur a possibili, et quid ponit in phantasmate quando illud illustrat, et an eodem modo sit necessario ponere sensum agentem.

An intellectus possit singularia cognoscere etiam post reflexionem, et quomodo fiat haec reflexio.

An omne recipiens debeat esse denudatum a natura rei, quam recipit.

An intellectus actu et intelligibile actu sint idem.

An potentia motiua ita sit idem cum appetitu, ut ipse motus sit actus ab appetitu elicitus.

Hic potest disputari difficultas de uerbo mentis, quaerendo quid per actum intelligendi producatur, et ad haec alia minutiora dubia, quae ex ipso textu manifeste suboriuntur.

Ex meteorologicis potest exponi textus breuiter, et nonnihil immorari in declaratione iridis; atque in 4.° libro, in disputatione de digestione et putrefactione. Sed nec haec uidentur admodum necessaria, ut omitti non possent, ut plus temporis metaphysicis relinqueretur.

METAPHYSICA

Lecto prooemio, caetera textus omittenda uidentur usque ad 6.^{m} aut 7.^{m} librum: vnde caetera omnia exponenda erunt cum omnibus quaestionibus, quas Iauellus et Soncinas pertractarunt, ubi et inuenientur pertractatae omnes illae, quas, siue ex logicis, siue ex physicis, in hunc locum reiecimus; cui expositioni opere precium erit multum temporis tribuere, ut non cursim, sed pedetentim, singula suis in locis pertractentur.

43

DOCENDA IN SCHOLIS PHILOSOPHIAE [1]

†

Jhs. Maria.

LIBRI ET LIBRORUM CAPITA, QUAE DEBENT LEGI IN TRIENNIO CURSUS

Tota introductio magistri Toleti in tribus mensibus.

Tota introductio Porphyrii.

Omnia praedicamenta Aristotelis cum antepraedicamentis et postpraedicamentis.

Duo integri libri de interpretatione.

Septem prima capita primi priorum.

Primus liber topicorum integer.

Haec omnia ante renouationem studiorum sunt absoluenda.

POST RENOUATIONEM STUDIORUM 2.^{i} ANNI

Duo libri integri posteriorum, usque ad finem Januarii.

Octo libri phisicorum ante renouationem studiorum secundi anni; et, si fieri posset, legantur metheora in eodem anno.

POST RENOUATIONEM STUDIORUM 3.^{i} ANNI

Duo libri de generatione integri.

Prohemium librorum de anima, cum 2.^{o} et 3.^{o} libro integris.

Primus, 2.^{us} et 4.^{us} libri de coelo integri: totus tertius relinquatur.

Prohemium methaphisic[a]e, et a septimo libro usque ad finem.

QUESTIONES TRACTANDAE IN SINGULIS LIBRIS.

Ante Porphyrium. Questiones prohemiales tractentur exacte.

Questiones vniversalium leuiter.

[1] Ex *cod. Rom. stud.*, *I*, ff. 122-124r, ignota manu. Initio hujus monumenti scripsit P. Ledesma: «Parra».

De subiecto libri et sufficientia praedicabilium, cum reliquis dubiis textualibus.

IN PRAEDICAMENTA

De praeambulis praedicamentorum.

De communi omnium praedicamentorum distinctione.

De diuisione entis in decem praedicamenta cum dubiis textualibus.

IN PERIHERMENIAS

De vocum et scripturarum significatione.

An verba infinita sint in propositione.

An verba sint sincategoremata.

An ueritas sit relatio rationis.

De futuris contingentibus leuiter.

IN POSTERIORA

Dubia literae.

IN PHISICA

De subiecto philosophiae.

De primo cognito.

De toto et partibus.

De principiis rerum naturalium.

De maximo et minimo.

De materiae entitate.

An forma educatur de potentia materiae.

An natura sit principium actiuum motus.

De causis.

De casu et fortuna.

Vtrum natura agat propter finem.

De motu.

De infinito.

De loco.

De vacuo.

De tempore.

De vnitate et speciebus motus.
De contrarietate motus.
An continuum possit componi ex indiuisibilibus.
An mouens et motum sint simul.
An mundus potuerit esse ab aeterno.
An quod mouetur mouetur ab alio.
De infinitate primi motoris.

IN LIBROS DE COELO

De materia coeli.
An sit animatum.
An habeat differentias positionis a natura.
An potentia actiua terminetur intrinsece.
An omne generabile sit corruptibile.
An qualitates eiusdem denominationis in elementis sint eius dem speciei.

IN LIBROS DE GENERATIONE

An in generatione sit resolutio usque ad materiam primam.
De augmentatione, an fiat per intus sumptionem.
De actione et passione, an sit reactio et quoad eamdem partem.
De intensione.
Quomodo maneant elementa in mixto.
De qualitatibus actiuis.

IN LIBROS DE ANIMA

De subiecto cum reliquis praeambulis, cum dubiis quae oriuntur ex prohemio.
Si anima est informans uel assistens.
Si vna definitio animae demonstratur per alteram.
Si potentiae animae distinguuntur.
De numero animarum, et graduum uiuentium, et potentiarum.
Si potentiae distinguuntur per actus, et actus per obiectum.
Si generare simile est naturalissimum uiuentibus.

An potentiae cognoscitiuae sint passiuae.
Si sensus potest esse in actu 1.° et 2.°
Si sensus potest errare circa proprium obiectum.
Si sensibilia communia sentiuntur per propriam speciem.
De numero 5 sensuum exteriorum.
An lumen habeat esse reale.
Vtrum colores mittant species sine lumine.
De obiectis formalibus, et mediis, et organis sensuum exteriorum.
An sint plures tactus differentes specie.
Si duo corpora dura possint esse immediata.
Si dantur sensus interiores, et quot.
Si in imperfectis animalibus est fantasia.
Si plures animae in eodem composito.
Si anima rationalis est immortalis.
Si anima est tota in toto.
Si est intellectus agens et distinctus a possibili.
Quae et quot sunt operationes intellectus [a]gentis.
Si species intelligibilis distinguitur a conceptu.
An species intelligibiles maneant in habitu.
Si est intelligere sine conuersione ad phantasmata.
Si virtus motiua et apetitiua distinguuntur.
Cum omnibus dubiis textualibus.

IN METAPHISICAM

De subiecto cum aliis praeambulis et dubiis, quae oriuntur ex litera prohoemii.

In septimo libro et sequentibus tractentur quaestiones Soncinatis, exceptis his, quas ante magister tractauerit.

44

DOCENDA IN SCHOLIS PHILOSOPHIAE [1]

†

Supposito tres tantum annos impendendos esse cursui artium (qui sufficere satis mihi videntur), omnia opera Aristotelis non sunt exponenda; sed ea, quae ad rem faciunt, vt logica, physica naturalis et metaphysica, exacte tradantur. Exponentur ergo haec, praemissa introductione D. Toledi et praedicabilibus Porphyrii: praedicamenta, duo libri perihermenias, duo libri posteriorum, quoad logicam. Quoad physicam, octo libri physicorum, 4.or de coelo, 2.us et 3.us de anima cum prooemio primi, 4.us liber meteororum. Quoad metaphysicam, cum hoc sit vltimum, explicabit quot libros potuerit ex illis duodecim. Reliqua vero opera necessario relinquenda sunt priuato discipuli studio.

Circa hos autem libros, quae quaestiones tractandae sint, nescirem, sine magno labore, quae mihi videantur tractandae. Quae, scilicet, mihi occurrerunt dum cursum artium legerem, praeter eas, quae communiter circumferuntur, hic exponere, et propterea, perspectis iis, quae ab aliis tractantur, ex iis has seligendas duxi.

QUAESTIONES PROOEMIALES

1.a Vtrum logica sit necessaria.
2.a Vtrum sit scientia.
3.a Vtrum sit vna scientia.
4.a Vtrum sit scientia speculatiua.
5.a Vtrum argumentatio sit subiectum logicae.

QUAESTIONES VNIVERSALIUM

1.a Vtrum vniversalia sint in rebus.
2.a Vtrum sint in rebus ante intellectus operationem.
3.a Vtrum 2.a intentio fiat per notitiam comparatiuam.

[1] Ex *cod. Rom. stud., I,* ff. 110-112, apographum. In superiori monumenti parte, P. Ledesmae manu scriptum est: «Acosta».

4.ª Vtrum vniversale sit Porphirii introductionis subiectum.

QUAESTIONES SUPER PRAEDICABILIA

Super caput de specie, an vera sint quae Porphirius tradit.

Idem super singula capita.

QUAESTIONES SUPER PRAEDICAMENTA

Super singula capita, ante predicamenta, examinare ea, quae Aristoteles tradit; neque aliquid specialius dicere possum.

Super caput de substantia, quomodo diuidatur.

An recte tradita sint quae Aristoteles tradit.

Super caput de quantitate, an quantitas sit genus ad continuam et discretam.

An ea, quae Aristoteles tradit, sint vera.

An *ad aliquid* sit speciale genus entis.

Examen ipsius capitis.

An qualitas sit genus.

Examinare reliqua sex praedicamenta.

Idem circa postpraedicamenta.

Vtrum tantum sint decem praedicamenta.

De horum praedicamentorum inter se distinctione.

An omnia ista decem genera distinguantur realiter.

SUPER PERIHERMENIAS

De significatione et modo significandi vocum.

Quid sit veritas et in quo subiecto.

De examine definitionis nominis.

Idem de verbo.

Idem de oratione.

Idem de enunciatione.

De diuisione rerum, qualis sit talis diuisio.

De contingentibus.

IN 2.UM LIBRUM

Examinare singula capita.

SUPER POSTERIORA

Examinare primum et 2.m caput.
Quomodo accidentia per subiectum definiantur.
Examinare singula capita.
Neque aliquid specialius dici potest.

SUPER 2.UM LIBRUM

De ordine quaestionum.
Examinare singula capita.
De numero et diuersitate earum.
Quomodo demonstretur rem esse.
De medio demonstrationis potissimae.
An principia per se nota inductione cognoscantur.

SUPER PHYSICA

Primi libri.

An rerum naturalium sit scientia.
De subiecto philosophiae naturalis.
An quilibet artifex demonstret per quodlibet genus causae.
An ad perfectam rei cognitionem opus sit omnes eius causas cognoscere.
An vniversalia sint nobis notiora singularibus.
An eadem sint nobis nota, et natura.
An substantia secundum se sit diuisibilis.
An totum realiter distinguatur a suis partibus.
An res naturales habeant certos limites suae quantitatis.
An terminus quantitatis rerum naturalium sit semper intrinsecus.
An principia sint contraria.
An materia sit.
An materia sit substantia.
An potentia sit de essentia materiae.
An aliquid sit in materia manens in mutatione.
An materia sit ingenerabilis et incorrupta.

An potentia materiae appetat formam.
Quae sint nomina materiae.
An aliquid formae praefuerit in materia.
An materia sit causa corruptionis, an forma.
An priuatio sit principium naturale.

2.i libri.

An definitio naturae sit bona.
An omnia entia naturalia dicantur naturalia a principio interno actiuo motus.
An motus coeli sit naturalis.
An physica a mat[eria] distinguantur.
An physicus consideret materiam primam.
An ars imitetur naturam.
An tantum sint 4.or causarum genera.
An causae particulares aliquid efficiant.
An sint fortuna et casus.
An, quae nec semper nec frequenter sunt, sint a casu.
An fatum sit.
An natura agat propter finem.
An monstra sint in natura.
An finis sit causa et principium.

3.i libri.

An motus sit per se in aliquo praedicamento.
An actio sit in agente.
An motus distinguatur a suo termino.
An physici sit de infinito tractare.
An vnum sit indiuisibile.
An numerus sursum procedat in infinitum.
An corpus sit actu infinitum.

4.i libri.

An locus sit aequalis locato.
Quid sit locus.
An res incorporeae sint in loco.

An vltima sphera sit in loco.

An, si vacuum esset, motus esset in instanti.

An sit vacuum.

An condensatio vel rarefactio sine vacuo esse possit.

An formae intendantur additione partium gradualium.

An tempus sit numerus, motus, etc.

An sit vnicum nunc in toto tempore.

An omnia entia sint in tempore.

An tempus sit ens rationis.

An tempus sit vnum numero.

5.i libri.

An generatio sit motus.

An vnitas specifica motus sit tantum sumenda a termino ad quem.

An vnitas numeralis motus sumatur ex tribus.

An sint duo motus re, cum aliquid a contrario mouetur in contrarium.

6.i libri.

An continuum ex indiuisibilibus partibus componatur.

An omne, quod mouetur, tardius et velocius moueri possit.

An omne mutabile sit diuisibile.

An detur primum et vltimum in motu.

7.i libri.

An vtraque demonstratio Aristotelis sit recta.

An mouens et motum simul sint.

An ad qualitates tantum 3.ae speciei sit alteratio.

An comparatio tantum fiat in specie vltima.

An regulae vniversaliter vim habeant, quae de proportione motuum traduntur ab Aristotele.

8.i libri.

An mundus cum motu et tempore habuerit initium.

An potuerit mundus esse ab aeterno.

An animal a se ipso moueatur.
An sit vnum primum movens perpetuum.
An Deus sit infinitae virtutis.

SUPER LIBRUM DE GENERATIONE ET CORRUPTIONE

Quid sit subiectum horum librorum.
An generatio sit in rebus.
An generatio sit alteratio.
An generationi praeponatur necessario alteratio.
An generatio et corruptio inuicem comitentur.
An in omni generatione fiat resolutio vsque ad materiam primam quoad substantialia.
Vtrum quoad accidentalia.
Vtrum idem effectus ab alio agenti produci possit quam productus.
Vtrum in alio instanti quam productus.
Vtrum augmentatio sit generatio.
Vtrum quaelibet pars augeatur eius, quod augetur.
Vtrum in augmentatione maneat idem totum ante et post.
Vtrum augmentatio fiat secundum partes formales et non materiales.
An augmentatio sit motus continuus.
An rarefactio sit augmentatio.
An omne agens agat per contactum.
An idem possit agere in seipsum.
An simile possit agere in simile.
An agens in agendo repatiatur.
An indiuisibile possit alterari.
An formae substantiales elementales intendantur.
An elementa maneant formaliter in mixto.
An mixtio sit possibilis.
An mixtio omnis sit naturalis.

SUPER 2.UM

An sint tantum quatuor qualitates primae.
An duae sint tantum actiuae et duae passiuae.

An sint 4.or elementa.

An caliditas aëris et ignis sint eiusdem speciei.

An sint ponendae qualitates virtuales in elementis.

An ignis sit primo calidus, etc.

An leuitas aëris et ignis sint eiusdem speciei.

An sit dare aliquod elementum purum.

An quodlibet elementum possit immediate in quodlibet transmutari.

An sit facilior transmutatio, vbi elementa symbolizent.

An ex quibuscumque elementis non symbolizantibus possit aliquid 3.m generari.

An, si essent infinita elementa, esent infinitae contrarietates.

An quodlibet mixtum, residens circa medium locum, sit compositum ex omnibus simplicibus.

An primae qualitates sint principia actiua in generatione mixti ex elementis.

An contingat dare mixtum temperatum ex elementis.

An caliditas fortior sit in pueritia, quam in iuuentute.

An generatio sit perpetua.

An quodlibet ens corruptibile habeat determinatam periodum.

An tempus generationis rei sit aequale tempori corruptionis eiusdem.

An in generationibus sic processus in infinitum.

An corruptum possit reverti idem numero.

IN LIBROS DE ANIMA.

Quaestiones, quas mouet Caietanus, quae proin non opus est hic eas referre.

In libros metaphisicorum moventur plures quaestiones non pertinentes ad hanc scientiam, quam pertinentes, et aliae innumerae relinquuntur, quae sunt huius scientiae. Videat ergo, qui cursum artium docet, quomodo integram hanc scientiam tradat impermixtam aliis: nam hoc ipsum hic agere, et hanc scientiam modo disponere et eius quaestiones, longam perscrutationem requirit.

45

DOCENDA IN SCHOLIS PHILOSOPHIAE [1]

†

IN PRELUDIIS

Tres menses videntur insumendi aut circiter.

Primo omnium tradendus est breuiter finis dialectice, officium, materia et diuisio, et tradenda ratio disputandi discipulis, quantum sufficit captui tyronum, ne ipsi, cum sint auidi disputandi, vitiosae alicui rationi assuescant. Post haec tradenda videntur tria disserendi instrumenta, definitio, diuisio et argumentatio; ita tamen ut, ante argumentationem, de propositione tractatus proxime explicetur: nec discutienda videntur omnia eius accidentia, sed ea solum, quorum intelligentia crebrius vsui esse potest, qualia oppositio, equipollentia, conuersio et, si placet, suppositio. Porro in argumentationis disputatione pre ceteris immorandum videtur in syllogismo.

IN PORPHYRIO

E quaestionibus, que vulgo prohemiales dicuntur, ea tantum, que de subiecto est dialecticae, uidetur accurate discutienda, omissis reliquis aut leuiter solutis : quaestiones de vniversalibus videntur in libros metaphysicorum reiiciendae, uel, si discipuli earum viderentur cupidi, et speraretur fructus ad multa alia intelligenda, breuiter soluendae videntur: quaestio illa de secundis intentionibus, et an definitionibus predicabilium definiantur 2.ae intentiones an primae, quia proprie dialectica est, accurate discutienda est : reliquae questiones perstringi poterunt, allata in vtramque partem vna aut altera efficatiori ratione; et, propria opinione explicata, textus videtur accurate explicandus, dempto capite de communitatibus, quod perstringi poterit.

[1] Ex *cod. Rom. stud.*, *I*, ff. 107 et 108 r. Ignota manu, forte Magistri Torres: eadem manus in superiori parte primae paginae scripsit: «Mr. Torres.»

IN PREDICAMENTIS

Omnia, que ad contextum attinent, tradenda videntur. Questionum nulla uidetur esse, quae moram requirat ; sed omnes ea ratione, quam diximus, discutiendae, ut contrarie opinionis fundamenta, siue rationes illa sint siue testimonia, proponantur, non omnia sed firmiora, propria opinio explicetur, et objectis respondeatur. Quaestiones, que non sunt dialectice, ut, in Porphyrio, an proprietas distinguatur secundum rem a subjecto; et in predicamentis, an quantitas a re quanta, et similes, penitus videntur praetermittende.

IN LIBRO PERIHERMENIAS

Omnia videntur perstringenda, dempto capite primo et de futuris contingentibus; nam uel jam antea in praeludiis cognita, uel non admodum vsui futura sunt.

IN PRIMO ET 2.° PRIORUM

7 capita prima, et caput de inuentione medii, et caput de infinitis, in primo libro, interpretanda, ut mediocriter utilia, videntur : capita mixtionum omittenda, aut, si magistro placet, perstringenda : reliqua omnia breuiter perstringenda videntur. In 2.° libro perstringenda videntur omnia, demptis vltimis capitibus 22.°, 23.°, 24.°, 25.°, 26.°, 27.°, in quibus vtile uidetur contextum Aristotelis explicare.

IN LIBRIS POSTERIORUM

In primo libro contextus totus accurate explicandus videtur, insertis breuiter difficultatibus ad uerba contextus attinentibus [a], demptis capitibus 11.°, 12.°, 13.°, 15.°, 16.°, 17.°, 18.°, 19.°, 20.°, 21.°, que perstringi sine explicatione poterunt: totus 2.[us] requirit aliquam contextus explicationem, in qua tamen non est multum immorandum: quaestionum nulla videtur diffuse tractan-

---

[a] attinentia, *ms.*

da, nisi illa forte, an medium demonstrationis sit definitio subjecti an passionis.

IN TOPICIS

Primus et 2.^us liber videntur explicandi; reliqui omittendi, quorum loco vtilis videretur tractatus compendiosus de locis, uel sequendo Boëthium vel aliquem alium, ut discipuli possent facilius exerceri.

IN ELENCHIS

Si in disputatione de syllogismo, in praeludiis, elenchi sophistici fuerint explicati, omitti posse videntur in Aristotele; alioqui primum librum explicare sufficiet.

OCTO LIBRI PHYSICORUM

Omnes videntur explicandi, ita tamen: 5.^us, 6.^us, 7.^us breuius perstringantur: circa preludia, questio de subjecto physice, et alie, breuiter tractari poterunt: circa 4.^m caput, questio de māximo et minimo; in fine, de materia et priuatione, que videbuntur magis necessaria ad Aristotelis uerba. In 4.°, questio, an locus sit superficies an non, diffuse videtur tractanda; reliquarum questionum, que videbuntur vtiles, annecti poterunt explicationi contextus. Circa octauum, quaestio de eternitate motus seu mundi poterit diffuse tractari, nisi videretur differenda in primum de celo; et questio de motu grauium et leuium, et de infinitate primi motoris; et, si placeret, de eius efficientia, nisi videatur differenda in alium locum.

LIBRI DE CELO

Duo primi explicandi videntur : reliqui, etsi aliquid vtilitatis habeant, tamen, ne desit vtilioribus tempus, omitti possunt aut breuiter admodum perstringi. Circa primum tractanda videtur quaestio de materia coeli, et quaestio de eternitate mundi, nisi ante fuerit tractata: circa 2.^um, an celum sit animatum, etc.

LIBRI DE GENERATIONE

Ambo explicandi videntur accuratius ; tamen primus, in quo questio de augmentatione, et questio, an elementa actu sint in mixto, et de mixtione, tractari poterunt; relique annecti contextui, ubi res videbitur exigere, et, si placeret, de reactione.

LIBRI METEORORUM

Libri tres primi in compendium breue redigendi videntur, explicata tamen difficultate, si quando occurrat, ut circa galaxiam et iridem. 4.us uidetur explicandus.

LIBRI DE ANIMA

Primi libri prohemium explicandum, et veterum opiniones non omnino pretermittende videntur (nam in illis confutandis Aristotelis opinio circa multa innotescit), sed perstringende. 2.us et 3.us liber accurate explicandi. Circa 2.um, quaestio, an omnis anima sit vera forma corporis, explicari poterit; et quaestio, an sint diuisibiles secundum diuisionem corporis: et circa sensus, an visus fiat extramissione an intussusceptione; reliquae conjungi cum textu: circa 3.m, quaestio de sensu communi, quaestio de immortalitate animae rationalis, de multiplicatione, quaestio de necessitate intellectus agentis tractari poterunt.

LIBRI METAPHYSICORUM

In primo libro tantum prohemium explicandum, caeteris omissis. 2.us liber, quia breuis vtilisque, totus explicandus, adjunctis duabus quaestionibus: altera, an intellectus in hoc statu possit intelligere substantias abstractas; altera, an Deus sit causa efficiens omnium, nisi alibi fuerint tractatae. 3.us liber totus potest omitti. In 4.° libro duo capita prima explicationem requirunt, reliquis omissis, vbi habet locum quaestio de analogia entis et conceptu, etc. In 5.°, omisso capite 2.° de causis, quia idem est in 2.° physicorum, et quibusdam aliis in fine libri, ut illud de mutilo, etc., reliqua omnia explicanda videntur: quaestio de principio indiuiduationis discuti posset super cap. de vno. In omnibus reli-

quis libris a 6.° usque ad 12.^{m} inclusiue, dempto libro 11.°, omnia videntur vtilia et explicanda. In 6.° discuti poterit quaestio de diuisione scientiarum. In 7.° quaestiones de vniversalibus. In libro 8.°, 9.°, 10.°, satis videtur, si quaestionum, que videbuntur vtiles, dissolutiones breuiter inserantur suis locis. In 12.° libro videtur magister liber relinquendus, ut, habita ratione temporis quod superest, afferat illa, que vtiliter afferri posse judicabit.

46

DOCENDA IN SCHOLIS PHILOSOPHIAE [1]

QUESTO MI PARE SI DEUA LEGGERE D'ARISTOTELE

NELLA LOGICA.

Tutti gli libri, benchè nelli priori dal 7.° capo del'primo libro insino al 20 fine delli priori, et nelle posteriori del capo 12.° del primo libro insino al 20 del medesimo, et in tutti li libri della topica, eccetto primo, 2.° et sesto: similmente nelli elenchi potrà summariamente dechiarare quello, che Aristotele prolissamente tratta, senza fermarsi troppo in dechiarare il testo.

NELLA PHYSICA

Tutti gl'otto libri et tre de coelo, dechiarando il 3.° libro summariamente; doi de generatione; tre di metheora, cioè primo, 2.° et 4.°; tre de anima, dechiarando summariamente le opinioni degl'antichi, che si trattano nel primo libro.

NELLA METAPHYSICA

Cominciar dal 4.° libro, perchè quello, che tratta nelli precedenti, è di poca utilità; et se pur ci è qualche cosa utile, parte si potrà toccare nelli prolegomeni, parte si potrà trattare in altri luoghi. Cominciando adunque del 4.°, si leggeranno quinto, sesto, settimo, ottauo, nono, decimo et duodecimo.

---

[1] Ex *cod. Rom. stud. I,* fol. 109. Integrum folium eadem manu, nobis ignota, exaratum est. In superiori parte secundae paginae, manu P. Ledesmae scriptum est: «Benedictus», scilicet Pereira.

LE QUESTIONI CHE SI POTRANNO TRATTARE NELLA LOGICA

Mi pare che si lascino le questioni de universalibus, toccando solamente qualque cosa, quanto basta per intendere li predicabili logicalmente: similmente nelli predicabili et predicamenti si lascino quasi tutte le questioni metaphysiche. Le questioni testuali, che, si in questi libri, come neli perihermenias, priori, topici, elenchi, si lascino al buon giuditio del maestro. Nelli posteriori poco più o manco le questioni che tratta Soto.

Similmente nelli 8 della physica, in quelli de anima nella methaphysica, poco più o manco le questioni che tratta Jauello; et in quelli de coelo, quelle che tratta Janduno; et in quelli de generatione, quelle de Marsilio.

Mi pare che il corso deua durare tre anni et mezzo, acciochè le materie si trattino meglio, si legga più di metaphysica, et si possa legger' l' ethica; et nell' altro mez' anno sentano una lettione di theologia, et faccino li suoi atti.

BENEDICTUS

47

†

Yhs

DE SACRAE THEOLOGIAE STUDIIS [1].

Cum Societatis atque studiorum scopus sit proximos ad cognitionem et amorem Dei et salutem suarum animarum iuuare,

[1] Ex *cod. Rom. stud., II*, ff. 308-326. Aliud extat exemplar in eodem codice, ff. 164-178. Fortassis archetypum sit, quod ex annotatione, initio numeri seu paragraphi 3 apposita, suspicari licet; ubi vel Rector vel Praefectus scripsit: «Assignari oporteret materias e singulis partibus legendas, ne in vna se diffundat magister, alias omittat.» Quo vero anno scripta fuerit haec ordinatio, certo definire non possumus; lucem tamen aliquam ad id praestandum afferre potest quod in ultimis hujus ordinationis paragraphis, ubi de insigniis sermo est, legitur in margine: «Quod sequitur definiuit P. N. Generalis cum assistentibus...» Cum autem aliunde constet haec a P. Laynez statuta fuisse, liquet hanc ordinationem sub eodem P. Generali factam fuisse, vel forte sub ejus obitum, cum pro Congregatione secunda Patres Romae convenerant.

cumque ad eum finem medium maxime proprium sit facultas theologiae; in hac potissimum Societatis uniuersitates incumbent, ac diligenter per idoneos admodum praeceptores, quae ad scholasticam doctrinam et sacras scripturas pertinent, ac etiam ex positiua, quae ad hunc finem nobis praefixum conueniunt (non attingendo tamen eam partem canonum, quae foro contentioso inseruiunt), pertractabunt [a].

[1.] In theologia legetur uetus et nouum testamentum, et doctrina scholastica D. Thomae [b].

2. Theologiae curriculum sex annis absoluetur [c]. In primis quatuor ea omnia, quae legi oportebit, perlegentur; in duobus reliquis, praeter repetitionem, actus soliti ad gradum doctoratus in iis, qui promouendi sunt, peragentur. Quarto quoque anno ordinarie cursus inchoabitur, sic libris praelegendis distributis, ut quolibet quatuor annorum quiuis studiosus inchoare possit, et quod reliquum est incoepti quadriennii, et eius quod sequitur quadriennii usque ad illum terminum unde incoeperat, audiendo, quatuor annis peragere omnino cursum theologiae possit.

3. Jamuero, ut duo professores annorum quatuor spatio D. Thomae summam theologicam absoluant, huic temporum distributioni sese studeant accomodare, ut primae parti S. Thomae sesquiannus detur, primae secundae tantumdem, secundae secundae anni duo, tertiae parti cum additionibus de sacramentis anni tres impertiantur. Ita demum fiet, ut duo in una schola praeceptores, quatuor annorum interuallo, totius theologiae curriculum persoluant ordine sequenti [d].

4. Primo anno prima pars usque ad finem de Trinitate inclusiue, hoc est usque ad quaestionem 44.

2.° anno, per medium annum reliqua pars, uidelicet de creatione et de angelis inclusiue usque ad quaestionem 64. Possunt praetermitti de angelis aliquot quaestiones, uel cursim transcurri,

---

a *In margine:* 4.ª par. Const., cap. 12.

b *In margine:* 4.ª par. Const., cap. 14.

c *In margine:* 4.ª par. Const., cap. 15.

d *In margine alia manu:* Assignari oporteret materias singulis partibus legendas, ne, si in vna se diffundat magister, alias omittat.

uel compendio explicari, et eorum loco accipi de statu hominis in statu innocentiae, de locutione et illuminatione angelorum. De quaestionibus de anima nihil dicimus, quoniam in philosophiae studiis hanc materiam exacte auditam esse ante theologica studia oportet. Sequenti medio anno prima secundae usque ad tractationem de passionibus exclusiue, scilicet usque ad quaestionem 22 exclusiue.

Anno 3.°, residuum primae secundae ab habitibus usque ad finem, hoc est, a quaestione 49 usque ad finem. Possent aliqua de habitibus, uirtutibus et peccatis, et legibus, sub compendio uel cursim tractari, uel etiam omitti.

4.° De fide, spe et charitate, quod per tempus licuerit, poterit peragere.

5.° De justitia, ubi et de restitutione, a quaestione 57 usque ad 71 inclusiue.

Item, de aliis sequentibus. De fraude, questio 77; de usura, 78,79; de uoto, 88; de juramento, 89; de superstitionibus, a 92 usque ad 96 inclusiue; de simonia, 100; de mendacio, 110; de simulatione, 111; de martyrio, 124; de jejunio, 147; de virginitate, 153; de peccato primi hominis, 163, 164; de statu episcoporum, 185; de statu religionis, 186, 187. Omnes quaestiones sunt numero 47.

6.° anno, 3.ª pars usque ad sacramenta exclusiue, ubi poterunt quaedam cursim et sub compendio transcurri.

7.° anno, de sacramentis in communi, de baptismo, de confirmatione, de eucharistia.

8.° anno, residuum de sacramentis, aut etiam de reliquis, si possit.

MODUS DOCENDI SCHOLASTICAM THEOLOGIAM

[1.] Explicabuntur singulae quaestiones et singuli articuli eodem ordine, quo sunt dispositi a D. Thoma, declarando prius titulum articuli, deinde totum articulum exacte cum suis probationibus, et argumentis in contrarium ac solutione, eodem ordine.

2. Deinde moueat dubia et quaestiones, si quae occurrant

dignae scitu; sed tamen non nisi quae ad illum articulum proprie pertineant, adferendo opiniones doctorum et eorum fundamenta; ad quam rem utetur lectione Caietani, Capreoli, Scoti, Durandi, Gabrielis et aliorum, quos probauerit [e]. Non efficiet autem tractatus materierum seorsim; versabitur tantum in expositione diligenti articuli: sicubi tamen ratione temporis aut loci uidebitur excurrendum, poterit id facere, sumpta occasione articuli, quem tractat.

3. In fine lectionis, intra horam tamen, compendio eam repetat ipsemet magister per mediam quartam horae [f].

4. Non ita doceat magister, ut uideatur dictare.

5. Magister, post lectionem, prope januam classis expectet, satisfacturus dubiis eorum, qui aliquid uoluerint proponere; deinde relinquat eos repetituros ternos uel quaternos.

6. Praeter scholasticae theologiae professores, erit praeterea sacrarum literarum professor, qui sacram scripturam enarrabit, et uetus novumque testamentum alternis annis interpretabitur [g], ita ut quatuor annorum spatio praecipuae difficultatis libros discipuli possint audire, quales, exempli causa, in ueteri testamento sunt: Genesis, prophetae, psalmi, cantica; in nouo uero: euangelium secundum Matheum et Joannem, et D. Pauli epistolae ad Romanos, Corinthios, Hebraeos etc.; aut alia, quae existimauerit Superior magis conuenire, etc.

7. Enarrandi autem sacrarum scripturarum hic obseruari modus deberet: ut, literali sensu diligenter explicato et locis difficilibus enodatis, in reliquis, quae aut per se perspicua sunt aut ad mysticos sensus attinent, parum temporis poneretur.

Dabit uero operam, ut non solum intelligatur auctor, quem praelegit, sed etiam alias scripturae partes illustret, cum opere pretium fore uidebitur; ad quod etiam profuerit tractare loca, quae uidebuntur contraria; adhibere etiam suis locis historias;

---

e *In margine:* Num hi nominandi, variant Patres.

f *In margine:* Ad hanc 4.am [*sic*] congregentur omnes magistri nobiscum.

g *In margine:* Natalis et Dionisius per mediam horam, alii duo indeterminate, ut hic est.

quaestiones item literales, cum res poscet; loca etiam, per quae judaei conuinci possint, attingere poterunt.

Cum inciderit locus, ubi utendum sit doctrina doctorum scholasticorum, non tractet scholastice, sed more doctorum sacrorum, et accommodate ad scripturam; poterit tamen interdum scholasticorum sententias breuiter referre.

Cum se offeret occasio confirmandi nostra contra haereticos, ne omittat, modo ne diffuse tractet, controuersias.

Sic utatur uariis uersionibus scripturae sacrae et linguarum peritia, ut tamen uulgatam [h] semper defendat et caeteris praeferat, ad eamquẽ illustrandam reliquas adducat.

Ne studeant nouitati, nec contra Ecclesiae sensum uel unanimem Patrum consensum quid doceant, iuxta concilium Tridentinum, sess. 4.[a]; sed potius sanctorum doctorum interpretationibus inhaereant et eis conformiter doceant, et semper magna cum reuerentia tractent sanctos et eorum dicta.

[8.] Praeter has lectiones scripturae, controuersiarum fidei explicatio suscipi uel omitti poterit pro regionum uel temporum ratione. Ubi autem legentur, semel singulis hebdomadis, uel saepius, iuxta Prouincialis arbitrium, praelegantur.

[9.] Casuum conscientiae lectio publice fiet uel priuatim, prout a Prouinciali fuerit constitutum.

[10.] Casuum autem conscientiae habebitur una uel altera lectio singulis hebdomadis, prout Prouinciali uisum fuerit. In collegiis autem non plenis, ubi aliquid ex theologia legitur, idem Prouincialis, quid legi debeat, constituet. Ubi uero seminaria casuum conscientiae instituentur, praelegatur bis quotidie. In aliis collegiis, quae, pro ratione formulae fundationis [i] collegiorum, admittunt lectionem casuum conscientiae, bis aut ter in hebdomada legentur, uel saepius, si Prouinciali uidebitur expedire.

[11.] Omnes scholastici audiant duas lectiones scholasticae theologiae; sacram scripturam uero omnes audiant duobus ultimis annis suae theologiae, nisi cum aliquo alia ratio habenda Su-

h editionem vulgatam, *alt. ex.*

i formulae et fundationis, *alt. ex.*

periori uidetur: et ubi lectio erit controuersiarum, eius auditores illi erunt, quos probauerit Superior. Quo autem die controuersiae legentur, eo sacrae scripturae lectio non erit, aut altera ex scholasticis omittetur, ne scholastici pluribus onerentur lectionibus.

[12.] Casus uero conscientiae omnes sacerdotes scholares audient, et illi praeterea, qui aut ultimum [j] annum theologiae sunt ingressi, aut proxime promouendi sunt ad sacros ordines.

[13.] Non scribatur D. Thomas, neque Cajetanus, sed quaestiones, quae a magistro tractabuntur, poterunt scribi [k], si uelint, sub breuitate; sed admoneantur ut praeuideant semper futuram lectionem apud D. Thomam.

[14.] Post auditam lectionem scholasticae theologiae repetent memoriter bini uel terni, saltem per mediam horam; distribuantur autem prout uisum fuerit Superioribus.

[15.] Reliquum tempus disputabunt inter se [l], et esset utile si aliqui, eruditione pares, inuicem opponerentur a Superiore, qui se sancta emulatione prouocarent. Hic semper magistrorum unus alternis diebus praesit, qui, postquam duas lectiones suas [m] repeti fecerit, concertantium argumenta diriget.

[16.] Cum uero non fuerint lectiones, fiant disputationes tota hora, etiam diebus festis; *et hae, ubi fieri possit commode, habeantur in classe propter utilitatem externorum. Quo autem ordine* defensuri sint, Rectoris aut Cancellarii iudicium erit [n].

[17.] Habeantur praeterea disputationes publicae singulis hebdomadis die uacationis hebdomadariae, uel die festiuo mane, uel uespere toto tempore, quo studiorum intermissiones non sunt, et hoc ad summum duas horas, etc.

---

j qui ad ultimum, *alt. ex.*

k describi, *alt. ex.*

l *In margine:* Videatur quod 4.° loco in principio propositum est de dictando.

m *Hoc verbum desideratur in alt. ex.*

n *Quae praecedunt, italicis characteribus notata, in ms. lineam habent subductam, et in margine legitur:* Haec pars Patribus Madrid et Miron non placet, aliis placet.

[18.] Habeat paratas probationes, qui sustinet [o], omnium conclusionum; sed probabit tamen quas monebit magister [p].

[19.] Singulis praeterea mensibus fiant disputationes generales, quibus omnes doctores theologiae intersint, et si uelint, possint etiam disputare, sumpta occasione ex argumento discipuli; sed iudicio omnium praestaret, tunc loco earum, tum alias in mense, haberentur actus theologiae.

[20.] Sabbato etiam a prandio disputationes fiant, quibus magister alternis uicibus praeesse debet [q]. Semel uero singulis mensibus publicae et solemnes habendae sunt disputationes, ad quas magistri omnes conuenire debent.

[21.] Assertiones, nisi a Cancellario subscriptae, ne defendantur: affigantur autem ualuis gymnasii, et earum exempla a bidello argumentaturis opportune dentur.

[22.] Sedendi et disputandi decens locus unicuique asignetur. Ubi tempus suppetet, iis etiam disputare licebit, qui designati [r] et inuitati non fuerunt.

[23.] Auditor theologiae ne replicet argumentum eius, qui antea disputauit; hoc namque magistris tantum licebit.

[24.] Disputationibus et theologiae actibus non minus curandum est ut intersint scholastici theologiae, quam lectionibus.

DE GRADIBUS THEOLOGIAE

[1.] Nouem actus ante doctoratus gradum habendi sunt duorum annorum spatio; quatuor, ut bacalaureus formatus; quinque, ut licentiatus in sacra theologia quis dici possit. Qua-

o sumet, *alt. ex.*

p *Post praecedentia, haec habentur, quae nos ad modum annotationis damus:* Pater Parra et P. Ledesma, ut semel praeterea in hebdomada sint disputationes domesticae per duas horas die uacationis, uel aliquo die festo, si incidat. P. Emanuel et P. Benedictus, ne fiant. P. Rector, ut saltem quando die sabbathi non fiunt publicae, tunc fiant. Idem etiam uisum fuit P. Emanueli et P. Benedicto. *Et in margine:* De his disputationibus et actibus theologicis audiantur praeceptores, quia hic obscure sententias dicunt.

q *Cancellata est sequens periodus in alt. ex.*

r deputati, *alt. ex.*

tuor primi actus sunt: tentatiua [s], primum principium, secundum principium, tertium principium; quinque uero qui sequuntur: principium [t] bibliorum, magna ordinaria, alphonsina, quodlibeta, examen priuatum [u].

De tentatiua

[2.] Ad tentatiuam, qui primus actus est, quo exploratur an ad reliquos aliquis sit admittendus, nullus admittetur, qui prius non probauerit, uel alioquin constiterit, se per annos 4.or ordinarium theologiae auditorem fuisse, ita ut annis singulis octo saltem menses lectiones frequentauerit. Si quis tamen mensem unum aut alterum lectiones intermiserit uno anno, licebit eas sequentibus annis resarcire. Audire autem debent toto eo tempore duas saltem scholasticae theologiae quotidie lectiones, et praeterea sacrae scripturae enarrationem duobus annis, ubi eiusmodi lectionis copia non defuerit.

[3.] Fiet tentatiua paulo post renouationem studiorum a prandio; et in ipsa studiorum renouatione sese Rectori praesentabunt qui ad gradus theologiae promoueri uolunt, ut ad hunc primum actum suus cuique locus assignetur.

[4.] Hic tentatiuae actus assertiones nouem continebit: tres, uidelicet, praecipuas uariarum materiarum, quarum quaelibet habeat duas collaterales. Praecipuarum uero quaelibet *tria* [v], ut minimum, puncta, ut summum quatuor proponet; collaterales uero vt minimum [x] duo, ut summum tria continebit. Singulas partes defensor una sola ratione et autoritate comprobabit.

[5.] Qui erunt in tentatiua responsuri, debebunt (sicut in quouis alio actu) 15 dies ante diem defensionis assertiones dare praesidi. Triduum autem ante eiusmodi actum debent praedicti scholastici dare bidello exemplum unum assertionum harum

---

s tentativi, *alt. ex.*

t primum principium, *alt. ex.*

u *In margine:* Postea Patres decreuerunt debere uocari actum maximum.

v *Praecedens verbum lineam habet subductam, et in margine legitur:* Quatuor.

x *Praecedentia novem verba desiderantur in alt. ex.*

bonis characteribus, quod ille ad ualuas scholae theologicae affigat; idque per Cancellarium subscriptum erit. Dabunt item eodem tempore iidem scholastici eidem bidello tot exempla harum assertionum, quot satis sint, ut doctoribus et bachalaureis eius facultatis distribuantur. Unum praeterea Rectori, alterum Cancellario dandum erit. Haec nisi praestiterit defensurus, non poterit huiusmodi actum defendere.

Posteaquam in hoc actu praeses aliquam harum assertionum quaestionem proposuerit, eamque in utramque partem disputauerit, et suas ipse defendens assertiones succincte probauerit, ipse praeses primus, deinde doctores et alii decenti ordine argumentabuntur; idque unico medio, uel etiam duobus, si id numerus argumentantium postularit, et Rectori uel praesidi ita uisum fuerit.

[6.] Hoc absoluto actu, intra biduum Rector ipse simul et theologicae facultatis doctores in secretum locum conuenient, de sufficientia eius, qui defendit, acturi, ubi suffragia sua litteris A et R significabunt, quas litteras scriba uniuersitatis ipsis dabit duabus in cartulis, scilicet: si approbandus uidebitur, litteram A in capsulam, ante ipsos positam, coniicient; si reprobandus, litteram R in eadem immittent. Absoluta suffragatione, Rector simul cum Cancellario suffragia discernet; ac si plures litteras A quam R reperiat, approbatus; si uero plures R, reiectus, qui defendit, censebitur. Quod si maiori suffragiorum parti videatur defendens poenitentia aliqua afficiendus, harum litterarum ac poenitentiarum rem totam, ut gesta est, scriba universitatis suo in libro describet, ad cuius scripti calcem Rector simul et Cancellarius subscribent. Postremo praedictas litteras dabit scriba ei, qui defendit. Atque is ordo seruabitur in omnibus actibus, quibus suffragia dabuntur.

QUIS ORDO SERUANDUS SIT IN ACTIBUS THEOLOGIAE

[1.] Is, qui sequitur, ordo seruabitur in omnibus theologiae actibus, in quibus praeses [y] erit, ubi, insignibus exornatus doctoralibus, cathedram similiter honeste exornatam conscenderit,

---

y praesens, *alt. ex.*

praecipuam ex assertionibus quaestionem proponet, et in utranque partem breuiter disputabit: deinde defensurum euocabit; et euocatus, aperto capite, praeeunte bidello cum suis insignibus, accedet, ac solito respondentium loco sedebit; deinde, repetita quaestione, facta protestatione consueta, probatis insuper assertionibus, ad praesidis, doctorum et bacchalaureorum argumenta respondebit. Dicta autem protestatio huiusmodi erit: Quaecunque dicturus sum, correctioni sanctae matris romanae Ecclesiae et sacrae theologiae Facultati subiicio.

[2.] Cum tentatiuae actus uel quis alius ex magnis (qui nouem assertiones continent) celebrabitur, theologiae doctores, qui tunc docent, non docebunt eo medio die; et actus maiores durent, ut minimum, 4.^{or} horas; minores uero, ut minimum, tres horas; et actus minores habeant sex conclusiones.

[3.] Theologiae ordinarii professores publicis actibus omnibus, siue magni sint siue parui, statuto ordine alternatim praesidebunt, nisi ex doctoribus vniuersitatis Rectori alius praeficiendus uideretur.

[4.] Omnes admissi, post tentatiuam, ad reliquos actus, qui sequentur, tenebuntur in omnibus publicis theologiae actibus tam defendere quam argumentari detecto capite, quod et defendentes faciant: sin minus alicui poenae, arbitrio Rectoris, subiaceant.

[5.] Non licebit doctoribus in his actibus aliorum doctorum argumenta et eorum solutiones prosequi; discipulorum tamen aliquando fas erit, dummodo id breuiter cum licentia praesidentis fiat. Jamuero, dum unus argumentatur, non erit alteri interpellandi locus. Quod si inter disputandum aliquae propositiones suspectae, uel scandalosae, uel temerariae, uel a fide quoquo modo dissonantes exciderint, diligenter a praeside et ab aliis doctoribus obseruentur, easque, ut res postulauerit, retractari curabunt.

[6.] Praedicti bacchalaurei admissi, post tentatiuam alium actum, tribus assertionibus constantem, habebunt, ex primo libro sententiarum desumptum, in quo bacchalaurei unico medio argumentabuntur; qui si defuerint, argumententur doctores; quibus etiam liceat bacchalaureorum argumenta replicare; atque is actus primi principii appellabitur.

[7.] Habebunt praedicti bacchalaurei actum alium, ex secundo libro sententiarum desumptum, tribus item assertionibus constantem, in quo bacchalaurei uel doctores, ut supra dictum est, unico argumento utantur, quod etiam doctoribus replicare liceat, ut supra in primo principio dictum est; atque id 2.di principii actus nuncupabitur.

[8.] Habebunt praedicti bacchalaurei admissi actum alium, qui actus tertii principii appellabitur, et tres etiam assertiones, ex 3.° libro sententiarum desumptas, contineat, in quo bacchalaurei uel doctores (ut dictum est) duobus mediis argumentabuntur. Hic autem actus fiet circa finem primi anni ad actus designati, in quo quidem actu doctores suffragia sua ferant per litteras AA et RR, uel poenitentias iis, qui digni erunt, imponent. Qui uero defendit, ad finem huius actus, facta protestatione solita, gradum bacchalaurei formati, stans, breui oratione deposcet a praeside, qui solita uerborum formula, sine ulla oratione, bacchalaurei formati gradum poscenti cum solitis uniuersitatis insigniis concedet; postea uero eidem Magistrum sententiarum manibus tenendum exhibebit, facultatemque faciet cathedram conscendendi; quibus peractis, ipse praeses descendet de cathedra, quam bacchalaureus recens formatus cum solitis insigniis conscendet, a praeside acceptis. Dum uero ille ita sedet, bidellus propinas de more solitas (de quibus infra erit sermo) distribuet; quibus distributis, incipit nouus bacchalaureus partem aliquam magistri sententiarum breuiter exponere; deinde, accepto signo a Rectore uel praeside ut finem faciat, gratias tandem Deo, Rectori et praesentibus aget.

[9.] Initio sexti anni, designato a Rectore die, exhibebunt praedicti bacchalaurei formati actum alium, tribus etiam assertionibus constantem, quibus graues aliquae materiae ex scriptura sacra, quarto tamen libro sententiarum accomodatae, pertractentur; atque is actus principium bibliorum nuncupabitur, in quo bacchalaurei suo ordine unicoque medio argumentabuntur, nisi adeo pauci sint, ut duo media unumquemque adhibere posse Rectori uel praesidi uidebitur.

Magna ordinaria actus erit nouem continens assertiones,

quibus materiae graues, ad mores spectantes, tractabuntur; cuius gratia bacchalaureus praesidi, per aliquot dies ante, codicem copiosum, in quo probationes dictarum assertionum continentur, dare debet. Si uero huiusmodi probationes recitandae sint, durent per quadrantem horae. Postea uero doctores et bacchalaurei alternatim suo ordine argumentabuntur; sed suffragia praedicti doctores de dignitate defendentis ferent per litteras A et R, uti perspici posset sitne idoneus defendens, qui ad reliquos actus ad licentiam necessarios admittatur.

Post magnam ordinariam, alium actum (quem maximum uocare licebit) [z], nouem assertionibus contentum ex difficilibus theologiae quaestionibus, et absque praeside, examinandus exhibebit. Durabit autem actus 4.^{or} horas mane et totidem uesperi.

Rector, consiliariis vniuersitatis auditis, priorem aliquem eliget ex maxime idoneis illius cursus, in quo uersati sunt, qui maximum hunc actum sunt exhibituri. Si uero inter eos nullus idoneus inueniatur, qui id praestare possit, integrum sit ex bacchalaureis alterius cursus, et in eorum defectu, ex licentiatis aut doctoribus in theologia, alium in priorem eligere. Prioris autem intererit haec ex officio praestare: accipiet assertiones cum suis probationibus per mensem (ut minimum) ante diem actus; quas responsurus illi tenebitur exhibere; intra dies uero quindecim quemdam codicem, ubi assertiones praedictae, adjunctis simul earum impugnationibus, contineri debent, responsuro dabit, ut ille ipsarum studio uacare possit.

Postquam autem octo dies huic labori impenderit responsurus, eumdem codicem cum argumentorum solutionibus priori restituet; atque ita inter se inuicem conferendo, uterque assertiones earumque probationes et argumenta cum solutionibus recte teneant.

Ordo in hoc actu maximo obseruandus huiusmodi erit: Postquam prior in sede quadam honoratiori, insigniis solitis ornatus, consederit, bacchalaureo responsuro, in sua etiam sede cum so-

---

[z] *In margine:* Maximus actus, quem Alphonsinam complutenses nominant. *In altero exemplo:* quem complutenses Alphonsinum nominant.

litis insigniis sedenti, quaestionem, quae est titulus assertionum, proponet, eamque in utramque partem argumentis disputando, dubiam respondenti relinquet, qui quidem tam quaestionem, quam argumenta a priore proposita, repetet. Deinde uero quaestioni principali respondebit, singillatimque partes omnes assertionum (prout in codice continent [a]) explicando, dimidiam horam earum probationi impendet. Quibus peractis, prior aduersus assertionis [b] partes, probationes aut fundamenta earum, iuxta normam codicis, breuiter arguet, et defendens eodem etiam ordine statim respondebit. Continuo prior duas praecipuas difficultates, in assertionibus contentas, quam poterit docte et eleganter, repetet, easque tribus argumentis impugnabit; quibus ubi fuerit responsum, officii sui finem faciet. Postremo bacchalaureorum quisque bonis [c] mediis uti poterit, quorum argumenta liceat etiam doctoribus replicare. His autem omnibus respondens, absque alicuius ope, satisfaciet.

In actu quodlibeta, qui [d] quodlibetorum dicitur, disputabuntur materiae tam speculatiuae quam practicae, quorum codicem defensurus praesidi, per mensem (ut minimum) ante actum, exhibendum curabit. Per tres uero aut quatuor dies ante actum, eumdem codicem bidello dabit, ut eis, qui fuerint ad arguendum inuitati, uel quibus de more id facere conuenit, traddantur [e] opportune. Solent autem ad eum actum inuitari personae aliquae insignes, tam ex ecclesiis cathedralibus, quam collegiis et monasteriis diuersorum ordinum, iuxta consuetudinem diuersarum regionum. Dabunt uero unicuique collegio aut monasterio duo specialia quodlibeta cum titulo ipsius capituli uel collegii seu monasterii, quorum unum erit cum argumentis, alterum sine argumentis.

Ordo huius actus hic erit. Postquam omnes in suo loco consederint, praeses omnium primus quodlibeta proponet, quae ad

---

a continentur, *alt. ex.*
b assertionum, *alt. ex.*
c binis, *alt. ex.*
d In actu qui, *alt. ex.*
e tradat, *alt. ex.*

ipsum spectabunt, quorum illud, quod sine argumentis est, tantum proponet, reliquum uero, hinc et inde argumentis propositis, pertractabit; sed unicum tantum argumentum licebit persequi. Respondens uero eadem quodlibeta siue quaestiones propositas repetet, et quam poterit docte et copiose explicabit; deinde praesidis argumento respondebit. Hunc autem ordinem caeteri argumentaturi obseruabunt, habita tamen ratione antiquitatis personarum circa loca sua, quae de more obseruari solet. Durabit autem actus per horas sex, uel continuas uel in duas partes diuisas, prout Rectori melius expedire uidebitur.

[examen priuatum] [f]

Singulis annis iuxta finem biennii, quod ad actus exhibendos impendit, die aliquo festiuo Rector omnes bacchalaureos, licentiae gradum accepturos, cum theologiae facultate conuocari faciet in locum ad id designatum, eorumque singulis dies praescribet iuxta eorum antiquitatem, quibus ad priuatum examen debeant accedere; illi autem dies, quando non sunt lectiones, opportuniores erunt. Qui si non sufficere uidebuntur, alii possunt dies a Rectore cum consiliariis ad praedictum examen deputari, dummodo in eadem hebdomada duo priuata examina non exhibeantur.

Si quisquam ex bacchalaureis, ad priuatum examen admissis, ad diem sibi assignatum, quo examen secretum subiturus erat, defuerit, tunc, qui proximo succedit loco, ius antiquitatis alterius occupare possit, dummodo iam ad priuatum examen fuerit ingressus. Caeterum, si, postquam ille fuerit praesentatus gratia secreti examinis habendi, ad quod adhuc non erat ingressus, qui eius loco successurus erat, et coram Rectore compareat, iustasque absentiae causas protulerit, tunc suo jure fraudandus non erit. Si uero alii se extra tempus praesentauerint, quamuis iustum impedimentum non obtenderint, nihilominus tamen ad actus suos, sed inter postremos, admittentur, gradumque licentiae etiam inter ultimos recipient. Quae omnia, ut gesta fuerint, libro, depu-

[f] *Hic titulus desumptus est ex alt. ex.*

tato a notario vniuersitatis, cum debitis subscriptionibus apponentur.

Omnes bacchalaurei, licentiae gradum accepturi, ad examen secretum minime admittantur, nisi sufficiens testimonium in scriptis, ab uniuersitatis scriba sibi datum, cum Rectoris subscriptione protulerint, unde constet unumquemque illorum suum theologiae cursum absoluisse, omnesque praedictos actus peregisse. Quae omnia prius Rector diligenter fieri curabit.

Rector nullum ad priuatum admittat examen, nisi prius diligenter exploratum habeat eum, qui admittendus est, uirum esse probum honestumque, tum etiam aliquem ex sacris ordinibus suscepisse; si secus aliquid intellexerit, uel examen differat, uel nullatenus admittat. Dies duos ante examen priuatum Rector et Cancellarius, cum ministris ordinariis et requisitis, ad certam quandam horam in locum, in scholis ipsis destinatum, conuenient: continuo uero Cancellarius librum Magistri sententiarum per tres partes diuersas aperiet; unde integrum sit responsuro punctum unum eligere ad primam lectionem conficiendam. Hoc autem, eodem modo, secundo fiat ad alteram lectionem praeparandam. Quae omnia, ut sine dolo et fraude ulla peragantur, diligenter Rector et Cancellarius animaduertent. Tunc notarius vniuersitatis ea puncta describet, quae quidem eodem die, quam citissime poterit, bidellus ad doctores argumentaturos deferet, qui ad minimum tres esse debent. Postea uero eadem uero [g] puncta ad alios etiam, qui adfuturi sunt examini, asportare curabit.

Post assignata puncta, responsurus proximam noctem et subsequentem diem cum altera nocte studio duarum lectionum impendet: postea uero sequenti mane una hora post ortum solis Rector, Cancellarius et doctores, solitis insigniis ornati, et ministri vniuersitatis, ad hoc constituti, cum ipso examinando ad scholarum templum, seruato ordine procedendi, conuenient, ita tamen ut examinandus ad dexteram Rectoris et ad sinistram Cancellarii consistat; et, audito sacro, ad locum priuati [h] examinis accedent, ubi diligenter curandum erit ne quis externus intus maneat;

g *Hoc verbum omittitur in alt. ex.*
h priuatum, *alt. ex.*

quapropter Rector curam et operam suam (ut par est) diligenter praestabit, ut portae loci, ubi examen secretum habendum erit, recte occludantur.

Locum, siue sit templum aut sacellum, ubi examen secretum habendum erit, nullatenus liceat tapetibus exornare, unico tantum excepto casu, uidelicet, quando examinandus uir esset illustris, qui graui et iniquo animo acciperet id sibi denegari. Hoc autem si huiusmodi personis concedendum erit, absque licentia Prouincialis minime fiat, qui quidem id decernere poterit, quod magis expedire in Domino iudicauerit. Licebit tamen mensam, iuxta quam consessuri sunt, tapete aliquo decenter ornari.

Scholarum custos nocte, quae priuatum examen praecessura erit, anteaquam signum dedat, quod Auemaria nuncupari solet, cimbalum vniuersitatis pulsari per certum aliquod tempus, a Rectore assignandum, curabit; sonus autem passim et moderate fiat, ita ut potius animos ad deuotionem, quam ad uanitatem mouere uideatur. Sic namque fieri conuenit, nempe, ut tam ipsius examinandi, quam examinatorum animi ad actum proxime peragendum studiose et religiose praeparentur, tum etiam ut alii excitentur ad orandum pro eo, qui secretum examen inire parat.

Postquam in loco consueto consederint omnes, examinandus statim a principio examinis fidei protestationem, quae de more praestari solet, cum debita reuerentia faciet; postmodum uero, rite captata omnium beneuolentia, primam incipiet lectionem, qua absoluta, secundam suo tempore aggredietur; sed in utraque lectione duas tantum horas consumet. Integrum tamen erit aliquid ultra horam primae lectioni impertiri, dummodo, quod reliquum est temporis, alteri lectioni impendat; et ob hanc causam arenae horologium a principio actus supra mensam praeparabitur ipsumque Rector attente obseruabit.

Inter utranque lectionem spatium erit quadrantis aut semihorae, quo doctores aliquantulum requiescant, ipseque examinandus secundam interim possit lectionem recolere; et ob eam causam recte custodiri et inspectari horologium expedit.

Absolutis lectionibus, doctores Societatis, ad arguendum destinati, argumententur. Argumenta uero tria proponere, sed duo

tantum licebit persequi, ita ut unico tantum argumento quamlibet lectionem impugnent: caeteri uero doctores magna cum attentione quaecunque ibi peraguntur obseruabunt. Post finem lectionum argumentorumque, omnibus adhuc in suis sedibus considentibus, Rector licentiando facultatem abeundi faciet; post cuius discessum portae etiam accurate claudantur, ut ad suffragia ferenda examinatores accingantur.

Nemini suffragantium liceat uerbo uel motu [i] examinatum alteri commendare; nullo enim pacto subornationi locus esse debet. Qui secus fecisse conuincitur, siue ille sit ex nostris, siue ex externis, poenitentia aliqua uel poena mulctetur.

Rector, antequam suffragia ferantur, iubebit per scribam vniuersitatis doctores externos iuramento obstringere, uti sua (prout iustum esse in Domino iudicauerint) suffragia ferant. Nostri uero doctores nullatenus iurent. Postea idem Rector omnibus secretum fore obseruandum quam [maxime] poterit iniungat, et coram oculis proponet quanti sit momenti aliquem reprobare, approbare; quot [j] damna reipublicae xianae. proueniant ex indignorum approbatione, cum in omni disciplinarum genere, tum maxime in theologia, quae de rebus fidei orthodoxae grauissimis pertractat; et in quantum discrimen suas conscientias, inique iudicando, adducant.

Postea scriba vniuersitatis dabit singulis doctoribus chartas duas albas, quarum altera deseruiet ad approbandum uel reprobandum, altera uero ad poenitentiam (si qua iniungenda erit) assignandam; cum enim aliquis est approbandus, ponitur A, cum uero reprobandus, R. Cum autem poenitentia aliqua erit imponenda, verbi gratia, ut diutius studeat, tunc suffragaturus alteram chartam acicula aliqua perforabit, totque puncta signabit, quot semetria [k] [*sic*] iudicauerit ipsum examinatum studere teneri; sin minus, chartam puram et absque puncto aliquo in capsulam mittet. Postquam autem omnes suffragia dederint, fiat suffragiorum scrutinium in hunc modum: Rector, praesente scriba vniuersita-

---

i nutu, *alt. ex.*

j reprobare aut approbare, quod, *alt. ex.*

k puncta significabit, quot semestria, *alt. ex.*

tis, simul cum Cancellario vota colliget et discernet; quorum si maior pars reprobat per R, reprobatus minime gradum obtinebit; sin uero maior pars approbat per A, remanet approbatus. Eodem etiam modo fiet scrutinium circa schedulas punctis obsignatas, quibus innuitur poenitentiam esse imponendam: etiam si [l] maior pars schedularum absque punctis esse apparuerit, nulla imponatur poenitentia; si uero maior uel aequalis schedularum pars punctis erit adnotata, eam poenitentiam, quae huiusmodi punctis signatur [m], qui gradum postulat, prout illi praescriptum fuerit, subire debet. Si quid tamen moderaminis poenitentiae, quae ex punctis deprehenditur, adhibendum erit, hoc Rectoris et duorum ex nostris doctoribus, mature re considerata, subiacebit arbitrio. Dum uero durat poenitentiae tempus, licentiae gradum nequaquam recipiet; caeterum, peracto tempore poenitentiae, ad examen secretum redeundi locus erit. Haec autem, ut gesta sunt, scriba vniuersitatis in libro suo adnotabit, et Rectoris et Cancellarii subscriptione signentur.

Postquam doctores semel suffragia tulerint et in capsulam coniecerint, si quis ante scrutinium per errorem se unam schedulam alterius loco coniecisse testetur, audiendus erit, licebitque alteram (omni prorsus fraude semota), quam prius destinauerat, apponere.

Bidellus peculiarem curam exigendi propinas et pecunias alias ad sumptus huius actus necessarias habebit [n], idque praestare diligenter curabit, antequam lectiones examinando assignentur. Quapropter ea de re prius Rectorem et Cancellarium admonebit. Si secus bidellus fecerit, quicquid erat pecuniarum deponendum, ipse interea persoluet.

In hoc examine nihil cibi aut potus, nihil omnino refectionis exhibebitur.

Postquam fores domus, ubi examen peractum est, semel fuerint clausae, nulli, etiam ex doctoribus ad arguendum deputatis, aperientur. Quandocunque autem aliquis eorum defuerit, neque

---

[l] etenim si, *alt. ex.*

[m] significatur, *alt. ex.*

[n] *Hoc verbum desideratur in alt. ex.*

illum [o] suffragium ferre, neque propinam accipere possit, sed eam, qui in eius locum ad argumentandum substituendus erit, obtineat. Facultas autem alterum nominandi ad arguendum, penes Rectorem erit.

DE LICENTIATO IN THEOLOGIA

Peracto examine, intra octo dies, uel tempus aliquod certum, examinatus Rectorem adibit, ab eoque diem ad licentiae gradum accipiendum expostulabit. Rector uero festum aliquod uel diem dominicum assignabit, prout melius iudicauerit, in quo ipse et Cancellarius cum doctoribus facultatis theologiae ad templum scholarum ad audiendum sacrum conuenient; quo peracto, ad aulam [p], ubi gradus concedi solet [q], cum insigniis doctoralibus progredientur, inter quos, qui gradum accepturus est, aperto capite incedet, et eodem modo, in loco consueto stans, gradum a Cancellario breui oratione deposcet. Deinde uero, praestito iuramento iuxta formam in litteris Apostolicis contentam, Cancellarius auctoritate Apostolica gradum licentiae, quo possit ad doctoratum, cum libuerit, ascendere, breui quadam oratione concedet; erit autem certa aliqua uerbis conceptis formula ad gradus conferendos descripta, quam semper seruare conueniet. Post gradum ita concessum, pileum eius capiti Cancellarius imponet. Quibus de more peractis, licentiatus demum oratiuncula altera gratias Rectori, Cancellario et aliis circumstantibus aget.

DE VESPERIIS

Solet alius actus duos uel tres dies ante doctoratum exhiberi, quem in quibusdam accademiis *vesperias* appellant: in quo hic ordo obseruari consueuit. Aliquis ex bacchalaureis theologiae assertiones theologicas defendet, cui unus ex doctoribus theologis praeses assistet; e regione uero defendentis ille, qui doctor fieri uult, cum solitis insigniis sedebit. Tunc praeses quaestionem primariam, quae loco tituli conclusionum praefigitur, disputan-

---

o ille, *alt. ex.*

p *Antea scripserat* scholam.

q solent, *alt. ex.*

dam proponet. Ad eam uero scholasticus theologus uel bacchalaureus respondebit continuo; exhibita autem solutione, mox in proximo scabello sedebit. Deinde, ubi praedictas assertiones probauerit, contra eum praeses et bacchalaurei, seruato antiquitatis ordine, unico medio disputabunt. Quibus peractis, doctam [r] aliquis orationem habebit, ubi finem, ob quem gradus conferri debeant, explicabit, nimirum ad Domini Dei nostri gloriam et animarum salutem. Postea uero, quanta ad gradum doctoratus in theologia requirantur, exponet, ipsumque doctorandum ad tenuitatis imbecillitatisque suae [s] considerationem habendam excitabitur [t]. Postremo, ad humilitatis specimen aliquod exhibendum, eum humi sedere praecipiet. His peractis, quaestionem illi theologicam proponet, quam ubi ille, aliquibus prolatis sententiis, aliquantulum explicabit [u], praedictus doctor contra responsionem sibi datam unico medio argumentabitur. Tandem, absolutis omnibus, praeses aliam orationem habebit, in qua theologiae scientiam, graduum, qui in ea conferuntur, grauitatem, et doctorandi uirtutes eruditionemque commendabit.

Et haec erit huius actus summa.

De doctoratu in theologia

Quando licentiatus aliquis in theologia ad gradum doctoratus promoueri intendit, Rectorem adeat, et ab eodem aliquem ad id peragendum [diem] sibi assignari postulet. Rector uero intra triduum facultatem theologicam congregari curet; et per bidellum omnes eiusdem facultatis licentiatus [v] conuocabit, ut suam unusquisque antiquitatem, iuxta quam doctores creentur, ostendat. Si uero aliquis eorum absit, ueruntamen domum in urbe habeat, satis erit alicui ex domesticis uel uicinis eius hoc ipsum denuntiari; si uero ad diem praestitutam non comparuerit, qui proximo succedit loco licentiatus, eius antiquitatem occupet. Rector au-

---

r doctor, *alt. ex.*
s *Omittitur* suae *in alt. ex.*
t exhortabitur, *alt. ex.*
u explicaverit, *alt. ex.*
v licentiatos, *alt. ex.*

tem bidello iniunget ut suo perfungatur officio, omnes gradum accepturos praemonendo, ut expensas et propinas et reliqua ad actum istum necessaria praeparent. Quod si pecuniae desint, saltem pignora auri uel argenti deponant.

Eo die, quo doctor aliquis est creandus, primo mane Rector, Cancellarius, doctores et magistri artium cum ministris necessariis, et reliqui omnes, qui doctorandum comitari solent, in aula scholarum conuenient, ubi gradus in hunc modum dabitur. Doctoris gradum accepturus, sicuti decet uestitus, sed aperto capite, ad dexteram Rectoris incedet; alteram partem doctor aliquis, qui patrini officio fungetur, tenebit, ita ut ipse doctorandus in medio consistat. Rectorem bidellus, clauam suam proferens, anteibit. Ante bidellum quidam juuenis, eleganter indutus, pileum floccum [x] doctoralem, biblia, annulum, malluuio argenteo superimposita, manibus praeferat. Vtrumque latus cingent doctores et artium magistri, suis quisque decoratus insigniis, et iuxta suam antiquitatem locum tenens. Hunc autem ordinem omnino seruari per bidellum Rector ipse curabit, ita ut nulli fas sit, quocunque officio uel dignitate praefulgeat, nisi in eadem vniuersitate gradum acceperit et doctoris aut magistri insignia praeferat, huiusmodi doctorum ac magistrorum ordini se ipsum immiscere.

Jam uero, ubi ad templum uel sacellum peruentum erit, et sacrum de Spiritu sancto fuerit celebratum (cuius rei doctorandus curam habere debet), Rector, Cancellarius, doctores, magistri et ministri vniuersitatis, et quotquot alii ad praedictum actum concurrent, eo ordine sedebunt, qui in libro vniuersitatis descriptus *est* [y]. Infra hos omnes tres sedes cultiores apponentur, quarum una doctorando, altera bacchalaureo uel scholastico theologiae assertiones defensuro, altera doctorandi patrino subseruiet. Deinde gradum doctoratus accepturus ipsum, aperto capite et stans, breui oratione postulabit, cui Cancellarius simili alia respondebit, in qua examinis atque eruditionis ipsius doctorandi testimonium dabit; postmodum scriba vniuersitatis solitum iusiurandum,

---

x floccini, *alt. ex.*

y *Sic in ms.; sed in margine eadem manu correctum est hoc modo:* erit.

seruata bulla Pii IIII, ab ipso doctorando deposcet; qui quidem, genua continuo flectens iuxta Cancellarium, ab ipso gradum auctoritate Apostolica, sub consueta uerborum forma, et doctoralia insignia hoc ordine accipiet, uidelicet: pileum cum flocco serico candidi coloris, quem ipse Cancellarius eius capiti imponet; deinde manibus librum aliquem sacrae scripturae apertum tradet; postea digito aureum annulum adaptabit, et extremum amplexum exhibebit.

His peractis, bidellus inde eum ad Rectorem, et postmodum ad doctores et artium magistros deducet, a quibus similiter amplexum accipiet; continuo reuersus, inter Rectorem et Cancellarium, aperto capite, sedebit, quaestionemque theologicam in utramque partem disputabit, ad quam bacchalaureus aliquis aut scholasticus theologus, e regione eius sedens, per tres assertiones respondebit, easque breuiter comprobabit. Ipsi uero defendenti, si bacchalaureus sit, hic actus pro secundo aut quarto principio reputabitur. Porro contra quaestionis explicationem, a bacchalaureo uel scholastico theologo factam, doctor alius duobus mediis argumentabitur; sed patrinus unico tantum uti poterit argumento. Deinde unus statim ex doctoribus antiquioribus eiusdem facultatis eleganti oratione nouum doctorem laudabit; qua finita, bidellus propinas distribuet. Postremo nouus doctor breui alia oratione gratias Deo et praesentibus aget [z].

De insigniis [a]

Quoniam in omnibus vniuersitatibus inualuit consuetudo utendi aliquibus insigniis, in omni disciplinarum facultate distinctis, visum est non esse rationi dissonum ea quoque in nostris vniuersitatibus admittenda fore, quae iuxta scientiarum uarietatem in qualibet academia in usu esse solent, dummodo in huiusmodi rebus modus adsit. Hunc autem, quantum ad nostros atinet, praescribere oportet, qui quidem tantum floccis illis sericis, qu

---

[z] *In margine prope sequentem paragraphum:* Quod sequitur definiuit P. N. Generalis cum assistentibus, unde nihil quantum ad substantiam erit mutandum.

[a] Sequitur post hoc de insigniis, *alt. ex.*

super pileos apponi solent, utentur, seruato colore conuenienti, quem unicuique facultati de more adscribi obseruatum est; ut, videlicet, in artibus et philosophia floccus sit caerulei coloris, in theologia uero candidi, in utraque autem facultate promotis mixtus ex utroque colore conferatur. Jam uero quantum ad externos attinet, si alia insignia, ut epitogium sericum, quod capucium alii uocant, uel alia huiusmodi permittenda sint, id regioni et prouinciarum receptae consuetudini relinquatur. Si tamen [b] aliquid denuo statuendum erit, Prouincialis et Rector [c] vniuersitatis, re mature pensata, quid in utramque partem senserint [d], ad Generalem referant, ut ipse tandem decernat quid expediat obseruare.

DE OFFICIALIBUS

Non desint officiales ad ea munia praestanda, quae in academia in usu esse solent, ut secretarius, bidellus, et si qui alii necessarii uidebuntur. Qui uero sint eligendi, relinquendum erit iudicio eorum, qui vniuersitatis praecipuam curam habent, ut iuxta uarietatem necessitatemque regionum ac locorum prudenter prouideant. Nullum tamen officium antiquis denuo supradiiciant, nisi sit euidens necessitas et vtilitas. Huius rei iudicium ad Generalem pertinebit.

DE POENIS

Cum institutum nostrum ualde sit alienum ab omni specie auaritiae, subinde etiam consentaneum apparet ut omne genus poenae pecuniariae, in quantum fieri posset, fugiamus, ne aliquo pacto externis detur occasio credendi emolumenta, quae ex poenis pecuniariis proueniant, in usum et utilitatem nostrorum cedere. Quapropter uisum est hac in parte seruandam esse simplicitatem puritatemque nostri instituti, in quantum fieri possit, ita

---

b *Omittuntur praecedentia duo verba in alt. ex.*

c *Prius recte scriptum fuerat; dein emendatum* prouinciali et rectori; *quae emendatio sublata rursus videtur.*

d *Prius emendatum fuit in alt. ex. hoc modo:* censuerint; *postea vero hoc alio:* censerint.

ut, quantumuis poenae alicubi imponendae esse uiderentur, nullo tamen pacto quicquam earum ad nostros pertinere debeat, sed certo sciant omnes in archa vniuersitatis totum reponendum esse ad stipendia externorum officialium et expensas alias persoluendas. At quia omnibus nationibus et prouinciis unica et eadem lex conuenire non potest, consultius erit, ut in quauis prouincia, ubi fuerit vniuersitas sub nostrorum potestate, Prouincialis ipse cum consultoribus et prudentioribus magisque expertis rem maturius perpendat, et ad Generalem quid ipsi senserint referat, ut, quid in singulis locis statui debeat, ipse praescribat.

P. Brunelli manu. Asseruanda uidentur.

48

QUAEDAM CIRCA OPINANDI LIBERTATEM

THEOLOGIS PRAESCRIBENDA [1]

†

Jesus. Maria.

QUAEDAM AD THEOLOGORUM OPINIONES, UEL EORUM OPINANDI LICENTIAM.

Quaedam fortasse essent quoque theologis praescribenda circa opinandi libertatem, nempe:

1. Quod opinio communis doctorum sit semper aut fere semper sequenda, aut D. Thomae opinio.

2. Item, ea semper sequatur in dubiis et ambiguis opinionibus, quae magis videntur conducere ad fidem.

3. Item, ea, quae magis fauent et sunt consentanea vsui Ecclesiae catholicae romanae, et quae magis fauent Pontificis potestati et obedientiae ei debitae.

4. Item, proprias opiniones nunquam traddat discipulis, inconsulto Superiore.

5. Item, contra doctorum scholasticorum consensum nunquam opinetur.

[1] Ex *cod. Rom. stud., I*, fol. 156 r, autogr. P. Ledesmae. Primus hujus scriptionis titulus a nobis appositus est.

5 [bis.] Item, quas opiniones docuit et sequitur alter magister, is, qui postea docebit, non reprehendet eas grauiter; sed modeste et humiliter poterit sequi opinionem alteram, si eam putat ueram, alterius uero relinquendo vt probabilem, vel taceat omnino, vt in philosophicis dictum est.

6. Item, fortasse expediret tabulam quaestionum, nostra aetate cum lutheranis controuersarum, colligere, et in singulis adscribere quid sit asserendum, vt sciat quae et quot qualesque hae sint, et quid affirmandum cum de iis uelit disserere.

7. Fortasse etiam expediret, circa aliquot praecipuas materias theologiae, aliquot earum quaestiones periculosiores annotare, et indicare quid tenendum, vt circa aliquot casus conscientiae, vt idem dicamus omnes; circa sacramenta, circa liberum arbitrium, gratiam, et peccatum originale, et justificationem, et praedestinationem; circa Trinitatis mysterium fortasse quoque et Incarnationis [2].

Laus Deo et Domino nostro Jesv Xpo.
et Virgini sacratissimae Mariae, matri ejus gloriosissimae.
Amen.

49

DE PROPOSITIONIBUS IN SOC. JESU PROHIBITIS [1]

JHS. † MARIA

R.de admodum in Xpo. Pater.

Dominus Iesvs dignetur semper ueram, piam et sanam in sua Societate doctrinam conseruare, sicut futurum speramus. Amen.

Tria nunc de his opinionibus in Societate prohibitis, non sine magno periculo, ut ego arbitror, in dubium reuocantur. Primum, an aliquae sint opiniones in particulari magistris in Societate praescribendae, quas sequantur uel fugiant; aut uero satis sit

---

[2] In margine, aliquanto inferius, haec annotatio, ipsius P. Ledesmae manu exarata, legitur: «etiam consulto Superiore». Nescimus ubinam sit apponenda, cum nullum signum ejus collocationis locum indicet.

[1] Ex autographo P. Ledesmae in codice *De rat. stud.*, *1583-1613*, ff. 33 et 34. Titulus in *ms.* desideratur.

generalis prohibitio malae doctrinae. Alterum est, esto aliquae sint in particulari praescribendae, an hae, quae sunt positae, sint retinendae, necne. Et tertium, an eo modo, quo sunt positae. De his ergo tribus rebus, eodem ordine, dicam quod mihi uidetur.

1.° Quod non solum in genere prohibendum sit, ne quis doceat contra fidem, aut minus consentanea fidei, etc., sed etiam in particulari prohibendae sint aliquae opiniones, et praescribenda ea, quae uideantur ad sanam doctrinam conseruandam conducibilia et necessaria.

1. [a] Cum ex his opinionibus uel erroneis, uel quae non sunt ita fidei consentaneae, tot tumultos, scandala, diuisiones, contentiones et pericula his annis superioribus per decennium, plus minus, in hoc nostro collegio contigerint; ita ut uix, aut ne uix quidem, sedari potuerint, et utinam modo non iterum pullulent et fiat error peior priori; cum, inquam, haec tot et tam grauia mala ex illis minus sanis opinionibus acciderint, necesse profecto est ut, non solum in genere, sed etiam particulatim aliqua prohibeantur, et ea praescribantur, quae ad ueram, sanam ac securam doctrinam Societatis conseruandam satis esse possint. Atque haec sola ratio sufficere uidetur; siquidem experientia, ut dicitur, mille testes.

2. Moueor etiam ad id, quia esset nimis frigidum ac inefficax remedium in genere solum haec prohibere (v. g.: Nullus doceat contra fidem, uel quae minus fidei faueant, uel contra communem, etc.); nam facile hoc posset eludi, atque in singulis rebus dicere, id, quod asserunt, esse magis fidei consentaneum, et id magis fauere fidei, uel magis esse commune. Vnde cotidie in singulis rebus essent cum praefecto uel cum Rectore contentiones ipsorum magistrorum uel aliorum, et dissensiones, etc., et hoc idem experientia uidemus.

3. Item, si illa prohibitio generalis fit, ideo fit, ut obseruetur in particulari in singulis; alias frustra et inanis esset. Igitur expedit habere ea in particulari praescripta, ut constent et sciantur quae sint, quae in illa generali continentur.

---

[a] 1. P.°, *ms.*

4. Item, vnitas doctrinae aliter in Societate retineri aut uix aut nullo modo poterit, nisi aliqua, saltem praecipua, in particulari proponantur, ex quibus caetera pendeant; et certe hoc ad eam retinendam multum iuuabit.

5. Item, securitas doctrinae aliter uix, aut ne uix quidem, haberi in Societate poterit, et praesertim in philosophicis, in quibus tanta hodie licentia et tam perniciosa in quibusdam prouinciis et accademiis cernitur, quantam uidemus. Genus autem doctrinae bonum, solidum et firmum, securum et stabile et pium, plurimi nostram Societatem interest. Confirmatius fit, quia haec causa potissima uidetur cur tentetur iterum modo, ut nullae propositiones seu opiniones in particulari proponantur: propter genus, inquam, doctrinae; quia aliqui nollent D. Thomae doctrinam communiter sequi, imo nec theologorum scholasticorum; sed uel pro libitu, uel Auerrois, uel aliorum graecorum, seu arabum, re ipsa impiorum, aliorumque haud dissimilium neotericorum philosophorum.

6. In pluribus ac diuersis nostris collegiis, ubi eorum rectores, uel etiam prouinciales aut praefecti studiorum non ita docti sunt, ut queant per se ipsi haec omnia diiudicare, non possent illis malis occurrere. Hoc autem modo plurimum iuuabuntur, et habebunt certa, quae sequantur, ut non facile ipsi a se aut ab aliis possint decipi.

7. Praeterea magistri ipsi habebunt lucem, quam sequantur, et uiam, ac scopulos cognitos, quos caueant. Et peregrina ac curiosa ingenia, si quae fuerint (quae nunquam desunt, ut est haec nostra natura corrupta), in officio continebuntur et intra cancellos, ne ultra modum efferantur.

8. Item, libertas doctrinae, et praesertim in eis, quae ad fidem aliquo modo concernunt, aut iuuant, aut nocent, esset maxima pernicies, non solum in Societate, sed etiam in Dei ecclesia. Quae sane petitio libertatis doctrinae et eius permissio in suo gradu (si qui id petunt) similis est petitioni ac permissioni libertatis religionis et fidei, quam hodie tanto conatu petunt nostrae aetatis haeretici; licet, ut diximus, inferiori gradu; et ut illa est perniciosissima, neque concedenda, ita neque haec.

Confirmatius id fit; nam alias facile inducerentur sectae in nostra Societate tam nouae, quam ueteres philosophorum et aliorum: et hi hos, illi alios sequerentur; et quidquid peregrinae doctrinae est, in Societatem inueheretur. Quod est manifeste contra id, quod nostrae dicunt regulae et constitutiones, ut diuersitas doctrinae non admittatur nec in uerbis nec in scriptis.

9. Denique concilium Lateranense sub Leone 10, sessione 8, praecipit aliqua in particulari, et in aliis iubet ut conentur magistri rationibus ea def[endere] pro uiribus et soluendo rationes contrarias, etc. Expedit ergo, et concilio est consentaneum, ut in particulari magistris proponantur ea, in quibus hoc potissimum praestare debeant.

10. Decretum rursus tertiae congregationis positum, ubi, canone 47, ex tribus congregationibus ait (quod praeceptores nostri, qui Aristotelem interpretantur, non nisi cum magno delectu interpretes eos legant, qui contra xiana. dogmata impie scripserunt, et maxime ad ea impugnanda, quae xianae. veritati aduersantur; et ita philosophiam interpretentur, ut uerae theologiae scholasticae ancillari et subseruire faciant). Ergo expedit, et maxime est consentaneum a[ssi]gnare [b] haec, in quibus impii interpretes potissimum errauerunt et Aristotelis sensum ad impietatem detorquent, et in quibus debeat ancillari scholasticae theologiae [c].

Postremo haec pestis iam non solum collegium nostrum, sed, ut audio, aliquas etiam alias prouincias et collegia nostrae Societatis inuasit aut certe coepit inuadere; et utinam ita non sit, nec radices iam alicubi altiores egerit, aut etiam hic sint omnino eradicatae. Igitur tantum abest ut hoc remedium auferendum esse uideatur, ut districtius idem sit praecipiendum et efficatius executioni mandandum. Atque haec quantum ad primum. De secundo iam dicamus:

2.° Quod hae opiniones, quae sunt prohibitae aut praeceptae a Rdo. P. Generali Borja, et in patrum congregatione magistris denunciatae, ac per alias Societatis pro-

[b] *Consumpta charta, paucae litterae desiderantur.*

[c] *Valde obliterata sunt in ms. postrema duo verba.*

UINCIAS MISSAE, SINT RETINENDAE ET, UT FIT, MAGISTRIS PRO PONENDAE.

1. Primo, omnes fere praedictae rationes, si quis paulo diligentius aduertat, idem confirmant. Nam hae sunt opiniones illae, ob quas tot fuerunt in nostro collegio, per decennium plus minus, tumultus illi excitati, quos supra diximus, dissensiones, scandala, diuisiones, etc.; ac tantus et talis ex illis ignis excitatus est, ut uix potuerit a Patribus restingui. Nec solum in hoc collegio, sed etiam extra collegium, ac ferme extra Societatem prodierint, cum magno Societatis periculo. Quamobrem, nisi iterum accendi uelimus, necesse est omnino ea, quae constituta sunt, retinere. Siquidem, post haec ita decreta, pax est in collegio nostro, Xpo. laus, subsecuta, et nos iactari desiimus.

2. Haec ipsa, quae constituta sunt, si quis consideret, unitatem doctrinae plurimum conseruare possunt et securitatem, et genus doctrinae optimum inducere ac promouere; et libertatem doctrinae perniciosam comprimere; et ingenia nimium lasciuientia aut, ut plane dicam, temeraria cohibere, et intra sanae doctrinae terminos continere; et rectores ac praefectos studiorum ad hoc ipsum multum iuuare; et magistris lucem adferre, atque scopum, quo debent collimare, pietatis ac uerae philosophiae constituere.

3. Haec ipsa, quae constituta sunt, si quis ea singilatim consideret, reperiet omnia esse uel fidei, uel fidei magis consentanea, uel certe quae magis fauent fidei, uno aut altero dempto; quod tamen est axioma philosophorum receptum, aduersus quae axiomata etiam libere docere non liceat. Contraria uero sunt uel plane erronea fideique aduersa, uel minus consentanea, uel quae minus fauent pietati, et promouere possint impietatem, aut certe aliquem ad illam gradum facere.

4. Haec ipsa eadem, quod ad mores attinet, plurimum iuuant; sunt enim plena religionis, et, ut experientia ostendit, deuotionem, ac simplicitatem et sinceritatem mentis conseruant, et tranquillam mentem Deo reddunt, humilem ac ei subiectam, et spem in Deo atque fiduciam et amorem et gratiarum actionem excitant. Contraria uero doctrina et contrariae opiniones (ut expe-

rientia quoque, heu! satis, superque satis, comperimus, quod non sine animi dolore dicimus) deuotionem exsiccant, et causas tentationibus contra fidem et religionem non paucas praebent, et mentem dubiam et ancipitem ac fluctuantem saepe reddunt, etc.

5. Haec ipsa sunt theologiae scholasticae conformia et doctrinae D. Thomae, quam tantopere laudant Constitutiones, et doceri ac communiter sequi uolunt. Sed nec solum Constitutiones scholasticam et D. Thomae doctrinam probant, sed ipsamet Ecclesia, quae scholasticorum doctorum et D. Thomae doctrina pene gubernatur, et in decretis et aliis rebus saepe sequitur.

6. Haec, quae constituta sunt, bona ex parte sunt ea, quae in concilio Lateranensi sub Leone 10, sessione 8, expresse ponuntur, ut de animae immortalitate, et quod non sit unica in omnibus hominibus, et quod sit forma corporis per se et essentialiter, et pro diuersitate corporum, quibus infunditur, multiplicata et multiplicanda. Ac caeterae continentur sub illis eiusdem concilii generalibus uerbis: (Omnibus et singulis publice legentibus mandamus, ut, cum philosophorum principia et conclusiones, in quibus a recta fide declinare noscuntur, auditoribus suis legerint seu explanauerint, vt illud de mortalitate animae, aut unitate, aut mundi aeternitate, et alia huiusmodi, teneantur ueritatem religionis xianae. manifestam facere, et, persuadendo pro posse, docere; ac omni studio huiusmodi philosophorum argumenta, cum omnia solubilia existant, pro uiribus excludere atque resoluere.) Haec ibi. Expedit ergo ut retineantur et obseruentur, siquidem hoc est concilio consentaneum, ut et sciant quae illa sint, et quomodo in eis se gerere debeant; atque eo amplius, quo concilium mandat hoc illius statutum et mandatum singulis annis, in principio studiorum, in eis locis, ubi generalia studia uigent, et in vniuersitatibus publicari in uirtute sanctae obedientiae.

7. Haec sunt praeterea, si quis recte consideret, praecipua quaedam capita, ex quibus, tanquam ex principiis quibusdam, omnia ferme alia, quae ad pietatem spectant, in philosophia pendent et consequuntur, ut magno — — — [d] ad id sint consilio

[d] *Consumpta charta, quatuor vel quinque litterae desiderantur.*

delecta et annotata. Vnde etiam haec maxime unitatem, quam diximus, doctrinae et securitatem conseruare possunt.

8. Haec fuerunt pluribus iam disputationibus per multos annos in hoc nostro collegio agitata et excusa, et iudicio tandem ac consensu Patrum et aliorum doctorum selecta et approbata, ut uera ac secura ac tenenda, et ita a R. P. Generali, tunc temporis existente, Francisco Borja, praecepta ut obseruarentur; et in congregatione Patrum ac praesentia eiusdem Patris Generalis, omnibus simul magistris eo uocatis proposita ac promulgata, et per alias praeterea prouincias missa, ut sic obseruarentur; quod etiam hactenus in nostro est collegio obseruatum usque ad praesens tempus, quo haec iterum conuelli ualde periculose tentatur.

Confirmatius id fit, quia, ut recte imperator Marcianus ait in concilio Chalcedonensi, actione 3, injuriam facit sanctae Synodo, qui, quae ibi semel definita sunt, iterum in dubium reuocare aut de eis disputare contendit. Quod si conciliorum priuatorum uel prouincialium aliquid erratum sit, id per uniuersale concilium maius emendandum est, non ab aliquo inferiori uel inferioribus. Oporteret ergo ut, si quis aliquid habet aduersus aliquam earum propositionum, id in scriptis, aut uerbo, Rdo. Patri nostro Generali proponat, ac tunc quidem Rdus. Pater Generalis eis, quibus uisum fuerit, excutienda ea tradet. Et sane, cum per omnes missa sint prouincias, et res, quae ad fidem pertinet, omnes tangat, antequam statueretur contrarium aliquod, deceret, si quid esset mutandum, ad alias etiam prouincias scribere, ut quid sentirent de his responderent; et ita, re diu multumque cogitata, Rdus. P. Generalis cum suis Assistentibus statueret, uel certe a congregatione aliqua generali de his rebus plene statueretur, si definitio Rdi. Patris Generalis satis non esse uideretur, ut omnis tandem eradicaretur [e] zizania.

9. Item, cum omnis per se legis mutatio sit odiosa, mutanda lex non est, nisi ubi uidetur manifesta, et quidem non parua, sed magna utilitas in contrarium, ut ait Aristoteles. Quod sane hic tantum abest ut uideatur, ut nil sit minus.

---

[e] erradicaretur, *ms.*

10. Si non retinerentur hae propositiones definitae, aut non proponerentur magistris ulterius, uideremur iam uel contrarias opiniones approbare, uel eas certe uelle permittere; et ita sibi putarent licere, quicumque minus piam uellent sequi doctrinam uel opinionem. Item, uideremur antiquos illos Patres, qui sic statuerunt, uel erroris uel ignorantiae condemnare [f] uel imprudentiae, qui sic iusserint.

11. Imo uero, qui minus piam sequuntur, si qui sunt, aut sequi uellent doctrinam, eo ipso dicerent ac iactarent iam Rdum. Patrem Generalem et Patres secum sentire; aut certe in eorum sententiam iam inclinare, et ideo ex propositionibus aliquas mutasse, uel, ne seruandae proponerentur, iussisse, et similes rumores, ut suam malam causam tuerentur, spargerent; quod esset sane graue incommodum, et Patrum existimatio ex istorum dictis (quod Deus auertat) periclitari ex parte posset.

12. Item, inde ipsi licentiam sibi iam datam putarent; inde et cristas erigerent ut contraria audacter et constanter docerent; et insurgerent, qui nunc fortasse latent, et se palam ostenderent. Qui sane etiam nunc non occulte se insimulant; imo noua iam quadam, nescio qua, concepta spe, dictis et factis aperte erumpunt. Cui rei nisi obuiam quamprimum eatur, timendum erit. Sed iam de tertio dicamus, de modo uidelicet, quo sunt positae.

3.° An eo modo, quo sunt positae, scilicet affirmatiue, an uero negatiue eaedem sint proponendae opiniones.

Respondemus non esse satis ut negatiue tantum hae propositiones proponantur, et muttentur ex affirmatiuis, ut nunc sunt, in negatiuas. 1.° Nam ita nunquam satis cautum esset, et facile possent eludi, ut v. g.; si proponatur sic: Nullus doceat esse tres animas in homine secundum philosophiam aut Aristotelem; diceret aliquis: ego non doceo tres esse animas, sed tantum duas, scilicet, intellectiuam et sensitiuam, in homine, uel sensitiuam et uegetatiuam in bruto; uel diceret: ego non doceo esse plures animas rationales in homine; quo etiam modo solent eludere hi ipsi et interpretari canonem 8 synodi, actione 10, can. ii. Sic etiam, si

[f] condemnare qui sic statuerent, *ms.*

prohibeatur: Nullus doceat secundum philosophiam, uel Aristotelem, Deum non habere prouidentiam; dicet aliquis: ego non doceo prouidentiam naturalium solum rerum, uel necessariarum, etc. Quare compluribus prohibitionibus hoc modo negatiue nunquam satis esset. Oportet ergo, ut factum fuit ob hanc ipsam causam, tunc etiam praeuisam cum illa fuerunt constituta, ut opinio magis pia affirmatiue docenda proponatur; ne possit effugere quis ad aliquid minus pium aut impium ex ignorantia aut scientia, uoluntate, errore, dolo uel malitia.

Quare ne in re hac tanti momenti, nec minus manifesta quam pia, plura dicam, puto ex dictis non solum ea, quae sunt statuta, retinenda, et magistris esse proponenda, sed etiam magis esse eademmet confirmanda, et potius (si quae mutatio fieri debeat aliquorum, quae fidem non concernunt) in caeteris augenda, quam ullo pacto minuenda, ad maius uidelicet in futurum efficatiusque remedium.

Iudicium alterius N.

In omnibus idem uidetur, quemadmodum superius scriptum est.

Laus Deo et Dno. nostro IESVXPO.

et Uirgini sacratissimae MARIAE ejus Matri. Amen.

Inscriptio, alia manu. † Rdo. P. Nostro Generali.

Et alia. Jesus. P. Ledesmae. An et quae opiniones sint prohibendae professoribus Societatis, et quomodo. / A.

50

P. LEDESMAE TRACTATIO BREVIS

DE PROPOSITIONIBUS PHILOSOPHICIS ET THEOLOGICIS PROHIBITIS A R. P. N. FRANCISCO BORGIA, UT PIETAS CONIUNCTA CUM DOCTRINA RETINERENTUR [1]

Ihs † M.ª

R.de admodum in Christo Pater.

CIRCA PRIMAS QUINQUE PROPOSITIONES GENERALES

In primis quinque propositionibus generalibus nullam puto fu-

[1] Ex autographo P. Ledesmae, in cod. *Instruct., 1577-1596*, ff. 156.-159. Ignota manu addita sunt priora tituli verba.

turam controversiam aut dubitationem, nisi fortasse in una particula primae propositionis, quae ait (ut nulla opinio defendatur, quae minus fidei faveat). Sed haec particula tam est pia, tam iusta et tam sancta, ut id sit iure naturae divino et humano debitum; et e contra, si detur licentia aut permittatur ut ea doceantur, quae minus fidei favent, quid inde boni futurum speramus, et non potius plurimum mali, enervando sanctam fidem ex parte, et obstacula quaedam ei ponendo talium opinionum, male cum fide aut minus consentientium? et lumen naturae ostendendo, si non omnino fidei contrarium, at ex parte ei adversum et male consonum? Ac pluribus id quidem ostenderem, nisi res esset per se tam pia et tam manifesta, et contraria tan nociva et impia. Atque omnes rationes, quas pro opinionibus vetitis in Societate alias attulimus, idem probant; atque ideo de his in genere plura non dicimus.

Circa particulares opiniones in Societate prohibitas seu praeceptas

1.ª Deus est infinitae virtutis intensivae et agens liberum, secundum veram philosophiam et rationem naturalem.

2.ª Deus habet providentiam omnium inferiorum, etiam singularium, et humanarum rerum, et cognoscit omnia praesentia, praeterita et futura, secundum veram philosophiam et rationem naturalem.

In hac 1.ª et 2.ª nulla erit (ut puto) difficultas, quia sunt fidei.

3.ª Angeli ponuntur vere in praedicamento, et non sunt purus actus, secundum veram philosophiam et rationem naturalem.

Tertia est etiam fidei aut fere fidei. Nam vox illa (in praedicamento), quae alicui probabilis tantum videri potest, intelligitur in eo sensu, scilicet habens genus et differentiam; in quo ab aliis, qui volunt angelos esse omnino puros, et omnino carentes potentia, negatur, quod asserere [scil. esse omnino puros] est erroneum. Posset autem explicari addendo propositioni (ponuntur in praedicamento, id est, sub genere et specie). Deus etenim est actus omnino purus et simplex, et omni carens potentia et compositione,

4.ª Angeli sunt in loco et moventur localiter, ita ut non sit asserendum in nullo loco esse aut non moveri, ita ut substantia sit praesens modo aliquo uni, et postea alteri loco.

Quarta haec est etiam, ut putamus, fidei, aut fere fidei, atque de eius veritate nullam puto futuram difficultatem.

5.ª Anima intellectiva non est assistens, sed vere forma informans, secundum Aristotelem et veram philosophiam et rationem naturalem.

6.ª Anima intellectiva non est una numero in omnibus hominibus, sed in singulis hominibus distincta et propria, secundum Aristotelem et veram philosophiam et rationem naturalem.

7.ª Anima intellectiva est immortalis, secundum Aristotelem et veram philosophiam et rationem naturalem.

8.ª Non sunt plures animae in homine, intellectiva, sensitiva, vegetativa; nec in bruto sensitiva et vegetativa, secundum Aristotelem, veram philosophiam et rationem naturalem.

5.ª, 6.ª, 7.ª et 8.ª, ablata particula (secundum Aristotelem), sunt etiam manifeste fidei, et non solum ex sacris Litteris convincuntur, sed sunt a conciliis definitae, Viennensi, et Lateranensi 3, et octava Synodo, et sanctis Patribus. Sed quia de illa particula (secundum Aristotelem), an sit addenda necnon, erit forte alicuius dubitatio, eius praesertim, qui non est ita affectus ad securam et sanam doctrinam, ideo hic referam aliquot ex probatissimis authoribus et interpretibus Aristotelis, qui ita sentiunt secundum Aristotelem, ut, cum ex duabus opinionibus altera magis favet fidei et pietati quam altera, illa potius sit sequenda quam contraria. Hae praesertim, quae tanti sunt momenti, et quae habent pro se probatissimos authores et viros doctissimos, qui ita secundum Aristotelem sentiunt, ut per singulos breviter ostendemus.

5.ª Anima intellectiva non est assistens, etc.

Est fidei, et ita decissum est in concilio Viennensi [sub Clemente V], et habetur in Clementina unica, de summa Trinitate et fide catholica, ca. *Firmiter,* et in concilio Lateranensi V sub Leone X, sess. 8.

Et secundum Aristotelem dicunt hi probatissimi authores:

D. Tho. in summa contra gentes, lib. 2, cap. 57 et 68 et 69 et 70; et in 1.ª 2.ae, q. 75 et 76, et in lib. Arist. de anima.

Albertus Magnus in summa de homine, tractatu 2, cap. 12.

Aegidius
Ammonius
Alexander
} in libro de anima, Arist.

Avicenna in libro de anima, qui 6 naturalium vocatur, parte 5.

Algazel.

Et fere omnes latini interpretes Aristotelis.

Nec quicquam obstat si, praeter aliquos impios interpretes, quales sunt Averroës [2], Simplicius [3] et olim Plato [4], qui non sunt sequendi, Gregorius Nissenus opinatur esse assistentem, lib. 2 de anima, cap. 5 [5]. Quia ipse, non secundum Aristotelem, sed secundum veritatem ita putabat, esse scilicet assistentem, quod quidem post concilia iam asserere non licet; ipse autem potius reprehendit Aristotelem, tamquan qui fecerit formam informantem. Quare ipse sentit secundum Aristotelem esse informantem, ut asserit propositio, quamquam, errans, ab Aristotelis discesserit sententia.

6.ª Anima intellectiva non est una numero in omnibus hominibus etc.

Est fidei, definita in concilio Lateranense V, sess. 8.

Et secundum Aristotelem etiam opinantur et asserunt hi:

D. Tho. 2 contra gentes, cap. 59 et 61 et 73 [6]; et 1.ª p., q. 76, art. 1 et 2; et in Arist., lib. de anima.

Albertus Magnus in libello de unitate intellectus.

---

[2] 3 *de Anima,* textu 5.

[3] Lib. I *de Anima*, text. 17.

[4] In Alcibiade.

[5] Hunc locum invenire non potuimus. Audiatur hac de re Suarez, *de Anima,* lib. I., cap. XII, n. 1: «Aliqui etiam tribuunt hanc sententiam Gregorio Nisseno, in lib. 2, de Anim., cap. 2, 5. Sed hunc librum inter opera ejus non invenio.»

[6] Directe de hac re, tantum agit in cap. 73.

Aegidius
Symplicius
Philoponus
Alexander
} in lib. Arist. de anima.

Avicenna in 6 naturalium, parte 5.

Et fere omnes.

Contraria stultitia est Averrois, qui unicam posuit assistentem in omnibus, et forte etiam Themistius sic posuit intellectum agentem. Est non dissimilis altera quorundam neotericorum, ut Achilini, lib. de intelligentiis, et Mirandulani, lib. de eversione singularis certaminis, qui, peius adhuc, unicam posuerunt informantem in omnibus.

7.ª Anima intellectiva est immortalis etc.

Est fidei, Matthaei, [x, 28.] *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem occidere non possunt.* Et Sap., 3: *Iustorum animae in manu Dei sunt, visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace* [7]. Est denique definita in concilio Lateranensi V, sess. 8. Et aliter, neque esset infernus, neque gloria, neque purgatorium, neque praemium post vitam, neque poena etc.

Et secundum Aristotelem ita esse asserunt hi celeberrimi viri:

D. Thomas, lib. 2 contra gentes, cap. 62 [8] et 79 et sequentibus, et 1 p., q. 75, art. 6.

Albertus Magnus, tractatu de homine.

Aegidius
Symplicius
Philoponus
} in lib. de anima, Arist.

Amonius Alexandrinus.

Avicenna in sexto naturalium, parte 5.

Amonius Hermeus et Olympiodorus, quorum meminit Mirandulanus, lib. 4 examinis, cap. 9.

---

[7] «Iustorum autem animae in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. Visi sunt oculis insipientium mori: et aestimata est afflictio exitus illorum: Et quod a nobis est iter, exterminium: illi autem sunt in pace.» SAP., III, 1-3.

[8] Sic; forte mendum pro cap. 55.

Et complurimi alii, tum antiqui, tum recentiores. Imo vero et Themistius, et Theophrastus, et Averroës; nam, quamvis hic Averroës unam dicat intellectivam in omnibus, et fortasse alii de intellectu saltem agente idem dicant, tamen faciunt immortalem secundum Aristotelem.

Nec obstat, ut quosdam recentiores omittamus, si Alexander impius et aliqui etiam ex antiquis christianis putent, secundum Aristotelem, mortalem; qui, cum essent Platonici, Aristotelem reprehendebant, ut Theodoretus [9], et Gregorius Nissenus [10]; et aliqui alii etiam putent dubitasse Aristotelem, ut Scotus [11], et olim Plutarchus [12]; nam et illi, quos citavimus superius, omni sunt exceptione maiores. Et praeterea, cum ex duabus opinionibus ea sequenda sit, quae magis favet fidei, iuvet autem haec magis, haec erit haud dubie sequenda, in tanta praesertim re.

8.ª Non sunt plures animae in homine etc.

Est fere fidei, et contrarium est erroneum. D. Augustinus, [lib.] 10 super Genesim ad literam, cap. XIII [13], refert ex sententia Manicheorum duas animas, alteram intellectivam et alteram sensitivam in homine; et cap. 12 praecedenti refert idem ex sententia cuiusdam, nomine Didymi [14]. Oppositum autem docet D. Augustinus, de ecclesiasticis dogmatibus, cap. 15; et idem, lib. de spiritu et anima, cap. 9; et lib. de fide et symbolo, atque aliis locis. Item Damascenus, lib. 2 de fide ortodoxa, cap. 12.

Et est etiam hoc decissum in octava Synodo generali, actione 10, can. XI; ubi etiam ait novum et vetus testamentum et omnes Ecclesiae Patres id asseverare. Nec potest canon hic eludi nisi violenta expositione. Ac praeterea, si Christus Dominus habuit animam sensitivam praeter rationalem, quid de ea in morte actum est? An fuit mortua? An mansit cum corpore in sepulchro, separata vel unita ei? An descendit simul cum anima rationali

---

[9] *Graecarum affectionum curatio,* serm. V.

[10] Lib. 2 *de Philo.*, c. 4 et 6, vel potius Nemesius, lib. *de Natur. hominis*, cap. 2.—Id. lib. *de Anima.*

[11] In 4 dist. 43, q. 2.

[12] Lib. 5, *de Placit.*, cap. 1.

[13] Cap. 14, *ms.*

[14] Neque in cap. 12, neque in praecedentibus fit de Didymo mentio.

ad limbum? Non facile quis ad haec respondere poterit absque aliqua impietate; et id quidem sanctis Patribus et sacris Litteris est inauditum. Accedit ad hoc, quod sacrae Literae de anima nostra in singulari semper loquuntur, ut: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere* [15]; et: *potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam* [16], etc.

Et ratio idem ostendit; quia illa anima sensitiva, cum informet corpus, faceret cum materia unum per se, non rationale, sed irrationale; atque adeo homo esset compositus ex illo bruto et anima rationali; sicut si quis diceret ex capra et anima rationali componi hominem.

Et secundum Aristotelem asserunt hi doctissimi viri:

D. Thomas, 2 contra gentes, cap. 58, et 1 p., q. 76, art. 3 et 4; et in disputat. de anima, art. 11.

Albertus Magnus in summa de homine, tract. 2, cap. 1; et lib. de origine animae, cap. 4.

Aegidius
Simplicius } in lib. Arist. de anima.

Avicenna, 6 naturalium, p. 1, cap. 3.

Et alii insignes.

Nec obstat si, praeter impios aliquos interpretes, aliqui ex christianis opinantur plures esse animas in homine, ut Ochan, Jandunus et Paulus Venetus. Nam hi, quod peius est, non solum secundum Aristotelem sic opinantur, sed etiam secundum veritatem. In quo manifeste errant contra D. Augustinum, Damascenum et octavam Synodum etc., ut diximus; et illi alii potius sequendi sunt tanti nominis interpretes, quam isti. Cumque, ut diximus aliquoties, duae sunt opiniones, et altera favet fidei, altera non, illa potius sequenda, quae favet.

9.ª Anima in homine aut in brutis non est in pilis aut capillis.

---

[15] MATTH., X, 28.

[16] «et potestatem habeo ponendi eam, [scil. *animam*] et potestatem habeo iterum sumendi eam.» JOAN., X, 18.

10.[a] Potentiae sensitivae et vegetativae in homine aut in bruto non subiectantur in materia prima immediate.

Haec nona et decima, ut alibi dixi, si facienda sit aliqua in melius mutatio, addendo etiam alia, nunc possent omitti; non quod non sint verae et tenendae, sed quod non videantur, ut inter alias debeant collocari.

11.[a] Humores aliquo modo sunt partes hominis, seu animalis. Quandoquidem sanguis inter humores computatur, imo uero nomine sanguinis, in venis inclusi, omnes ipsi quatuor humores ibi complicati continentur, haec est omnino tenenda, et contraria, aut est plane error, aut temeraria. Est enim sanguis vere pars corporis, et spectat ad veritatem naturae; quod ex sequentibus probatur.

1. Concilium Tridentinum, sess. 13, cap. 3, aperte sanguinem numerat inter partes Christi et esse veritatis naturae, dicens esse in Sacramento corpus Christi sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturali, ait, illius connexionis et concomitantiae, qua partes Christi, qui iam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur. Ecce concilium, ubi expresse vides partes Christi numerare concilium corpus, sanguinem et animam, et eas simul esse ob naturalem connexionem.

2. Item, concilium Ephesinum in epistola ad Nestorium, in initio, et iterum circa finem, ostendens filium Dei verum esse hominem, ait (verbum homo factus est assumptione corporis et sanguinis), ex partibus videlicet veri corporis et veri sanguinis, inferens totum verum scilicet esse hominem, et ita assumpsisse veram humanitatem, et non diminutam ex parte aliqua, aut phantasticam.

3. Item, si non esset pars, non esset assumptio hypostatica. Consequens est haereticum, et damnatur, tum in hoc iam citato concilio Ephesino [17], ubi expresse sanguis dicitur assumptus a Verbo, tum etiam in quodam concilio particulari Barchinoniae a Clemente VI per Legatum, illuc ad hoc missum, ut refert Silve-

[17] Can. 5.

ster in Rosa aurea, tractatu 3, q. 30 et 31. Et idem definitur in Extravagante *Unigenitus*, quae est inserta in Extravagante *Dudum,* de poenitentiis et remissionibus, ubi sanguis dicitur unitus Verbo hypostatice, et ob eam causam, unam eius guttam suffecisse pro toto genere humano. Unde quidam, ex illo falso principio philosophico, postea in theologicis asseruit sanguinem non esse assumptum ex vi hypostaticae unionis et assumptionis naturae humanae, sed assumptus ex electione, quia voluit, et induxit duas assumptiones: alteram naturae totius et partium eius ex vi hypostaticae unionis, alteram ex electione sanguinis.

4. Item, si non est pars, ergo est suppositum per se, atque ideo non subsistens subsistentia totius, ut pars, sed subsistentia propria. Quare sequeretur hanc propositionem esse veram: Deus est sanguis, sicut, Deus est homo; siquidem utrumque est suppositum per se; esset enim eadem ratio, quod tamen est erroneum.

5. Item, si non esset pars, ergo non esset per concomitantiam naturalem corpus cum sanguine sub specie vini, nec sanguis sub specie panis, qui est error damnatus, ut vidimus, in concilio Tridentino.

6. Item, si non esset pars, non esset pretium redemptionis humani generis, sed solum corpus esset pretium. Consequens est haeresis.

7. Item, esse partem asserit expresse D. Thomas, 3 p., q. 54, art. 2; et Arist. lib. 3 de historia animalium, cap. 2 et cap. 19; et lib. 2 de partibus animalium, cap. 2. Et quamvis cap. 10, lib. 2, de partibus animalium, dicere videatur non sentire quia non sit pars, ibi per partem intellexit dissimilarem et organicam, ut manum etc., quae habet omnia organa ad sentiendum; et id constat, quia aliter nec ossa essent pars, quia non sentiunt. Et quamvis D. Thomas alicubi dicat sanguinem partem esse in potentia [18], non obstat; est enim pars vere de veritate naturae, vitam conservans, et fovens alias partes, et sedes vitae etc., ut ipse ait. Tamen est praeterea in potentia aliae par-

[18] *Summa*, 1 p., q. ult., art. 1 ad 3.um

tes, quia ex ipso aliae fiunt; ut etiam caro est in potentia cartilago aut os, etc., quia ex ipsa etiam fiunt.

Haec sub brevitate sint dicta. Unde tantum abest ut sit auferenda, ut videretur mihi addendam esse particulam (vere) ut diceretur (humores sunt vere pars, etc).

12.ª Tota quiditas substantiae compositae non est sola forma, sed materia et forma. Per quiditatem intelligo essentiam, ut communiter intelligitur. Est fidei. Nam alias homo solum esset anima, et tota eius essentia esset solum anima rationalis, et non compositum ex anima et corpore, cuius oppositum est decissum in concilio Viennensi, et habetur de summa Trinitate et fide catholica, can. *Firmiter*; et in concilio Lateranensi sub Leone X, sess. 8. Posset autem magis explicari sic, addendo (Tota quiditas, id est, essentia substantiae compositae, etc.).

13.ª Praedicabilia sunt tantum quinque.

Idem dicendum, quod de nona et decima diximus.

14.ª Essentia divina non habet unam subsistentiam communem tribus personis, sed tantum tres subsistentias personales.

Secunda pars est fidei, et prima est etiam omnino tenenda. Contrarium est temerarium, aut etiam erroneum, ut iam ostendemus.

Advertendum ergo est tribus modis dici posse: aut unam esse communem et tres personales, ut Caietanus dicere videtur; aut unam communem tantum et nullas personales, ut Durando imponi solet, et est quorumdam neotericorum; aut tres tantum esse personales et nullam communem, ut ait propositio, et est veritas. Probamus igitur primo, esse tres subsistentias personales; et deinde, non esse aliquam communem.

QUOD SINT TRES SUBSISTENTIAE PERSONALES.

Multa concilia confitentur et agnoscunt has subsistentias personales: nam, declarando unionem Verbi personalem quid sit, dicunt eam esse factam secundum subsistentiam Verbi, et in eius subsistentia propria, et unum factum unitate et unione subsistentiae, vocant etiam subsistentialem adunationem et subsistentialem unitionem, ac similia. Item, pro eodem indifferenter ac-

cipiunt nomen personae, hypostasis et subsistentiae, et unitatem personae, et unitatem hypostasis, et unitatem subsistentiae; et aliqua etiam tres expresse dicunt in divinis subsistentias. Haec ergo et similia habentur inter alia in locis sequentibus.

1. Concilium Constantinopolitanum primum, in epistola synodali ad Damasum papam, et refert eamdem fuisse fidem concilii Niceni.

2. Concilium Ephesinum, in epistola ad Nestorium, in fidei professione ad eum missa, et in pluribus ibidem locis; et fecit anathema [in eum] qui contrarium sentit.

3. Concilium Calcedonense, in actione 16 in fine, in responsione seu allocutione ad Martianum imperatorem.

4. Quinta etiam Synodus universalis [19], similiter.

5. Sexta Synodus generalis, quae est Constantinopolitana tertia, pluribus locis expresse tres confitetur subsistentias, ut Actione 4, in epistola Agathonis papae ibidem lecta et approbata, in subscriptione synodicae suggestionis, in fidei confessione; item Actione 8, ubi admittitur ipsa Agathonis epistola; item Actione XI, in Sophronei fidei professione. Quibus omnibus locis tres expresse ponit subsistentias, et in Verbi, ait, subsistentia factam fuisse unionem hypostaticam humanae naturae.

6. Item Theodoretus de Trinitate, et idem contra Sabellium [20] fusa disputatione ostendit tres esse tantum subsistentias personales in divinis, et non unam subsistentiam essentiae. Et habetur in 2.° tomo conciliorum, excusorum Coloniae anno M.D.XXXVIII, folio 64 et 65; ubi etiam ostendit eamdem omnino esse rationem personae et subsistentiae.

7. Item Damascenus, lib. 3 de fide orthodoxa, cap. 5, ait: In divinitate unam naturam et tres hypostases dicimus [21]; et cap. 3 ait idem esse hypostasim, seu subsistentiam, et personam.

8. Item D. Thomas, 1 p., q. 29, art. 2, ubi tres expresse confitetur subsistentias, sicut et tres personas et tres hypostases,

---

[19] Can. 1.

[20] Et etiam «adversus Arium», immediate post loca allata.

[21] «Quemadmodum autem unam in divinitate naturam confitemur, tres autem personas vere existentes dicimus...» Ex edit. Paris. anni M.DCIII.

et *usiosim* ait esse subsistentiam, velut formam hypostasis, et hypostasim, velut materiam. Idque asserit secundum suam sententiam et secundum sententiam Boëtii; et frequentissime personae rationem, qua persona est, asserit esse subsistentiam, ut ibidem et art. 4. Item eadem 1 p., q. 39, art. 1 et 3. Item q. 40, art. 1, 2 et 3. Item parte 3, q. 2, art. 1, 2, 3 et 4; et aliis locis.

9. Ut tandem uno verbo dicamus, complures sancti Patres, quos longum esset recitare, contra Arrianos disputantes, pro eodem accipiunt personam, hypostasim et subsistentiam. Quare, sicut tres sunt in divinis personae, ita oportet nos dicere tres esse hypostases, et tres subsistentias; et si graece sunt tres hypostases, et hoc est fidei, et hypostasis latine est subsistentia; ergo tres esse subsistentias erit quoque fidei. Quare qui negant has tres hypostases, seu subsistentias, graviter errant. Nec minus errant in eo, quod hi distingui volunt personas, non per subsistentias, sed per quasdam incommunicabilitates.

10. Et ratione etiam convincuntur. 1.° Quia ratio personae in creaturis est esse subsistentem in se, quod patet; nam ideo caret humana natura in Verbo sua subsistentia, id est, personalitate sua, et ideo subsistit subsistentia Verbi; ergo in divinis personis ratio formalis erit subsistentia. 2.° Item, quia non dicimus factam esse unionem in incommunicabilitate, sed in subsistentia. 3.° Item concilia deberent dicere: est una hypostasis sive subsistentia et tres incommunicabilitates; nil autem tale somniarunt, sed dixerunt: est una usia et tres hypostases seu subsistentiae, una essentia et tres personae. Est ergo fide tenendum tres esse hypostases, atque adeo latine tres subsistentias.

QUOD NON EST UNA SUBSISTENTIA COMMUNIS TRIBUS PERSONIS [22]

Adnotandum primo loco est aliud esse subsistentiam et aliud existentiam, quod facile quivis concedet, et concedat necesse est: 1.°. Quia est fidei quod in incarnatione Christi humanitas non habet subsistentiam humanam, et tamen est opinio an maneat existentia humana. Igitur aliud est existentia a subsistentia. 2.°

[22] *In margine:* Suppositio nota et ab omnibus pene concessa.

Quia existentia est attributum absolutum in divinis; ergo non multiplicatur, nec est personale. Solum enim multiplicantur respectiva, atque adeo nescio an umquam aliquis ita desipuerit, ut dixerit in Deo tres esse existentias. 3.° Quia ex illis ipsis, quorum hae sunt actus, colligitur eorum differentia. Existentia enim est actus essentiae, subsistentia est actus suppositi. 4.° Idem colligitur ex effectu formali utriusque. Nam existentia est per quam res existit, et est in rerum natura extra suas causas; subsistentia est per quam res, quae iam est in rerum natura, se ipsam sustinet et est in se. Denique existentia facit essentiam existentem; subsistentia facit suppositum et esse personam. 5.° Doctores, etiam scholastici, quamvis aliquando confundant vocabulum existere et subsistere, cum nil interest ad eorum tractationem, tamen aliquando ipsimet distingunt, ut cum loquuntur de Incarnatione; et aliqui distingunt minus proprie duplex subsistere sive existere, alterum essentiale, alterum personale, etc. Unde res ipsa constat, aliud nempe esse existentiam, per quam essentia existit in rerum natura, alterum subsistentiam, per quam res existens se ipsam sustinet et est in se ipsa; posset enim res esse in rerum natura, et non esse in se, sed in alio, ut accidens est in rerum natura, sed est in alio; et pars corporis, ut manus, est in rerum natura, sed est et sustinetur, non in se, sed in toto, et subsistit subsistentia totius. Hoc posito, omissa existentia, de qua nunc non est aliqua controversia, de subsistentia ipsa dicamus.

Dicimus itaque malam esse opinionem et ferme erroneam asserere unam esse communem divinae essentiae subsistentiam, eamque tribus personis communem. Et quidem, si quis ita communem poneret, ut tres illas negaret personales, iam hoc est satis supra reprobatum. Sed etiam si tres ponat personales, et praeterea communem, ut videtur Caietanus ponere, est mala et ferme erronea opinio, nec tenenda.

1. Si probatur quod ratio subsistentiae est ratio personae, et quod subsistentia est idem quod persona, evidenter concluditur quod non erit subsistentia illa communis in divinis, quia scilicet non est persona communis in divinis; esset enim manifestus error asserere personam esse communem. Quod autem subsi-

stentia idem sit quod persona, et subsistentia sit ipsa ratio personae, manifeste dicunt omnia testimonia et concilia supra allata, et D. Thomas, ac Theodoretus, et Damascenus etc., cum dicunt in divinis tres esse subsistentias, et cum omnia Concilia et Patres indifferenter utuntur vocabulis personae, hypostasis et subsistentiae, et cum decernunt incarnationem factam esse secundum subsistentiam et secundum unitatem in subsistentia Verbi.

2. Rursus, si concedatur idem esse hypostasim graece et subsistentiam latine, ut constat ex Patribus et Conciliis, quia ita saepissime verterunt, et ex peritis linguae graecae (est enim subsistentia, vel idem ommino quod hypostasis, vel eius formalis ratio), evidenti quoque ratione colligitur quod, sicut non est una hypostasis in divinis communis, nam hoc asserere esset haeresis, accipiendo vocabulum in propria significatione, ita neque una subsistentia communis.

Confirmatius fit. Nam, qui sic opinantur, si graece loquerentur, oporteret eos dicere unam esse hypostasim, sicut latine dicunt unam esse subsistentiam, et ita in manifestam haeresim inciderent graece.

3. Item, Theodoretus locis supra citatis de Trinitate et contra Sabellium fuse disputat de hac tantum re, ostendens non unam esse essentiae divinae subsistentiam, sed tres esse subsistentias, et subsistentiam esse propriam et per se formalem rationem personae; et, ut diximus, habetur in 2 tomo Conciliorum, excussorum Coloniae anno M.D.XXXVIII, folio 64 et 65.

4. Item, in sexta Synodo, Actione 4, in epistola illa Agathonis papae, ibi lecta et approbata, inter alia ait: Quidquid essentialiter dicitur de sancta Trinitate, singulari numero dici. Cum ergo subsistentia dicatur in plurali, ut constat (nisi quis neget personales subsistentias, qui esset error iam reprobatus), non potest esse subsistentia essentiale attributum. Quod si obiicias: In ipsa Actione 4.ª in confessione fidei dici (esse trium subsistentiarum unam subsistentiam), respondeo, esse erratum seu male versum. Nam in graeco exemplari bibliothecae Vaticanae habetur (οὐσίαν, id est, essentiam), non vero habetur hypostasis, id est, subsistentia. Et ideo in quibusdam exemplaribus lati-

nis habetur (trium subsistentiarum unam subsistentiam, alias unam substantiam) et in quibusdam etiam admonetur esse erratum, et positum subsistentiam pro substantiam. Est itaque erratum, et positum subsistentiam unam pro substantiam unam. Atque hoc est manifestum; nam esset error, si diceret graece (trium hypostaseon unam hypostasim). Et praeterea paucis verbis dixisset Concilium vel contradictoria, vel aequivoca. Nil ergo aliud dixit, quam trium hypostasum esse unam essentiam.

RATIONIBUS IDEM OSTENDITUR

1. Persona ideo est incommunicabilis, quia est subsistens, videlicet in se non in alio, et se ipsam sustinens, ac in se se sustentans, ut antea ostendimus. Et id constat, quia, ablata subsistentia, potest communicari, ut in Incarnatione et assumptione humanitatis. Nam ideo assumi potuit, quia caret subsistentia propria; aliter assumi non potuisset cum propria subsistentia. Ergo implicat esse subsistentiam, si quis recte consideret, et esse communem, sicut et personam communem vel suppositum commune, et est implicatio in adiecto, estque propriam vocem ignorare.

2. Item, si est subsistentia illa communis, quam ponis, ergo habet actum suum formalem, scilicet dare subsistere in se, et substentare se in se; ergo, si ita est, non potest esse in alio, scilicet in ipso supposito facto per aliam secundam subsistentiam. Confirmatius fit, quia sic bis subsisteret, semel in se, deinde in alio, scilicet in supposito.

3. Item, aut dat perfecte subsistere, aut imperfectum et semisubsistere, et completur tandem perfectio subsistendi per subsistentiam personalem. Si dat perfecte subsistere, ergo altera personalis erit ad hoc praestandum superflua; si imperfecte dat subsistere, ergo iam esset imperfectio in Deo, et imperfectio in ipsamet subsistentia. Et similiter quaero de personali subsistentia. Si facit perfecte subsistere, ergo superflua est illa communis; si imperfecte, esset imperfectio in Deo, et imperfectio in ipsa subsistentia personali.

4. Item, essentia divina, cum illa subsistentia subsistens, esset quaedam semipersona et semisuppositum. Et necessario id

sequitur; quia faceret illa subsistentia cum essentia ipsa divina unum per se, non per accidens, et unum substantiale, non accidentale. Jam igitur, si facit unum per se, et non accidentale nec essentiale; ergo personale aut semipersonale.

5. Item, in nobis et in creaturis omnibus subsistentia non est actus essentiae vel naturae, sed suppositi tantum; nec est in nobis subsistentia una essentialis et altera personalis. Confirmatius fit, quia frustra in nobis essent; ergo etiam frustra in Deo.

6. Tandem haec opinio ex parte convenit cum errore Sabellii, qui unam in Deo ponebat solam subsistentiam, et tres eius relationes seu respectus: unus ut dicitur Pater, alter ut Filius, tertius ut Spiritus sanctus. Aut certe videtur mixtio quaedam ex errore Sabellii et fide catholica, si dicat unam subsistentiam et tres subsistentias.

Dicet fortasse aliquis. Intelligo per subsistentiam illam communem existentiam essentialem. Sed huic respondemus, quod aliud est subsistentia et aliud existentia, ut superius ostendimus. 2.° et si intelligis existentiam, loquaris eo modo, quo intelligis. Voca ergo existentiam, ut ambiguitatem auferas, et errorem vites, et utaris proprie vocabulis, ut debes; nam per verba, ut dicitur, inordinate prolata incurritur haeresis. Quod si forte velles unam esse existentiam et tres alias existentias personales, hic esset alius error novus et hactenus inauditus, non minor, aut vero etiam maior quam alter, cum existentia non sit ratio personae, sed actus et attributum essentiae.

Obiectiones aliquot praecipuae et earum confutationes

Jam vero quae in contrarium offeruntur, ut ex D. Augustino, lib. 7 de Trinitate Dei, cap. 4: Quod subsistentia dicatur ad se et significet essentiam, quodque a Conciliis fuerit vocabulum accommodatum ad instantiam haereticorum ad significandum relativa et personas; ut posset responderi haereticis interrogantibus: Quid tres? ad haec, inquam, D. Thomas respondet, haec ipsa obiiciens contra se ex D. Augustino et dissolvens, 1 p., q. 29, ar. 4, ad 1.^{m}; et in corpore articuli, dicens subsistentiam et personam in divinis significare relationem per modum subsistentis, et nullam

obiectio habet vim. Nam D. Augustinus eodemmet loco, non solum de subsistentia id dicit, sed de nomine quoque hypostasis et de nomine personae, dici, inquam, haec omnia ad se, et significare essentiam; sed aptata esse haec nomina ad instantiam haereticorum, ut possimus respondere: Quid tres? Constat autem de persona et hypostasi haereticum esse asserere, si quis dicat unam personam communem in divinis, aut unam hypostasim, quod sane similiter oporteret colligere ex illo loco D. Augustini, sicut de subsistentia, cum idem prorsus dicat de persona et de hypostasi. Est ergo interpretandus D. Augustinus, ut D. Thomas illum loco citato interpretatur, quod significatur quidem relatio, sed per modum subsistentis, atque adeo res significata in divinis est relativa; sed modus, sub quo significatur, est absolutus, atque ideo nomen merito adaptatum fuit, ut ait, a Conciliis, quia scilicet non ita esset intellecta significatio propria illius nominis persona, hypostasis et subsistentia, quae tamen postea animadversa accommodata merito fuit, non false, sed vere et ex vi significationis nominis ad divinas personas, ut recte dicit D. Thomas. Et tandem satis nobis est, si ita iam haec omnia accommodarunt Ecclesia et Concilia ad instantiam haereticorum; ergo oportet nos cum Ecclesia et Conciliis loqui, et cum ipso quoque D. Augustino, qui illis utitur postea nominibus ad significandas personas, ac loqui ut illi loquuntur et loqui iam volunt, sicut et nomina Ecclesia imposuit sacramentis, et vocavit sacramenta et Baptismum et Confirmationem et Eucharistiam; et mysteriis fidei, ut Incarnationem, transubstantiationem, indulgentias, Trinitatem, etc.; sic etiam subsistentiam et hypostasim. Nec licet iam aut haec improprie dicere nomina, aut, quod peius esset, ea negare, quia in sua primaeva significatione aliud significarent, unde desumpta sunt, et novis divinis rebus accommodata.

2.[a] Idem quoque D. Thomas ad testimonium quoddam Boëtii, lib. de duabus naturis, quod isti pro se afferunt, respondet, I p., q. 29, ar. 2, ad 1.[m]

3.[a] Obiiciunt quoque rationem Caietani, qua utitur in D. Thomam, I p., q. 39, ar. 4, sic: Ad extra opera Trinitatis sunt indivisa, quare Deus agit ut unus et singularis Deus, et ut hic

Deus, et ideo dicitur, essentia creat; actiones autem sunt subsistentium et suppositorum; quare erit, hic Deus, hic, inquam, singularis Deus, atque adeo hic singulariter subsistens. Respondemus actiones esse indivisas, et eas esse subsistentium; sed essentiam divinam subsistere in tribus, et ita subsistens in tribus agit ad extra et creat, etc. 2.° Hoc eodem argumento convinceres: quia scilicet actio est subsistentis et suppositi, non solum quod sit hic Deus singularis subsistens, sed hic Deus singulare suppositum, quia actio est suppositi; consequens erit haereticum. 3.° Similiter, quia Pater et Filius spirant Spiritum sanctum indivise, ut unum principium, et actio est subsistentis; ideo diceres et poneres unam subsistentiam aliam communem soli Patri et Filio, ut sit unum agens subsistens, qui etiam esset error. 4.° Deceptio contingit in hoc, quod non distinxerunt inter singulare et suppositum seu subsistens. Unde haec Deitas, et hic Deus in concreto est nomen essentiae et nomen personae: nomen quidem essentiae singulare, concretum et individuum, individuam essentiam in suo individuo existentem significans; est autem nomen personae significans indefinite ipsa supposita, ut recte ait D. Thomas. Nec valet: si est singulare concretum hic Deus, ergo necessario dicit subsistentiam ut sic; solum enim dicit individuum essentiae, sicut in Christo Domino nostro humanitas est singulare quoddam et individuum naturae humanae, non tamen subsistens subsistentia naturae humanae, nec suppositum humanum; ergo non distinguentes inter se hic Deus, singulare essentiae, et hic Deus, singulare suppositi, hallucinati sunt. Caetera, quae obiiciuntur, minoris sunt momenti.

15.ª Peccatum et malum formaliter est privatio, et non positivum quid.

Quintadecima est omnino tenenda, quia haec est omnium scholasticorum, dempto Caietano et uno aut altero ex neotericis, qui illum sequuntur; et quia, quod malum sit positivum quid, fuit Patribus et Doctoribus Ecclesiae, olim disputantibus contra Manicheum, ignotum; cunctis asserentibus esse malum et peccatum privationem, atque ita Manicheo, qui constituebat unum mali principium, respondentibus. Ac quidem, si peccatum vel

malum pro formali esset aliquid, ut res positiva, sequeretur Deum esse causam et authorem peccati et mali, cum sit causa omnium rerum, quae sunt aliquid; aut oporteret incidere in manicheismum, ut daretur, praeter Deum bonum, boni authorem, alius malus seu iniustus Deus, qui esset primum principium mali et peccati. Siquidem omnis res, quae est aliquid, oportet reducatur in aliquam primam causam et primum principium, sicut obiiciebant Manichei; et ita non possent eis respondere. Imo cum ens et bonum convertantur, et bonum sit passio entis, si peccatum et malum pro formali est ens et aliquid, sequeretur necessario quod bonum pro formali esset malum, et malitia esset bonitas, quod et implicat et stultum est affirmare. Et qui contrarium opinantur, illo uno argumento Caietani decepti sunt in 1. 2, q. 18, ca. 5, quod in moralibus alia sit mali ratio privationis, alia contrarietatis, constituens diversas species mali. Ut, v. g., liberalitatis privatio, quae est sicut caecitas, et alia, avaritiae contrarius habitus, quod haec malitia contrarietatis videatur esse possitivum quid, et non pura privatio. Sed facile solvitur ex distinctione privationis. Nam privatio altera est ipsiusmet habitus seu actus, qui esse debebat, ut ignorantia scientiae, et in naturalibus caecitas est privatio visus; altera est privatio, non ipsius substantiae habitus vel actus, sed rectitudinis actus vel habitus, quae esse debebat in eo. Et haec est, quae reperitur in actu seu habitu contrario virtutis, quae facit esse vitium contrarium et contrarietatem malitiae, pro materiali habens actum bonum in genere entis et naturae, et pro formali illam privationem, ut alibi etiam ipse Caietanus aliquoties dixit in 1.ª 2.ae, ut mirum sit hoc loco sui fuisse oblitum. Hanc ergo privationis distinctionem, substantiae, inquam, actus et rectitudinis actus vel habitus, non considerantes, in errorem illum quidam nostra aetate lapsi sunt, illo fallaci argumento decepti, cum tamen oportuisset potius illud solvere; aut etiam, si solvere ipsi non possent, non ob id a communissima et receptissima in Dei Ecclesia opinione, et contra Manicheos toties agitata, discedere.

16.ª Praedestinationis non datur causa ex parte nostra.

Sic tenendum est, quia hic est communis consensus schola-

sticorum, uno aut altero ex neotericis dempto, et in Academiis ferme omnibus, ut Lutetiae, Lovanii, Compluti, Salmanticae, etc., receptissima opinio, ita ut, si in contrarium quis illic doceret, scandalum generaret, et putaretur in quibusdam Academiis ea opinio erronea. Et quia est D. Augustini in mille locis, et aliorum posteriorum, qui illum ferme omnes sequuti sunt, doctissimorum virorum. Et quia videtur aperta mens D. Pauli ad Romanos multis locis, qui non sine violentia aliter interpretari possunt. Et quia graeci aliqui Doctores, qui videbantur dicere contrarium, facile possunt interpretari, et intelligitur sane eorum mens, quid dicere voluerint, distinguendo de duplici voluntate Dei: altera ordinante hos vel illos ad beatitudinem, quae est ipsamet praedestinatio, atque haec non habet causam; et altera voluntate, scilicet dandi seu conferendi beatitudinem, postquam scilicet fecerint merita, et haec habet causam, ipsa scilicet merita praevisa, propter quae vult dare beatitudinem. Et de hac loquuntur Patres graeci, cum dicunt merita esse causam, ut Decanus Lovaniensis et alii recte interpretantur. Una voluntas, inquam, est ordinationis ad beatitudinem, et haec est praedestinatio et mere libera et non habet causam; altera voluntas collationis beatitudinis, et haec est propter merita et habet causam. Simile est omnino de Duce exercitus, seu Imperatore, qui proponit militibus coronam civicam seu muralem eis, qui civitatem ingrediantur vel muros conscendant; nam hic habet primo voluntatem ordinandi hos milites ad eam coronam, et dandi eis necessaria ad id, et hoc est plane liberum ex suamet liberalitate; alteram habet etiam tunc voluntatem, nempe dandi coronam eis, qui sint ingressi, et hoc est propter opera, propter ipsum scilicet ingressum vel ascensum murorum. Itaque, indistinguentes inter has duas voluntates, sed pro eadem utrasque accipientes, hallucinati sunt, et putarunt praedestinationis dari causam ex parte nostra, cum illius primae ordinationis ad finem nulla sit causa.

17.ª Coelum constat ex materia et forma, est communius, verius et conformius philosophis et theologis, et oppositum non teneatur secundum Aristotelem.

Est sane vera et tenenda; sed forte, quod non ita fidem con-

cernat, posset omitti, si, ut diximus, alia addantur graviora et maioris momenti. Posset etiam, quod ego mallem, retineri, quia est conformior Scripturis et Patribus; et contraria, Averrois, quod sit corpus simplex non compositum, parat viam ad aeternitatem mundi, et ad hoc ut sint coelum et angeli purus actus.

Hic ordo praescriptus Nostris omnino servetur; neque contra propositiones hic scriptas, neque publice neque privatim ullo modo loquantur; neque pietatis, neque veritatis, neque alterius rei praetextu aliter doceant, quam constitutum et definitum est; haec enim docenda atque defendenda a Nostris, non solum admonemus, sed etiam statuimus.

Ultima haec verba sunt plane aurea, et summe necessaria, et omnino retinenda. Ac quidem, si, his positis, nihilominus contra tantum verborum pondus insurgunt, et quandoque etiam docent, quid futurum speramus, si auferantur, aut mitius aut languidius proponantur?

NOTA DE PARTICULA (secundum Aristotelem)

Nec illa vox affirmativa, secundum Aristotelem, mutanda est negative, scilicet, non doceatur contrarium secundum Aristotelem, quae quidem particula posita fuit in quatuor propositionibus illis de anima, quod non sit assistens sed informans; quod non sit una in omnibus hominibus; quod sit immortalis; quod non sint plures animae in homine: non est, inquam, mutanda in negativam, nam ita, ut alias diximus de ipsismet propositionibus, non esset sufficienter cautum: 1.° Quia v. g. magister doceret Aristotelem esse dubium in his, et se excusaret, dicens: Ego non doceo contrarium esse verum secundum Aristotelem, sed illum esse dubium in hac re. 2.° Vel doceret in Aristotele haec esse problemata, et diceret: Ego non dico Aristotelem sic sentire, sed esse problema in Aristotele, et esse utrumque probabile. 3.° Referret opiniones utrinque contrarias, et diceret: Isti sic dicunt, Aristotelem sentire esse animam mortalem, vel esse unam in omnibus, etc.; isti alii aliter dicunt; et afferret rationes et testimonia utrinque, et relinqueret ita utrinque omnia insoluta, vel contra utrinque soluta, et se excusaret, dicens: Ego non dixi nec do-

cui sic Aristotelem sentire, sed quod illi interpretes hoc de illo dicebant; imo forte, quod peius esset, pro parte impia ageret nimis vehementer, ut quandoque factum est, et pro parte pia nimis languide. 4.° Etiamsi in his rebus tanti momenti immortalitatis animae, etc., taceret omnino et nil diceret quid sentiat Aristoteles, quod tamen dissimulare vix aut ne vix quidem posset, tamen haec ipsa taciturnitas in talibus ac tantis rebus suspicionem et notam generaret in discipulis ipsum contrarium sentire. Nec vero expedit talem taciturnitatis licentiam concedere in his rebus maximi momenti; imo vero discipuli haud dubie magistrum interrogabunt quid in ea re sentiat Aristoteles, et facile eius animum deprehendent, etc. Quare numquam esset satis cautum negative (et non doceatur [25] contrarium per Aristotelem). 5.° Denique, cum toties diximus inter duas opiniones ea, quae fidei favet magis, sit sequenda, et in illis pro parte pia sint tot tantaeque authoritatis celeberrimi viri, cur ergo non potius eos sequantur, qui favent pietati? Ac quidem certum est hodie et praesertim apud multos, qui putant Aristotelem esse naturae lumen, multum fidei favere, si Aristotelem habeamus pro veritate et fide. 6.° Postremo, quia si solum negative prohibeatur a Patribus (ut non doceant contrarium per Aristotelem), dabitur intelligi, vel quod contrarium quidem sentiat Aristoteles, vel certe res sit in eo dubia et problematica, sed tamen nolint de ea tractari Patres ob scandalum; quae sane suspicio, in quam incidere aliqui possent, esset auferenda. Et auferenda omnis dubitatio, ac palam pronuntiandum, ut secundum Aristotelem sic doceatur, in rebus praesertim illis tanti momenti, et quae tot ac tam celebres habent authores, etiam in Aristotele. Nam cur, obsecro, hos non sequantur in re tam pia? Aut quae est contraria utilitas, et non potius gravia incommoda et pericula?

Laus Deo et D. N. J. C. et Virgini sacratissimae Mariae,
Matri eius gloriosissimae. Amen.

---

[25] Clarius fortasse: «quod non doceatur».

51

AD DOCENDUM REGULAE [1]

P. LEDESMA P. HIERONYMO NADAL

†

IHS. MARIA.

Rde. admodum in Xpo. Pater.

IN QUAESTIONIBUS PROBANDIS

1. Vt fiat mediocris saltem probatio fidei et ueritatis, sed tamen firma, et obiectionibus non addatur energia; sed, facta obiectione, ea fortissime dissoluatur et confutetur et magna quidem energia. Quod si multae sint obiectiones contra ueritatem, non omnes simul proponantur, sed per singulas uel per partes proponantur et dissoluantur. Denique in tota disputatione eluceat uigor fidei et affectus pietatis, et sit talis disputatio, ut legentem similiter afficiat.

2. Posset deinde uel ipse aliquorum discipulorum scripta, quos aliquando putamus docturos uel concionaturos, per se priuatim corrigere, uel haec ipsa illis transcribenda tradere, et ut alia circa haec delerent, uel quid aliud simile, si quid uideatur commodius.

IN DOCENDI MODO.

1. Laudare D. Thomam et eius doctrinam. [a]

2. Etiamsi ab eius opinione discedendum esset (quod tamen erit quam raro, et cum communis opinio doctorum contrarium opinatur, non aliter), tamen tunc excusare D. Thomam uel interpretari, uel, adducta distinctione, si fieri possit, conciliare, ita ut semper ipsius Doctoris sancti authoritas integra conseruetur.

3. Non irridere uel reprehendere scholasticam theologiam,

---

[1] Ex autographo in cod. *De rat. stud.*, *1583-1613*, fol. 32.

[a] *Addiderat,* et qui eum sequuntur, *quae postea ab ipso cancellata sunt.*

sed eam potius multis, ut fas est, laudibus efferre; nec doctores ipsos scholasticos in genere irridere aut eis detrahere, sed laudare; tum in genere, tum etiam in particulari nullum irridere uel in contemptum adducere. Quod si ab aliqua illorum, ut contingit, sententia sit discedendum, et eius opinio sit impugnanda, quia praestantiores alii aliam sequantur, id quidem fiat, sed citra irrisionem authoris eiusue doctrinae, etc. Atque id, si thomistae sint, qui D. Thomae doctrinam sequuntur, multo magis.

4. Inter docendum, ad pietatem aliqua, cum locus et occasio se offerat, interponere, ut semper oratio sit bene morata et quae audientem aedificet.

5. Non excitare risum facetiis vel rebus similibus inter docendum, data opera.

6. Si quae philosophica misceantur, sint eiusmodi, quae fidem et ueritatem promoueant atque confirment, non quae possint retardare uel scrupulum generare aliquando.

7. Sequenda semper opinio D. Thomae, vel communis. Nouae uero opiniones non inducantur; et si quae aliquando cum magna probabilitate noua occurrat, non id fiat nisi consulto prius praefecto studiorum et ex eius consensu, vel ipsius Superioris, vel alterius qui possit iudicare, cui id muneris Superior iniunxerit. Idem fiat si quando discedendum sit a communi vel D. Thomae opinione recepta.

8. Quae sunt fidei dogmata, fortiter et solide confirmentur, maxime uero aduersus haereticos nostrae aetatis; cum quibus etiam loquendi modus fugiendus, et vsitatus Ecclesiae catholicae sequendus.

9. Alia circa interpretandi modum et sacras literas, vel D. Thomam, vel controuersias, et casus etiam conscientiae, in ordine studiorum Conimbricensi data fuerunt Patri Dionysio ex sententia doctoris Emanuelis, Parrae, Ledesmae, Benedicti, etc.

V. R. indignus in Xpo. seruus,

† LEDESMA. †

A tergo, ejusdem Ledesmae manu. † Al molto Rdo. Padre in Xpo., il P.e Natal, Assistente della Compagnia di Giesù.

52

Jesvs.

RATIO EXPLICANDAE 1.ae PARTIS S.ti THOMAE

A P. D. FERNANDO PEREZ SOCIETATIS JESU TRADITA [1]

Ut totus theologiae cursus a duobus theologiae professoribus, non pluribus quam 4.or annis, iuxta Constitutiones absolui possit, et ita vnaquaeque pars D. Thomae ab vno doctore duobus annis absoluatur; item, vt eadem res non multis in locis, sed vno eodemque proprio tradatur; et denique, vt in theologia, nonnisi quae ad theologiam pertinent, explicentur; quae methodus seruanda sit, quaenam sint omittenda, et quae et quo in loco tractanda, paucis elucidabitur.

In primis persuasum esse oportet autorem, quem in theologia ad interpretandum suscipimus, non esse Caietanum, sed D. Thomam, ideoque de Caietani commentariis id tantum adiiciendum erit, quod ad explicationem uel D. Thomae, uel rei quae disputatur, vtile sentiatur.

Praeterea, vt per tempus liceat, exacte tractare, quae ad theologiam proprie pertinent, oportet: praeterea ea, quae logica aut metaphysica sunt, imo et ea, quae sunt theologica, si facilima sint, nisi forte uideantur non contemnendae vtilitatis; et ita omittere multos articulos et quaestiones nonnunquam oportet.

Unusquisque articulus, qui omittendus non est, hoc ferme modo disseri debet: post explicationem tituli quaestionis, si forte explicatione indigeat, proponenda est explicandaque conclusio, quaecumque est in corpore articuli, praecipue quae quaestioni respondet; deinde discutiendum est, certa sit in fide, an communiter recepta, an saltem tamquam vera amplectenda; postremo pro eius confirmatione adducendae sunt probationes, et inter eas potissimum, quas ibidem affert D. Thomas. Caeterum non opor-

[1] Ex *cod. Rom. stud.*, *II*, ff. 328-331. Hoc monumentum an autographum sit, an vero apographum, certo affirmare non valemus. Emendationes tantum duae vel tres reperiuntur, eaeque brevissimae sunt: caeterum nitide una eademque manu scriptum est.

tet nimis immorari, plus nimium defendendo rationes D. Thomae, aut conando ostendere esse ita conuincentes, vt solui non possint, cum saepe non sint nisi rationes probabiles. Post elucidationem corporis articuli non oportet omnia argumenta D. Thomae disserere, sed illa dumtaxat, si quae sunt, in quibus moueri solet difficultas, aut inter doctores controuersa, aut saltem scitu non indigna.

Siue circa conclusiones, siue circa probationes, siue circa diui Thomae argumenta, quaestio in aliquo articulo proprium locum habeat, ibidem in hunc modum tractanda est. Prius proponi debet verbis perspicuis; deinde adiicienda erit ratio dubitandi, nisi forte pro ratione dubitandi sufficiat opinionum tunc explicandarum diuersitas; statim recitandae sunt opiniones cum breui aliqua uel explicatione uel confirmatione. Non enim sunt omnes opiniones adducendae, sed celebriores, seu probabiliores dumtaxat; stultum est namque, vt ait Aristoteles, de cuiusuis opinione solicitum esse. Deinde quaestionis resolutio per vnam uel plures conclusiones explicanda et confirmanda est et breuiter et exacte; breuiter, inquam, quia non est necesse afferre omnia argumenta, quae afferri possunt; nec, quae afferuntur, multis uerbis amplificare: exacte vero, quia ea sunt argumenta seu fundamenta paucis verbis subiicienda, quae satis sint ad exactam conclusionis confirmationem: demum adducenda sunt argumenta partis aduersae; non tamen expedit omnia argumenta in contrarium congerere, sed illa dumtaxat, in quibus tanta est difficultas, vt ex jactis fundamentis aut non pateat, aut non aperte pateat solutio.

Cum per ea, quae inferius dicentur, uel alioqui per superiores, lectori sit facultas disserendi aliquam quaestionem, quae relinqui alioqui deberet, huiusmodi facultas intelligi cum ea moderatione debet, vt inde non fiat necesse esse, ad necessariora vtilioraque explicanda, aliud tempus ultra statutum biennium desiderari.

PRO PRIMA PARTE

In quaest. 1.ª non alias difficultates, ad prooemium theologiae pertinentes, D. Thomas censuit tractandas ultra eas, quas in de-

cem articulos 1.ae quaestionis comprehendit; ideoque, etsi 1.us articulus tractari debet, tamen illa quaestio: vtrum Deus vt obiectum beatitudinis sit naturalis finis hominis, seu vtrum homo naturali inclinatione feratur in Deum, etsi art.° 1.° huius quaestionis, et rursus quaestione 12 sequenti disputari soleat, tamen, tamquam in loco proprio, solum in 1.a 2.ae, q. 1, a. 4, dilucidanda esse uidetur, quia ibidem agitur de ultimo hominis fine. Item illa quaestio: Utrum factibile sit uiatori communicari claram scientiam articulorum fidei; nec in eodem 1.° art. 1. p., nec art. vltimo partis 1.ae 2.ae sequenti, vt solet, disserenda uidetur; sed tanquam in oportuniori priorique loco 2.ae 2.ae, q. 1, a. 4, vbi quaeritur, vtrum objectum fidei possit esse aliquid visum. Art. 2.us et reliqui vsque ad 8.m uel omitti possunt uel breuiter explicari, dummodo omittantur, quae in logica et metaphysica traduntur de praxi et scientia practica, et de ratione et conditionibus subiecti scientiae. Art. 9 et 10 poterit excitari quaestio de distinctione et multitudine sensuum Scripturae, nisi professor Scripturae eam quaestionem, seu in principio Genesis, seu alibi explicare uelit; tunc enim in scholastica theologia, et articuli ipsi 9.us et 10.us et ipsa quaestio praeteriri debent; quaestio denique de libris canonicis, non in 1.a parte, vt interdum fit, uidetur excitanda, sed remittenda est aut ad professorem Scripturae, aut 2.am 2.ae, q. 1, a. 10 a.

Circa 2.am quaestionem non oportet aliud tractare, quam conclusiones et rationes tertii articuli, quia reliqua logica sunt, quae fere priori posteriorum libro tractari solent.

Quaestio 3.a D. Thomae, quia non aliud fere, quam metaphysicas difficultates tradit, relinquenda quoad omnes articulos uidetur; de distinctione uero inter naturam et suppositum, quae art.° 3.° eiusdem 3.ae quaestionis tractari solet, differenda esse uidetur ad materiam Incarnationis, vbi non immerito sibi proprium locum uidetur uendicasse. Denique quaestio de principio indiuiduationis, quae super eodem art.° 3, et rursus infra in materia de Angelis, q. 60, a. 4, moueri solet, esset potius ad metaphysicam relinquenda.

---

a a. 2, *ms.*

De 4.ª quaestione D. Thomae solus secundus articulus discutiendus uidetur, quia in eo solo est tota quaestionis difficultas.

Quaestio 5.ª omitti omnino potest, sicut et aliae quaestiones de transcendentibus, quia de iis metaphysicus ex professo agit, atque difficultas, vtrum relationes diuinae dicant formaliter perfectionem, quae in 3.° articulo eiusdem 5.ae quaestionis discuti solet, disputari potius debet in materia de Trinitate, q. 40, a. 2, vbi opportuniorem locum habet. Dubium vero, an humanae relationes dicant perfectionem, si in metaphysica discussum non sit, ibidem eodem art. 2.° tractari potest, tanquam fundamentum seu praeambulum eiusdem quaestionis de perfectione diuinarum relationum.

Quaestio 6.ª, quia breuis et theologica est, quoad omnes quatuor [b] eius articulos uidetur tractanda; caeterum illa difficultas, quae 3.° eiusdem articulo discuti solet, an essentia sit praestantior quam existentia, iis, qui docent metaphysicam, relinquatur.

De quaestione 7.ª solus articulus 1.us et 2.us explicandi uidentur, quia reliqua de infinito satis superque tractantur 3.° phys.

Quaestio[nes] 8.ª, 9.ª et 10.ª quoad omnes articulos theologicae sunt et vtiles, quae proinde praeteriri non debeant. Illa autem controuersia, proxime ne an remote Deus cum causis secundis concurrat ad naturales effectus, non debet multis quaestionibus controuerti in theologia, cum de ea 2.° phys. satis agatur; sed uel omittenda est, uel certe, quod minus tutum in fide sit, summa breuitate explicandum; difficultas uero, quae q. 10 tractari solet, an Lucifer fuerit supremus angelorum, proprium locum habet in materia de angelis, q. 63, a. 7.

De quaestione 11.ª solus art. 3.us uidetur tractandus [c], quia reliqua sunt metaphysica.

Quaestio 12.ª quoad omnes articulos explicatu dignissima est. Caeterum non est in 2.° articulo eiusdem quaestionis, vt solet, disserendum, an in beatis sit ponendum verbum, aut, vtrum ab

---

b tres, *ms.*

c *In ms. dicitur* art. 2.us; *sed videtur perperam scriptum fuisse pro art. 3.°, qui unus tantum metaphysicus non est; agit enim de unitate Dei.*

intellectione seu visione distinguatur, quia haec omnia quaestione 27 sequenti [d], art. 1.°, opportunius traduntur. Non est etiam eodem art.°, vt solet, tractanda opinio Joannis de Ripa, quia eius refutatio proprium locum habet 1.ª 2.ae, q. 3, a. 2 et sequentibus. Item, a. 6 eiusdem quaestionis non videtur esse agendum, vtrum beatitudo consistat essentialiter in amore, uel vtrum principalius in visione quam in amore, quia huiusmodi quaestiones ad 1.am 2.ae proprie pertinent, q. 3, a. 4.

Quaestionis 13.ae solus 7.us articulus explicandus uidetur, quia reliqua parum difficultatis et minus vtilitatis habent; praeterea in ipso 7.° art.° non uidetur de relationibus transcendentibus disserendum, nisi forte breuiter et exempli aut explicationis causa, quia de iis in metaphysica et logica satis agitur.

Quaestio 14.ª, quia et theologica et difficilis, quoad omnes articulos disserenda uidetur, dummodo ea praemittantur, quae in logica et metaphysica et scientiis humanis tradi solent. Item, in art.° 13 tractanda esse dumtaxat uidetur quaestio, eidem articulo propria: quomodo diuina scientia uisionis seu intuitiua possit esse futurorum, quippe non oportet ibi diffusam tractationem habere de futuris contingentibus, de quibus 2.° perihermenias satis dicitur; et multo minus necesse est ibidem tractare ex professo quaestionem de libero arbitrio, quia in 1.ª, 2.ae tractari debet, cum agitur de uoluntario et inuoluntario, et de requisitis ad liberum vsum rationis. Utrum autem scientia Dei, item, vtrum prouidentia, vtrum praedestinatio et praescientia rebus praescitis seu praedestinatis necessitatem afferant, ideo non multis in locis, sed infra, quaest. 23, de praedestinatione, art. 6, vbi diffusius solet, tanquam ex celebriori loco, disputari debent.

Quaestio 15.ª de ideis, theologica et breuis est, nec est cur praetermittatur.

Quaestio 16ª., de veritate, et 17.ª, de falsitate, praeteriri omnino possunt, quia metaphysicae quaestiones sunt.

Quaestio 18.ª, de vita Dei, etsi theologica, tamen, quia non admodum difficilis, nec admodum vtilis, omitti, vt solet, potest.

---

[d] *Videtur potius dicendus* art. 26.

Quaestio 19.ª, de voluntate Dei, est quidem theologica et difficilis, et ideo quoad omnes fere articulos praelegenda; fere, inquam, quia art. vltimus [ad quartum], an Deus uelit malum, relinqui potest, quippe eandem habet difficultatem cum illa, an Deus sit causa peccati, de [qua in] 1.ª 2.ae, q. 79, a. 1 et 2, ex professo disputatur.

Quaestio 20.ª, de amore Dei, et 21.ª, de iustitia et misericordia Dei, quia vtraque breuis et vtraque scitu digna, neutra praetereunda videtur. Caeterum in ipsa quaestione 21.ª, nec agere oportet de justitia humana, de qua 2.ª 2.ae, quaest. 58, nec etiam de humana misericordia, de qua 2.ª 2.ae, q. 30, proprius locus est disserendi.

Quaestio 22.ª, de prouidentia, theologica et non inutilis est, et proinde non relinquenda; omitti tamen debet art. 4.us, vtrum prouidentia diuina imponat rebus necessitatem, quia eadem difficultas est, etiamsi sub aliis verbis, q. 23, art. 6, discutienda.

Quaestio 23.ª, de praedestinatione, accurate, quoad fieri potest, disserenda est quoad omnes articulos, quia et difficillima et maxime theologica. Utrum autem sit factibile vt non fuerit reuelatum, quod Deus reuelauit, aut non fuerit factum, quod in praeterito fecit, non uidetur art. 6.º eiusdem quaestionis, vt solet, tractandum, siquidem q. 25 sequenti, de potentia, a. 4, tanquam in proprio loco sciscitatur D. Thomas, vtrum in Deo sit potentia ad praeteritum.

Quaestio 24.ª breuis et theologis minime inutilis, et ideo non uidetur praetereunda.

Quaestio 25.ª, de potentia Dei, non est praetermittenda. Caeterum in ea tantum disputandum est de potentia in ordine ad creaturas; etenim, vtrum potentia sit respectu diuinarum personarum, et quod sit potentia generandi in diuinis, infra quaerendum est in materia de Trinitate, q. 41, art. 4 et 6.

Quaestio 26.ª, de beatitudine, praeteriri omnino debet, quia, si quid vtilitatis aut difficultatis habet, id 1.ª 2.ae, q. 3, 4 et 5, satis explanatur.

Tota materia de Trinitate, quoad omnes quaestiones, exacte declaranda esse uidetur, quia tota ea materia theologica est, tota

difficilis; quod autem non sola persona Patris sit verus Deus, sed et persona Filii et Spiritus sancti, et quod tres personae habeant vnam eandemque deitatem, non in 1.° art.° quaest. 27.ae, vbi disputari solet, nec in alio loco in materia de Trinitate, quoniam in quaestione 30.a proprium locum habet. Utrum vero ex veteri nouoque testamento ex presso habeatur Messiam esse verum Deum et filium Dei naturalem, nec art.° 2.° eiusdem quaestionis 27.ae, nec in tota 1.a parte uidetur proprium locum habere; et ita in 3.a parte, tanquam praeambulum ad materiam de Incarnatione, ar. 1.°, q. 2., tractari debet.

In quaestione 28.a, solum propria quaestio est de diuinis realibusque relationibus, quae Deo attribuuntur in ordine ad creaturas. Enimvero, si quid difficultatis ea quaestio habet, quod ad theologiam pertineat, discussum esse debet quaestione praecedenti 13, art. 7. Item, art. 2, et art. 4 eiusdem quaestionis 28.ae, non esse uidetur inquirendum de fundamento aut de requisitis ad relationem realem in diuinis, quia id infra, quaest. 42, opportuniorem locum habet, cum agitur, an aequalitas inter diuinas personas sit realis relatio. Denique nec in ipsa 28.a quaestione controvertendum est, an relationes diuinae sint inter se naturaliter distinctae, quia id habet proprium locum inferius, quaest. 32, art. 3.

Ex quaestione 30, uel articulus 3.us omitti potest, uel ita breuiter tractari, vt de vnitate numerali et transcendentali, atque de numero et forma numeri non amplius agatur, quam opus sit, vt quaestio de numero diuinarum personarum accurate controuerti possit.

Quaestionis 32.ae omittendus est articulus 4.us, quia difficultas ipsius articuli proprium locum habet 2.a 2.ae, q. 1, art. 10.

Quoad materiam praedestinationis in communi, circa quaestionem 44.am disserendum dumtaxat uidetur, an conclusiones D. Thomae, quae articulorum titulis continentur, sint certae in fide necne, uel saltem an sint communiter receptae: reliqua enim, quae ibi disseri possunt, nec difficultatem habent, nec vtilitatem aliquam. Item, 7.us articulus sequentis quaestionis [e] praeteriri debet, quia quaestione 15, de ideis, explicatus esse debet.

[e] eiusdem quaestionis, *ms.*

Quaestio 45.ª sequens est exacte tractanda, quia in ea fere est totius tractationis huius difficultas; tamen articulus 8.us eiusdem quaestionis et reliquae quaestiones de creatione in communi omittendae uidentur, quia parum difficultatis et minus celebritatis habent.

Quaestiones sequentes, de malo culpae et poenae et de causa mali [2] tanquam in opportuniori loco, I.ª 2.ae in materia de peccatis, q. 75, tractari debent.

Tota materia angelorum [3], quia tota difficilis, si per tempus liceret, tota praelegenda esset. Caeterum de quaestione 51.ª omitti potest art. 1.us, quia eandem fere habet difficultatem cum ea, quae agitur art.° 1.° et 2.° quaestionis praecedentis.

Quaestio vero 54.ª tota relinquatur, quia, si quid difficultatis habet, id magis ad physicam vel metaphysicam, quam ad theologiam, spectat. Item, de quaestione 57.ª, in art. 2.°, tantum est breuiter disserendum de modo, quo vnus angelus intelligit alios angelos; non enim est ibi agendum de locutione angelorum, quae infra, quaest. 107, ubi eam mouet D. Thomas, proprium locum habet.

De quaestione 58.ª omitti potest 2.us articulus, quia tota illius articuli difficultas discussa esse debet superius, quaest. 12, art. 10.

Quaestiones 59 et 60 sequentes omittantur, quia faciliores, et quia, si quid difficultatis habent, id ad theologiam parum pertinet. Quaestio autem theologica de inclinatione naturali angelorum ad diligendum magis Deum quam se, quae articulo vltimo ipsius 60 quaestionis tractatur, opportunius 2.ª 2.ae in materia de charitate, quaest. 36, art. 3, disserenda est.

De quaestione 62, art. 2.us praetereundus uidetur, quia tota ipsius articuli difficultas in materia de gratia proprium locum habet. Item, art. 7.° eiusdem quaestionis non expedit agere, quomodo de eadem re in eodem intellectu simul esse possit duplex cognitio, scilicet, beata et naturalis, quia ea de re locus opportunior est in 3.ª parte, q. 9, art. 3, primum. Articulus 8.us omit-

---

[2] Scilicet quaestiones 48 et 49.
[3] Scilicet quaestiones 50-63.

tendus uidetur ad 1^am 2.^ae, [quaest. V,] ar. 4, vbi proprium locum habet.

In quaest. 63, art. 1.°, non est excitanda quaestio, vtrum sit factibilis creatura, quae suapte natura peccare nequeat, quia ea quaestio in materia de peccatis [1.^a 2.^ae], quaestione 79, disserenda est. Item, art. 6.° eiusdem quaestionis 62 [4], non est mouenda quaestio de ratione obstinationis malorum angelorum, quia habet proprium locum infra, art. 6.° quaestionis sequentis. Denique art. 9.^us eiusdem quaestionis 63.^ae omitti potest, quia, quicquid difficultatis habet, discussum esse debet superius, quaestione 23 [f], art. 7.°, de numero praedestinatorum.

In quaestione 64, difficultas, quam ibi post... [5] art. 1, obiter tangit D. Thomas, an fides infusa in damnatis angelis manserit, habet proprium locum in 2.^a 2.^ae, [quaest. V, art. 2,] vbi eam mouet D. Thomas.

Finita materia de creatione angelorum, relinquendae sunt quaestiones 65 et 66 et 67 sequentes vsque ad materiam de anima [6]. De operibus sex dierum [7], quia et difficiles et theologicae sunt, non uidentur relinquendae, nisi forte professor Scripturae 1.^m et 2.^m capitulum Genesis eodem theologiae quadriennio explicaret.

Tota materia de anima [8] omittenda est, quia de ea fere agitur in phys. Quaestio autem 82, de uoluntate, licet theologica sit, differenda est ad 2.^am 2.^ae, q. 10, vbi agitur de uoluntario et inuoluntario [9]; et eodem modo quaestio 83.^a, de libero arbitrio, uidetur remittenda ad 1.^am 2.^ae, vbi agitur de consensu, electione et vsu rationis, et peculiariter uidetur tractanda in quaest. 13.^a

---

[4] Forte melius «art. 5.°»

[5] Extat in *ms.* verbum, quod librarius legere non valuit; sed neque ad sensum quod attinet necessarium est; materia enim, de qua agit, reperitur in corpore articuli, ubi de duplice cognitione fit sermo.

[6] Haec quaestio incipit in quaest. 75.

[7] Nempe, quaest. 65-74.

[8] Incipit in quaest. 75.

[9] In 1.a 2.ae, quaest. 6.

[f] 27, *ms.*

art. 6, vbi D. Thomas quaerit, vtrum homo ex necessitate uel libere eligat.

Reliquae quaestiones vsque ad quaestionem 106.am omitti possunt, quia aut minus vtiles aut minus difficiles, quamquam, si per tempus liceret, non erit abs re in fine 2.i anni explanare materiam de productione primi hominis, a quaestione 90 vsque ad quaestionem 102, etenim est materia theologica et scitu non indigna. Saltem procuret lector quaestionem 106, de illuminatione angelorum, et quaestionem 107, de locutione angelorum, non omittere.

P. Brunelli manu. Possent ostendi Nostro Patri.

53

DE STUDIO SACRAE SCRIPTURAE [1]

Valencia 21 Marzo 1579 [2].

...Con la letra, de que V. P. me hizo gracia, recibí mucha consolación... Yo comencé á rever aquellos borrones que comencé en Roma, y halléme tan lejos de aquel spíritu, que los dexé, pareciéndome ser imposible acabarlos de la manera que abía traçado, y creiendo que aquella ocupación más se me abía concedido del P. Rector de S. Andrés por entretenerme, que por esperar ninguna vtilidad della. Mas luego tornaré á ella y trabajaré de cumplir lo que V. P. manda, que en virtud desto creo me tornará el espíritu de donde se començó, y que por vil instrumento querrá nuestro Señor mostrar algo de lo mucho que puede la obediencia. Los estudios de aquí en positivo son muy flacos, porque, de quinze estudiantes theólogos de casa, no tienen disposición para Scriptura sino ocho, por no aber oydo aún dos años primero de scolástico. Estos ocho oyen: dellos los tres andan achacosos y no escriuen; los cinco andan tan ocupados en oyr y pasar dos liciones de S. Thomás muy dificultosas, vna de Trinitate, otra de Incarnatione, que, aunque gustan y desean

[1] Ex cod. *Epist. Hisp.* 1579. Sunt fragmenta ex variis epistolis Patris Baptistae Ferrer, ad P. Generalem missis.

[2] Ex codice supra laudato, fol. 3, fragmentum epistolae autographae.

Scriptura, no pueden sino muy de paso entender en lo positivo, y así el prouecho es muy poco y mi trabajo grande. De gente de fuera no ay que hazer cuenta ninguna, porque no ay afición aquí á Scriptura, ny veo otra cosa en este estudio que florezca, sino letras humanas. Para conseguirse el intento de V. P., de que aya doctos en la Scriptura en la Compañía, pareze que sería el medio más breue, que los estudiantes, que an acabado lo scolástico, la pasasen, oyendo de propósito positivo, y hiziesen estudio principal dello, y conferencias y exercicios otros, porque en dos años sabrían desta manera más que en muchos otros al modo común que se suele seguir. Yo deseara desta miseria, que con tantos sudores en muchos años e deprendido, hazer algún prouecho á nuestro Señor y á su santa Compañía y á V. P. Aquí no veo commodidad ninguna, ni sé parte donde menos le aya. Avísolo á V. P., porque el P. Visitador me lo dexó ordenado que lo hiziese así, proponiendo con indiferencia, que me consolaría de ocupar de veras en cosa, que fuese de prouecho en positiuo ó scolástico, porque lo vno y lo otro puedo profesar con el aiuda y fauor del Señor. Su diuina magestad ordene lo que más gloria suya sea y bien de los proximos, que esto deseo...

Valencia 12 abril 1579 [3].

...A la letra, de que V. P. me hizo gracia, respondí en el pliego del P. Prouincial, y agora el P. Rector me a ordenado que dé razon á V. P. de lo que toca al estudio de positiuo, porque desea mucho el aprouechamiento en los subiectos que le an de oyr, para que se salga con la pretensión de V. P. Para este efecto me ordenó que hiciese ciertos aduertimientos, los quales van con su carta. El fundamento dellos me dió el P. Maestro Avila, de buena memoria, diziéndome que abía entre las cosas señaladas que, rogado de Prelados amigos suyos, aduirtió que se tratasen en el Concilio, puesto por vna muy principal, que se hiziesen colegios, donde se tratase principalmente de la intelli-

[3] Ex eodem codice, fol. 5.

gencia de la diuina Scriptura, como los ay de philosophía y lenguas y theología y de otras facultades, porque le parecía que en esto estaua puesto buena parte de la reformación de letras, así para los cathólicos, como para defendernos y destruir los herejes. Y aunque allí no vuo efecto, todavía la Compañía se podría ayudar más que otra religión de este estudio, así porque no tiene las obligaciones de choro y otras cosas, como porque lleua buenos fundamentos de lenguas y artes y theologia, que son grande fundamento para la Scriptura, como V. P. mejor sabe. Creo que ningún assumpto de letras puede tomar, presupuesto lo que tengo dicho, como este, que tanto la acreciente y señale en todo el mundo, donde el Señor la tiene y estiende, como vemos que lo haze por su misericordia cada día más. Así que, mouido deste zelo, el P. Rector desea que en esta Prouincia se asiente el estudio de positiuo muy de veras, señalando subiectos ábiles, que ayan acabado lo escholástico, y que, pasando esto, hagan muy particular y diligente estudio de lo positiuo siquiera dos años; porque es imposible saberlo oyéndolo con lo scolástico, porque cada cosa destas requiere vn ombre desocupado. Yo creo que la causa porque se sabe tan poco desto es, porque se toma por cosa menos principal, y no hazen cuenta más que oyr y oluidar. Y si para saber medianamente theología es menester muchos años, ¿qué será menester para la S.ta Scriptura? Aquí se a visto que los HH. que oyen se quexan que no pueden atender á lo positiuo, aunque lo desean, porque todo el tiempo lleuan la theología y otras ocupaciones de la religión forçosas. Deseo que V. P. fuese seruido de mandar hazer la prueua en esta Prouincia, pues el P. Rector creo que ofrece medios para ello, y de aquí se podrá ver si conuerná pasar adelante con ella. Yo dos años pido á V. P. para que se vea lo que se propone, si es conueniente á la pretensión de V. P.: y creo cierto, con el fauor de N. S., que en este tiempo, empleado por el orden del memorial, que se tra[tará] aquí de cumplir si V. P. lo mandare, se sabrá lo positiuo tan bien, que los más hábiles lo puedan leer luego, y todos predicarlo y disputar con los herejes, y tal scholástico ser muy perficionado: y de los que acaban lo scolástico y tienen alguna noticia de lo que

an oydo los vltimos dos años del curso de positiuo, se ordenase que los más hábiles continuasen dos años de sola Scriptura y la theología, saldrían notablemente aprouechados; porque la continuación de los estudios [sería de] mayor prouecho que, pasado tiempo, tornar á todo, cuando lo tienen vno y otro medio olvidado, y de nueuo á ello. El P. Rector desea vna dozena de los más hábiles; yo creo que sería buena prueua y lo deseo, porque estos trabajos querría mucho seruir con ellos á N. S. y su santa Compañía, y á V. P. como nuestra cabeza, y que en su tiempo de V. P. se hiciese este tan gran beneficio [á esta] Prouincia y á todas las demás... No tengo oluidado lo que V. P. mandó del tratado de mortificatione...

SOBRE EL ESTUDIO DE LA SAGRADA ESCRITURA

MEDIOS QUE PARECE SERÁN PROVECHOSOS PARA EN BREVE TIEMPO TENER INTELIGENCIA DE LA SAGRADA ESCRITURA

[Valentia, Aprili 1579] [4].

1.° Que se elijan los sujetos más hábiles de la provincia, que hayan oído todos los cursos de teología escolástica, para que oigan positiva y pasen la escolástica.

2.° Que se ordene á los oyentes de positivo, que tomen este estudio por principal asunto, como cosa de la obediencia y de que nuestro Señor ha de ser servido y la Compañía, así como se hace en los demás estudios della.

3.° Que, acadadas de oir las lecciones, se repitiesen, como se hace en la escolástica.

4.° Que haya conferencias de las lecciones que oyen, dando cuenta dellas, y disputando cuestiones tocantes á la Escritura, y principalmente del sentido literal.

5.° Que se tengan algunas conclusiones particulares y otras públicas, así mensuales como anuas, cuando pareciere al Supe-

---

[4] Ex eodem codice, ff. 1 et 2.

rior y prefecto de los estudios, que será cuando se haya leído materia suficiente para ellas.

6.° Que haya un día señalado en la semana, en el cual se junten una hora los estudiantes con el lector para tratar de lugares difíciles de la Escritura, tomando un libro della de los dificultosos, desde el principio, y prosiguiéndolo hasta el fin, proponiendo cada uno las dificultades que se le ofrecen sobre la letra, y otro día siguiente de la otra semana traerá cada uno estudiado lo que ha hallado en el intérprete, que le habrán dado, sobre aquel libro de Escritura; y después de conferidos los pareceres de todos, el lector dará la resolución, como se hace en los casos; y esto se escribirá, porque sea provechoso para muchos.

7.° Que se ejerciten alguna vez en hacer lugares comunes, fundados en sentido literal, según la materia que se ofreciere, ó en confirmación de las cosas de nuestra fe, ó confutación de herejías ó errores, principalmente de los del tiempo, ó para persuadir alguna virtud y disuadir el vicio contrario.

8.° Que los que no supieren las lenguas hebrea y griega suficientemente para pasar por sí, oigan según el orden del Superior hasta saberlo; y los que nada saben dellas, oigan un año de lengua hebrea y otro de griega, y á lo menos una general descripción del mundo y sus provincias, y muy particular de la tierra de promisión; porque todo esto es necesario para entender con fundamento la divina Escritura.

DEL LECTOR DE LA SAGRADA ESCRITURA

1.° El lector leerá un año testamento viejo y otro año testamento nuevo; y siempre procure de leer libros dificultosos, y en ellos dar noticia de todo lo principal de la Escritura, declarándola en el sentido literal, siguiendo para esto los Padres y Concilios y propiedad de lenguas.

2.° Al principio del libro dictará el argumento dél, y en cada capítulo hará lo mismo brevemente, y los lugares difíciles, y frases y reglas para entender Escritura; todo esto sucintamente.

3.° Que las frasis dificultosas, que se ofrecieren en lo que leyere, las declare copiosamente, y los lugares obscuros donde

se usa dellas, porque así se tendrá mucha noticia, con poco trabajo de los oyentes de la Escritura.

4.° Que procure leer algunas reglas generales para entender la divina Escritura, las cuales traen los Santos, porque dan mucha luz para la inteligencia della; y estas aplicará en lo que fuere leyendo, según se le ofreciere la ocasión.

5.° Que procure pasar mucha letra, deteniéndose solamente en los lugares difíciles ó controversos.

6.° Que los lugares semejantes de otros libros se traigan para declarar y facilitar lo que lee, como cuando 2 ó más profetas ó otros sagrados escritores tratan de una cosa, conferir los lugares; y cuando parece que hay alguna repugnancia, conciliarlos, guardando siempre el sentido literal según los doctores santos.

7.° Que advierta los lugares, de donde los herejes tomaron ocasión de sus herejías; y declarados en el sentido católico, los confirme con otros semejantes, si los hubiere, y con concilios y Santos; y alguna vez, para enseñar á los oyentes cómo lo han de hacer, confute el error, principalmente si es del tiempo.

8.° Que procure mostrar la conformidad del testamento viejo y nuevo, y ilustrar la exposición del uno con el otro, y conciliar los lugares que parecen contrarios.

9.° Que un día en la semana se lea una lección de cosas, que facilitan la inteligencia de la Escritura, como de los sentidos della, del método para saber el sentido propio literal, y alguna vez el espiritual, y de las translaciones, defendiendo la vulgata, y enseñando cómo pueden servir el texto hebreo y las translaciones, así griega como latina, á la declaración de la vulgata y defensión della; y esto será materia para conclusiones con lo demás.

10. Que haya cuenta de, con los lugares que se ofrecieren, confirmar las cosas de la fe y dogmas eclesiásticos y opiniones escolásticas; enseñando cómo se ha de usar de la divina Escritura para estas cosas y para confirmar los fieles en la fe y buenas costumbres, y dar razón della, y destruir los errores y herejías que contra ella hay, como de herejes, judíos, filósofos y otros enemigos de la fe.

11. Que, aunque sea de paso, apunte los lugares que hacen contra los hebreos, y los que, por entenderlos mal, ellos creen que son en su favor.

12. Que enseñe á usar de la Escritura en el sentido literal para confutar herejes, predicar y las demás cosas que un teólogo tiene necesidad; lo cual se hará más fácilmente haciendo algunos lugares comunes desto, como confutando un error de los hebreos por la divina Escritura con el rigor de letra, alguno contra herejes, otros contra las costumbres malas, etc.

Paréceme que, oyendo 2 años de positivo por este orden, con el favor de nuestro Señor se sabrá suficientemente para leerlo, para predicar, y no por cartapacios, como se usa mucho por acá; y para disputar con los enemigos de la fe, y confundirlos con la divina Escritura, entendida en rigor de letra. También será muy útil para entender y leer lo escolástico con perfección. Y oyendo la Escritura juntamente con lo escolástico, no se puede saber; porque las lecciones y ejercicios dellas y las otras obligaciones de la religión no dan lugar para estudiar, ni aun ver la lección de positivo, como aquí lo experimentamos en estos Hermanos que lo oyen, que, deseando estudiar, lo dicen; y se ve que es así, que no tienen tiempo sin faltar á lo escolástico; á lo cual, como sea principal estudio para ellos, no faltan, sino á lo positivo, y así no son aprovechados ni lo pueden ser, según lo muestra la experiencia, si no es haciendo particular y diligente estudio en él; mas les será útil oir aquellos 2 años últimos como se acostumbra, para que tengan alguna noticia de Escritura, oyéndola, aunque no la pasen. Y los que dellos pareciere á los Superiores que son hábiles para pasar adelante con los estudios della, oyendo otros 2 años por el orden arriba dicho, se harán muy provechosos sujetos para el intento que V. P. tiene. Y no es mucho tiempo este, pues para sólo saber principios de escolástico se suelen gastar 4 años continuos, haciendo principal estudio y muchos ejercicios en las escuelas; y aun han menester después tiempo para pasar lo oído, si han de ser medianos teólogos. Yo creo con la gracia de nuestro Señor, que con oir de la manera ya dicha, sabrán luego para poder leer y predicar y hacer los demás ministerios de la Compa-

ñía, con mucho servicio de nuestro Señor y della, como V. P. lo pretende, y el P. Rector lo desea y procura aquí, creo que movido de nuestro Señor, el cual ordene aquello que sea más gloria de su divina Magestad, etc.

[Valentia 1 Junii 1579 [5].]

... De salud, gracias á N. S., me hallo medianamente para trabajar en lo que se me ha ordenado hasta agora, pues se [ha] acabado el tiempo de leer con los demás Padres.

Los oyentes de positiuo, con ser pocos, an venido á tanto menos, que es marauilla; así porque los HH. studiantes de casa an cumplido, como porque los Padres averse empleado en otros ministerios forçosos, de manera que quedan para el año venidero como tres ó quatro á lo más; y según el P. Prouincial dize, no ay disposición para proueer de más, por ser la Prouincia falta de subiectos, y tener gran necesidad de los que ay para los assumptos de la Compañía. Estas vacaciones, que son dos meses, pienso con el fauor de N. S. ocupar en el tratado de mortificatione, que, aunque á my se me a ido aquella fantasía, y tenga tan poco deste talento, en virtud de la santa obediencia espero que ella hará algo. Y aunque no saque desto más que aver obedecido y mortificado my juyzio, creyendo que puede ser vtil cosa mía especial en esta materia tan alta, porque entienda en esto no me embía el P. Prouincial á Barcelona á leer scholástico...

[Post-scriptum.] Con la resinación que puedo en la determinación y voluntad de V. P., como deuo, propongo á V. P. que, si se ofreciere alguna cosa, en que ocuparme fuera de España, en especial en qualquier parte de Italia, que particularmente me consolaré, y siempre lo estaré con lo que V. P. mandare.

---

[5] Ex eodem codice, fol. 23.

54

†

Jesus Maria.

REGULAE QUAEDAM

QUAE VIDERENTUR OBSERUANDAE CIRCA SCHOLASTICOS EXTERNOS AD COLLEGII ROMANI PACEM ET TRANQUILLITATEM SERUANDAM, AC EUITANDA ALIA SCANDALA [1]

1. Sit vnus, qui grauitate valeat et auctoritate saltem mediocri, qui curam habeat morum; qui etiam poterit esse confessor, si non omnium, at plurium scholasticorum. Hic tempore lectionum aduertet quis extrauagetur, quive discolus siet, quae conciliabula fiant externorum etc.; et ante lectiones et post lectiones idem maxime obseruabit. Posset hic esse praefectus ipse studiorum, si totus huic se praefecti officio manciparet; posset esse aliquis futuri seminarii externus ad hoc destinatus, qui auctoritate valeat ex officio Pontificis publico.

Nullus ex collegio Germanico expulsus accedat ad nostras scholas, nec ad id detur licentia vllo modo; nam experientia ostendit ab eis maxime perturbari.

Dici poterit, cum primum expellitur ex collegio Germanico, non esse [e] nostris scholis [illu]m [2]; quare vt ad alias scholas mittatur a parentibus etc.

2. Omnes scholastici confiteantur saltem singulis mensibus, etiam dialectici, philosophi et rhetores; et magistri habeant catalogum vt videant qui confitentur, qui non, et referant ad Rectorem vel praefectum singulis mensibus an confiteantur. Et id quidem (quantum experientia intellexi) facile factum est, si vel minimam magistri ad id operam contulerint.

3. Omnes scholastici sequentur literaria exercitia suae clas-

---

[1] Ex *cod. Rom. stud., II,* ff. 352 et 353. P. Natalis manu haec annotantur: «Magistri Ledesmi»; et Brunelli manu ibidem: «P. Jacobi Ledesmii, non tamen eius M.S.»

[2] Abscisa est charta in exemplo, quod prae oculis habemus.

sis, nec ea omittent, sed audient, repetent, disputationibus intererunt etc., prout in ea classe fieri consueuit. Neque licentia concedatur sine vrgente causa, atque, ea obtenta, non manebit in collegio, sed propriam domum remeabit.

4. Nullus audiat dialecticam nec rhetoricam, qui non sit examinatus, aut saltem qui non habeat ad id licentiam praefecti: nec magistri eos aliter in ipsorum gymnasio admittant. Ad has etenim duas classes accedere solent moribus corruptiores.

5. Item, qui de nouo accedunt, etiam ad philosophiam vel ad alias facultates, non sine examine aut praefecti licentia accedant; ac quidem melius videretur, si licentia breui in scriptis data; quam postea ostendet magistro, et ita magister illum admittet ad suam classem; nam ita humiliores accedent et in officio ac subiectione continebuntur.

6. Nullus scholasticus tempore lectionum accedat ad alteram classem, quam ad suam.

7. Item, nullus scholasticorum audiat aliam facultatem, praeter suam, sine licentia sui magistri et praeterea praefecti studiorum.

8. Omnes scholastici, etiam dialectici et rhetores et aliarum facultatum, audiant sacrum quotidie; et magistri etiam habeant catalogum vt quotidie sciant qui audiunt, qui non.

Commode hoc fieri poterit, si singularum classium in diuersis altaribus eadem hora audirent simul omnes, vt sciretur qui absunt etc.; vel duo pro illis in templo nostro sacra fierent, alterum ante lectiones et alterum post lectiones.

9. Omnes scholastici, qui ante lectiones accedunt, ingrediantur suas classes, vbi quieti maneant, et literis dent operam, etiam rhetores et dialectici, si fieri posset; vel quieti ibi expectent lectionis tempus, vel praeparando lectionem etc.

10. Nullus scholasticorum maneat aut immoretur in porta collegii.

11. Item, qui in classe dialectices ac rhetorices sunt, saltem pueri et adolescentiores, cum meruerint, saltem si quid grauius commiserint, vel vapulent vel palmas accipiant.

12. Nullus in dictis aut factis aut gestibus immodeste aut

inhoneste se gerat. Item, nec obambulet vel oberret per impluuium collegii jactantius aut immodestius.

13. Item, vt omnes magistri, saltem ab humanitate inclusiue vsque ad infimos, cotidie semel lustrent scholas ante vel post lectiones, praesertim a prandio, considerantes scholasticos, num aliquem videant reprehensione dignum, aut mali aliquid etc.; et ipsi etiam verbo quoscunque corrigant.

14. Qui regulas non obseruauerint, postquam semel atque iterum admoniti ea de re fuerint, si sint incorrigibiles, sciant se ex scholis eiiciendos.

14.[b] Nullus magistrorum admittat in classem suam aliquem scholasticorum alterius classis. Item, nullum etiam externorum vltra quatuor aut quinque dies, nisi intelligat illum habere licentiam a praefecto studiorum, sed remittant illum ad praefectum ad licentiam petendam, vel ad Rectorem.

MODUS PROPONENDARUM REGULARUM HARUM

15. Hae regulae aut similes aliae viderentur ipsis scholasticis proponendae seorsum singulis, cum primum de nouo ad scholas accedunt, idque parentibus suis consentientibus et pro eis pollicentibus, aut iis, sub quorum cura degunt, qui eas seruabunt; vel bis aut ter in anno ab eisdem, vel in ipsamet schola aut cathedra scholarum singularum essent affigendae, vel cum catalogo lectionum in collegio affigendae, aut earum aliquae in collegio, aliae in classe etc.; vel, vno eas legente, singuli scholastici excipiant scripto circa initium anni in ipsa classe etc.; vel omnibus iis modis simul aliove commodiore fiat. Expedit certe eis proponi regulas aliquot.

Ad calcem paginae. Asseruandae.

55

DIES QUIBUS NON DOCETUR

IN CLASSIBUS SUPERIORIBUS COLLEGII ROMANI VSQUE AD RHETORICAM ETIAM INCLUSIUE, BREUI SUPPUTATIONE [1]

Remissiones simul et vacationes durant a 24 Junii vsque ad 3 vel 8 Nouembris, plus minus, per quatuor uidelicet menses cum dimidio, plus minus, e quibus vacationes per mensem, aut quadraginta dies, aut mensem cum dimidio, aut plus etiam aliquando; reliquum tempus est remissionis, in quo alternis theologi et artium magistri tantum mane docent; et aliquando etiam rhetor tantum mane docuit. Itaque, haec et illa numerando, otiantur per tres menses, scilicet, nonaginta integros dies plus minus uel 86.

A vigilia Natiuitatis inclusiue vsque ad Circumcisionem, per octo dies.

A die jouis seu mercurii ante quadragesimam vsque ad diem cinerum inclusiue, per 7 vel 8 dies.

A sabbatho ante dominicam palmarum inclusiue, vel aliquando a vespere, vel a dominica ipsa palmarum, vsque ad dominicam primam post Pascha, per 15 vel 16 dies.

Die lunae proximo ante Ascensionem non legitur, et in vigilia Ascensionis aliquando legitur vesperi, aliquando tantum mane.

A vigilia Pentecostes, hoc est, die sabbathi inclusiue, vsque ad diem dominicam post Pentecosten, per 9 dies.

Vigilia Corporis Xpi. inferiores legunt etiam vesperi, superiores solum mane. In quadam die octauae Corporis Xpi., cum processio transit per collegium, non solet doceri.

Dies dominicae et mercurii totius anni sunt 104; demptis iis diebus, qui incidunt in supradictis vacationum diebus, relinquuntur, facta supputatione, 80.

---

[1] Ex autographo P. Ledesmae in *cod. Rom. stud., II,* ff. 209 et 210 In margine numerus dierum vel mensium, de quibus fit mentio in singulis paragraphis, scriptus est.

Dies festi, quibus non docetur in collegio, connumerando omnia mobilia festa et immobilia cum aliquibus vigiliis, quibus non docetur aut solum per medium diem, sunt 56 vel 57, plus minus, dies. Demptis uero, qui incidunt in praedictis temporibus vacationum et in praedictis quoque diebus dominicis et mercurii, relinquuntur 22, plus minus.

Extra ordinem, ob varias causas, fere singulis annis accidit vt semel vel bis non doceatur, aut per medios aliquos dies.

Summa omnium dierum, quibus non docetur, 238 vel 239 dies.

Ex trecentis ergo sexaginta sex diebus anni, solum docetur in classibus superioribus, etiam vsque ad rhetoricam, diebus 136 vel 128.

Item, professores, qui docent vesperi, cum non doceant die sabbathi cuiusque hebdomadae, scilicet semel in hebdomada, ablatis auferendis et facta supputatione, rursus non docent per alios 20 dies, plus minus. Ita solum in anno hic docebunt diebus 116 vel 108.

Inscriptio. Videntur scripta P. Jacobi Ledesmae manu.

In alio folio. P. Jacobi Ledesmae manu. Videntur asseruanda.

56

ORDINATIONES N. P. GENERALIS

PRO COLLEGIO GERMANICO ET SEMINARIO [1]

1. Scripturam et controuersias non docebit unus atque idem, sed alius Scripturam, alius controuersias.

2. Ex instituto audiunt theologiam scholasticam, siue ex nostro collegio, siue ex Germanico, siue ex Seminario: duobus annis prioribus audient cum scholastica etiam Scripturam, posterioribus controuersias loco Scripturae.

3. Positiui nostri audient semper Scripturam et casus conscientiae.

[1] Ex apographo, in *cod. Rom. stud.*, *II*, ff. 304-307. Verba tituli «pro collegio Germanico et Seminario» a nobis addita sunt.

4. Collegii autem Germanici positiui semper audiant Scripturam, controuersias et casus conscientiae.

†

1. Collegium Germanicum et Seminarium in studiis, lectionibus, repetitionibus et aliis exercitiis literariis eum seruent ordinem, quem seruat collegium Romanum. Hunc autem ordinem praefecti accipient a praefecto collegii Romani. Quod si aliquid immutandum eis uideretur, non faciant inconsulto Prouinciali.

2. In collegiis praedictis noua lectio aut nouum aliud exercitium literarum non inducatur inconsulto Prouinciali; et nihil publice recitetur coram externis uel in publicum edatur, quod non prius uiderit et probauerit praefectus collegii Romani.

3. Scholastici praedictorum collegiorum illas tantum lectiones audient, quas, praecedente examine, iudicauerit praefectus collegii Romani, et, quoad fieri potest, seruent ordinem praescriptum a suis praeceptoribus in compositionibus et aliis similibus; et hoc ipsum curent praefecti et repetitores diligenter obseruare.

4. Rectores non [ad]scribant [aliquem] nostrorum alicui muneri non assueto, inconsulto Prouinciali: quin etiam eos, qui mittuntur ad eos, eidem officio praeficiant, ad quod a Prouinciali fuerant destinati.

5. Cum scholastici ex infirmitate uel necessitate alia lectiones intermiserint, praefecti illorum per aliquem moneant praeceptorem uel praefectum collegii Romani.

6. Curent Rectores ut praefecti catalogum faciant eorum, qui in quauis facultate ascripti sunt, et illum tradant Prouinciali uel praefecto.

7. Quae pertinent ad studia, cuiusmodi sunt repetitiones, compositiones et emendationes, non exerceantur per externos praefectos sine licentia Prouincialis.

†

AUISI PER LI COADIUTORI DELLI MAESTRI

1. Il suo offitio è proprio di procurare che la scola habia immagine et stia netta; che tutti li banchi stiano per ordine, et che

ue ne siano a sufficientia segnati, acciò si distinguano dalli altri delle altre scole, et che li rotti si acconcino, et che li nostri habbino banchi separati dalli altri, quanto si può; et quando si pigliano banchi per altri della classe, si riportino al tempo debito.

2. Habbia cura de auuisare quelli che hanno da disputare, repetere et tenere conclusione, et fare altri seruitii, secondo gli sarà ordinato.

3. Ogni sabbato, finite le dispute, auisi a chi tocca a sostenere la settimana sequente, et che le conclusione al più tardi siano fatte il martedì; et darle al maestro per emendarle; et il giorno sequente le mostri al prefetto; et, uiste et emendate, ne faccia far tante copie, quante saranno necessarie secondo l' ordinario de collegio; et uno essemplare di miglior lettera si atacchi in publico il uenerdì mattina, et l' altre distribuirà alli argumentanti.

4. Se uederà alcuno mancare nelle lettioni, repetitioni o dispute, o altro mancamento che in classe si facesse, auiserà il Superiore.

Brunelli manu in fol. 307r. Omnino asseruanda.

Ejusdem manu in fol. 307v. Haec possunt asseruari.

57

Jhesus. Maria.

TEMPORE VACATIONUM

QUID AGENT SCHOLASTICI IN COLLEGIO GERMANICO ET SEMINARIO [1]

PHILOSOPHI ET DIALECTICI

Ordine repetunt ab initio illius anni audita, praesertim quaestiones, interpretationem vero textus apud se: ac, si non possint omnia repetere, saltem praecipuas materias, selectas juditio praeceptoris et praefecti.

Cotidie mane conueniunt per horam, et vesperi per horam cum dimidia, et sit aliquis qui eis praesit, si fieri possit; sin au-

[1] Ex autographo P. Ledesmae, in *cod. Rom. stud., II*, fol. 275. In summa ora haec addidit P. Brunelli: «Vtilia esse possunt et Ms. P. Ledesmae.»

tem, ipsi inter se uicissim praesint, vel ex eis aliquis aetate senior et doctior. Matutina hora repetant vnus vel duo vel tres; vnus, inquam, toto tempore, vel singuli per quartam aut tertiam horae consequenter lectiones. Vesperi primo repetit vnus, deinde tres alii contra illum disputabunt. Praefectus studiorum ordine constituet personas et lectionem.

RHETORES ET HUMANIORES

1. Matutino tempore componant et carmine et prosa alternis, vel vna die carmine, duabus sequentibus prosa, dato argumento eodem omnibus, et idem poterit esse argumentum carminis et prosae orationis, per horam cum dimidia; et deinde per aliam dimidiam se praeparent ad repetenda graeca audita, Clenardum scilicet et authorem.

2. Postea convenient per horam cum suo repetitore, in qua vnus legat lectionem Clenardi, incipiendo ab initio, deinde ipse vel alter lectionem alteram authoris. Residuum temporis ex condiscipulis aliqui interrogare poterunt, etiam qui docuit, aliqua circa id, maxime vero annotata a praeceptore.

3. Vesperi prius se praeparant, deinde per horam similiter repetunt artem rhetoricam et orationem Ciceronis auditam, ita vt vnus habeat lectionem ex praeceptis rhetoricae, et ipse vel alter orationis alteram, referendo dictata et annotata a praeceptore. Reliquo tempore, si quod superest, dabunt quoque *compositioni vel lectioni* historiae.

Die sabbati, vel die dominica vesperi, disputabunt de rebus repetitis in ea hebdomada. Id fit duplici modo: Unus modus erit, qui valde scholasticos solet afficere laetitia et plurimum excitare aemulationem, scilicet: constitutis duobus binariis equalibus in doctrina, plus minus, et isti duplici modo certantes, altero in graecis, altero in latinis, interrogantibus et respondentibus ex auditis tantum et notatis a praeceptore: *explica,* tu *scis;* et adiudicatur uictoria vni ex primo binario, deinde alteri ex secundo binario; deinde isti duo victores inter se congrediuntur similiter, et tandem adiudicatur uictoria omnium vni tantum. Alter disputandi modus erit: altero die sabbati, affixis thesibus rhetoricae ex

auditis et repetitis, disputabunt, non tam dialectice, quam ornate proponendo et ornate respondendo.

Ordinem personarum statuet praefectus studiorum Germanici, et poterit vti iuditio vel consilio magistri illius scholae: repetitor vero praesit.

HUMANIORES

Eodem fere modo, praeter has vltimi generis disputationes.

38

†
Jhus.

REGULAE PREFECTI STUDIORUM

QUI IN VNIUERSITATIBUS ERIT ETIAM CANCELLARIUS [1].

DE EXAMINE.—CAP. PRIMUM

[1.] Ad curam suam Prefectus pertinere sciat, per examen explorare num illi, qui ad studia nostra ueniunt, idonei sint qui admittantur; regulas etiam ac statuta obseruanda proponere; et postquam se eis uelle parere dixerint, decernere in qua quisque scola audire debeat.

2. Curet diligenter ne quis in ullo auditorio uersetur, ad quod ineptus uideatur, quod non in humanioribus tantum disciplinis, sed etiam cum philosophiae auditoribus seruetur.

3. Nomina eorum, qui admittuntur, in catalogum suum referat; in vniuersitatibus autem seruetur Constit. 4 par., c. 17, § 3.

4. Preter hoc examen singulorum aduentantium, alterum

---

[1] Ex apographo in cod. *Miscell. de regul. S. J.*, duplici folio, sub n. 19. Hae regulae cum illis, quas supra, pp. 307-312, dedimus, conferri debent, nam in multis omnino conveniunt: in illo exemplari decem regulae sunt, quae in hoc desiderantur; contra vero, quatuor regulae hujus monumenti, sub nn. 4, 15, 18 et 26 positae, in illo non reperiuntur. Regulae hujus monumenti, numeris [1], 2, 3, 5, 6, 7, 8 et 9 signatae, capiti I alterius respondent: quae numeros 21, 22, 23, 25 et 27 habent, capiti II: quae numeros 10, 11, 12, 13, 14 et 28, capiti III; tandem quae numeros 16, 17, 19 et 20, capiti IV. Valde inacurate scriptum est; eadem enim verba aliquando cum diphtongis, aliquando sine illis exarata sunt.

est vniuersale, quod statis anni temporibus fieri curet, prout in ordine studiorum constitutum est.

5. Examen vniuersale hoc potissimum modo fieri debet: singula dictata classibus singulis uernacula lingua, in latinum uertenda, uel solummodo themata pro ratione cuiusque classis, proponantur. Caueri autem diligenter debet, ne quis inter componendum laborem ab alio suffuretur.

6. Compositionibus absolutis, non solum ipsi, qui composuerunt, subscribent, uerum etiam eorum preceptores, quid de singulis censeant; et ad quam classem arbitrentur remittendos, ibidem adscribant.

7. Persuadeant sibi omnes nullum hic gratiae locum esse debere, multoque minus discipulis incommodaturum, si inferius, quam meritum est eorum, relinquantur, quam si gradum unum supra uires efferantur.

8. Post hanc compositionem singuli a Prefecto aut ab alio, si ipse non poterit, examinentur. Tum demum eius, qui examinatus est, compositioni Prefectus, audito examinatore, si ipse eum non examinasset, dum recens memoria est, judicium suum adscribat, classemque ei decernat.

9. Postquam omnium scholasticorum nouum fecerit catalogum, singulorum nomina in proprias cuiusque classes redigens, cuique preceptorum eos e[x]scribendos dabit, qui ad eum pertinebunt.

DE SCHOLARUM PROGRESSU.—CAP. 2.UM

10. Singulis diebus modo hanc modo illam classem uisitet; et animaduertat quanam ratione, cum in lectionibus, tum in literariis concertationibus, magistri et discipuli sese gerant. Cum autem admonendum aliquem duxerit, ea moderatione ac prudentia id faciat, ut animos potius addat, quam debilitet.

11. Curet Prefectus ut omnes illi regulas suas, quas ipse habere debet, obseruent.

12. Quae omnibus scholasticis obseruanda sunt, in loco publico affigi curet; quae uero scholis singulis prescribuntur, eisdem, ut commode legi possint, reponantur.

13. Cum intelliget aliquem ex his, qui in Societate aliquando fuerunt, ad scolas uenire, moneat Superiorem, ut quid sit faciendum constituat.

14. Vt explicetur doctrina xpiana. curet, iuxta Const., 4 p., c. 16., et ut confessarii scolasticorum eos instituant, qua ratione conscientiam suam examinent, orent, ut cum spirituali fructu ad confessionem, sacram sinaxim et missae sacrificium accedant. Videat etiam ut ex magistris unus cum externis scholasticis missae intersit.

15. Qui ex scholasticis externis facile compelli possunt, compellantur ad id, quod in ipsorum regulis prestare iubentur: aliis amanter quidem persuadere conuenit, sed ad id non cogantur; nec, si id non prestiterint, a scholis expellantur, dum tamen nec dissoluti nec aliis offendiculo esse uideantur.

16. Inspiciat quibus ex nostris scholasticis priuatum studium conueniat, et quid leggere, quosque libros habere debeant, et Rectorem moneat iuxta Constit., 4 part., cap. 6, § 14; et cum externis, quoad fieri poterit, idem obseruetur.

17. Scholasticis nostris separatus ab externis locus in scholis sit.

18. Videat si cui ex nostris, qui philosophiae aut theologiae operam dant, aliquid temporis diebus feriatis concedendum sit, quod tuendis humanioribus litteris impendat.

19. Nullus ex nostris preceptoribus plus duabus horis et dimidia ante prandium, et totidem pomeridianis, in gymnasio apud discipulos maneat. Absoluent igitur quotidie suarum lectionum pensum horis ad summum quinque.

20. Intelligat Prefectus studiorum regimen ita a se pendere, ut nihil, quod maioris momenti [sit], inconsulto Rectore, statuere debeat.

21. Curet ut, quae publice habendae sunt orationes, gymnasii totius dignitati et auditorum expectationi respondeant. Illa presertim singulari industria est elaboranda oratio, quae de more in anniuersaria studiorum instauratione habetur. Quae cum in eodem propemodum argumento semper uersetur, ne fastidio esse incipiat, noua aliqua artis ac dispositionis ratione condienda est.

22. In hac studiorum innouatione, quocumque ea tempore peragetur, coniuncta cum religiosa moderatione celebritas adhibeatur. Poëmata latino graecoque sermone, et orationes, preceptorum lima expolite, parietibus gymnasii recto ordine affigantur. Si autem dialogi uel comediae exhibende fuerint, ne eo loco indignae uideantur, animaduertat. Ex his autem omnibus, quae electiora iudicabuntur, in quodam collegii libro asseruanda scribantur.

23. Eodem potissimum tempore diligentissimo cuique premia magno iudicio dari deberent, ubi id commode fieri posse uideretur.

24. Auctorum, qui sunt in scolis interpretandi, nomina in ualuis classium inscribantur; positiones etiam ibidem figantur pridie eius diei, quo erunt defendendae.

25. In publicis actibus et in singulis classibus, cum Prefectus studiorum aderit, Superioris locum habebit. Studeat tamen preceptorum auctoritatem apud alios tueri.

26. Eiusdem erit in actibus et disputationibus publicis cuique locum in argumentando tribuere, argumentantibus silentium indicare, et ubi se aliquis importune ingereret, modeste compescere.

27. Cum ad gradus artium aut theologiae aliqui erunt Superiorum iudicio promouendi, Prefectus eos gradus conferet. Animaduerti tamen diligenter debet, ut actus examenque, sicut in ordine studiorum prescriptum est, fiant.

quia, ut dictum est, proprie [a] cum illis pulchre conueniunt, nisi quod plures habeamus pro necessitate temporis et loci: tum quod pueri nostri illis suis legibus iam ita assueverant, ut illarum immutatio et pueris sit molesta, et nobis incommoda fore videretur. Denique quod nihil continerent regulae collegii Germanici praeter nostras, quod hic facile induci posse videretur; id, quod euidenter apparebit ex rationibus, quas huc adscribam, cur non obseruemus quaedam, quae illis regulis continentur.

Ac primum, in recipiendis pueris cogimur, importunitate atque adeo auctoritate multorum, quibus contradicere nobis non est integrum, recipere puellos tenerioris aetatis, qui neque corporis sui neque vestium curam habere possunt. Sed hoc ab incommodo facile nos leuant famuli, quibus omnis ea cura ab illorum parentibus committitur: reliqua, quae sunt in prima regula, ad unguem obseruantur [b].

Quod dicitur in secunda, aliquandiu receptos in collegium retinendos esse domi, quoadusque didicerint examinare conscientiam et peccata anteactae vitae fuerint confessi, seruatur quidem, sed non eodem modo quo Romae. Nam cum non habeamus collegium distinctum a scholis, non possunt domi retineri, aliis in scholas contendentibus. Deinde, quicumque huc adducuntur a parentibus ipsis, parentibus urgentibus hoc, statim admittuntur ad scholas; nihil tamen prius discunt, quam conscientiam examinare, instituere confessionem, et caetera, quae sunt pietatis, instantibus nostris, vt ea primo quoque tempore praestent. Ut autem hoc aliter hic observetur, videtur fieri non posse, aut certe fiet cum minore fructu, quam iam fit, et cum multis calumniis.

Tertia regula omnino seruatur, sicut et quarta, nisi quod in orationibus quotidianis non exigatur ab eis vt dicant horas beatae Virginis; nisi tantum diebus festis, propterea quod tempus iis horis recitandis non suppetit.

In septima, quod habetur de modestia seruanda in eundo et

---

a *In ms. non* proprie, *sed* prie. *legitur, quod quisque pro libito interpretari potest.*

b *In margine:* Huius regulae collegii Germanici vt ratio habeatur, petiuit a me P. N. in mense Februarii 85.

redeundo ad collegium, hic non habet locum, quia habemus scholas domi. Reliqua seruantur.

Dein, quod habetur in vndecima, de curanda mundicia cubiculorum, non seruatur, quia hic ea cura non est puerorum, sed famulorum.

Quod vero habetur de vna hora post prandium et altera post coenam recreationi danda, hic non seruatur; nam diebus ferialibus habent tantum duos quadrantes, et diebus iovis tantum a prandio vacant. Nam cum initio vellemus duas horas dare more romano, murmuratum est grauiter contra nos, vt necesse fuerit illud mutare. Similiter etiam de die iovis, qui nunquam integer conceditur in hac uniuersitate, nisi cum itur rusticatum.

92

EX REGULIS

QUAE SUMMA SAPIENTIA DICUNTUR [1]

IN REGULAS PRAEFECTI STUDIORUM

1. Statuta collegii ita sunt proponenda, vt legantur ab iis scholasticis, qui admittuntur. Siquidem bene legere norint, vel saltem a praefecto iis explicentur praecipua capita. Vbi vero quis examinatus est, accipiet schedulam a praefecto suscriptam, in qua scriptum sit: Audiat talis in tali classe etc.; quam, qui admittitur, dabit praeceptori suo.

14. Singuli praeceptores doctrinam christianam explicent semel in hebdomada in sua quisque classe, per modum praelectionis; in duabus inferioribus gallice, in aliis latine.

In missae sacrificio, vt pueri modesti sint, singuli praeceptores suos prope se, ab aliis distinctos, habere curent, eosque monere vt habeant preces horarias vel coronas, et ne discedant nisi absoluto euangelio *In principio erat Verbum*. Moneantur etiam vt, post sacrum, semel recitent Pater et Aue pro fundatoribus.

---

[1] Ex apographo, in *cod. Paris.*, ff. 28 et 29. Titulus totius monumenti, cujus pars sunt sequentes regulae, hic est: «Ex regulis, quae Summa Sapientia dicuntur.» Nomen auctoris omnino praetermittitur. Integrum scriptum habetur in ff. 20-29.

Cum pueri adeunt confessionem, dent nomen suum scriptum confessario, vt praeceptori ostendatur. Videretur etiam expedire vt, ante praecipuas solennitates, aliquoties in anno haberentur exhortationes ad scholasticos, ipsis accommodatae, etc.

22. Raro habeantur comediae vel tragoediae, hoc est 2 vel 3 quoque anno. Dialogi vero possent semel quolibet anno exhiberi, si videatur expedire. Ita statuit Pater noster in congreg. Procur. anno 1571.

24. In classibus theologicis, philosophicis et rhetoricae tantum fieri solent theses; sed theologicae et phylosophicae affiguntur extra classes, rhetoricae vero in classe.

IN REGULAS PRAECEPTORUM

3. In classibus inferioribus rhetoricae et dialecticae, quando facile et cum aedificatione fieri poterit, non praetermittatur illa oratio *Clementissime Pater...* et mane et vespere ac post praelectiones. Mane, quando scholastici se conferunt ad sacrum, non videtur opus esse ut orent in classe; a prandio tamen recitabunt *Salue Regina* cum illa collecta *Gratiam tuam* etc. [a].

8. Expediret vt singuli praeceptores suauiter suis discipulis [persuaderent] [b] vt adferrent catalogum suorum librorum, vt praeceptores viderent num aliqui inter illos sint prohibiti vel lasciui.

12. Omnes praeceptores simul egrediantur ad classes, advertatque aliquis superiorum aut praefectus num aliqui sint tardiores.

15. Praeceptores non infringent hanc regulam, si quando mittent aliquem accersitum absentes.

18. Affigentur in bibliotheca propositiones illae philosophicae ac theologicae, quas Pater noster defendi prohibuit, quas vide parte altera, folio 8 [2].

---

[2] Refertur, ut notum est, ad propositiones theologicas et philosophicas, quas defendere in Societate prohibuit S. Franciscus de Borja. Vide supra, quae de illis dicuntur, pp. 540-569.

a *Haec sequebantur, quae cancellata sunt:* In infima classe adiungetur etiam Pater noster, Ave et Credo, aut praecepta Dei et Ecclesiae.

b *Desideratur hoc aut simile verbum in ms.*

22. Id intelligendum est etiam cum extra scholam suos discipulos alloquuntur.

IN REGULAS SCHOLASTICORUM

Quando plures sunt scholastici de nostris in vna classe, praecedant praeceptorem; si vero sit tantum unus, eat simul cum eo.

Scholastici nostri recitent in classe, uti alii externi; et eorum scriptiones etiam publice emendentur a praeceptore, cum viderit expedire et facere ad aedificationem.

IN REGULAS CORRECTORIS

P. N. Generalis [3] statuit anno 1571 vt omnino in hac prouincia inducerentur correctores.

93

DE VACATIONIBUS IN PROVINCIA FRANCIAE [1]

A principio Nouembris vsque ad initium Februarii, mane datur primum signum praelectionum hora 7.ma, et quadrante post, praeceptores ingrediuntur, et hora nona cum dimidia egrediuntur.

Ab initio Julii vsque ad instaurationem studiorum legitur tantum per duas horas, tum mane, tum vesperi [a].

Dies mercurii ordinarie est quieti deputatus. Si vero contingat aliquod festum die lunae, nihilominus vacabunt praeceptores die iouis; at si accidat die sabbati, vacabunt die mercurii; si autem aliis diebus, nullus alius dies erit illa hebdomada quieti destinatus, sicut nec quando sunt duo festi dies in hebdomada.

Praeceptores non legunt iis diebus festis, qui in tota ciuitate

---

[3] S. Franciscus de Borja, III Praepositus generalis S. J.

[1] Ex apographo, in *cod. Paris.*, fol. 34. Integrum hoc monumentum cancellatum est. In margine haec sunt exarata: «Haec sunt aliorum collegiorum, nam hic classium horae non mutantur, quia est magnum priuilegium, quod horis ordinariis academiae legamus. Habet autem hoc collegium peculiarem librum iis de rebus.»

a *In margine:* Hoc seruatur hic etiam.

seruantur, aut saltem in parecia, in qua est collegium. Habeatur autem catalogus festorum et affigatur alicubi.

A vigilia Natiuitatis inclusiue usque ad secundam Januarii exclusive vacant theologi. Reliqui vero legunt iis diebus profestis, qui contingunt infra octauam Natiuitatis.

Die lunae et martis ante 40.am, et die cinerum mane, non legitur.

Ante Pascha, a die mercurii post prandium inclusiue usque ad octauam Paschae, vacant theologi, philosophi, rhetores et humanistae [b]; reliqui vero legunt iis diebus profestis [c], quae sunt infra octauam Paschae. Idem fit a vigilia Pentecostes inclusiue usque ad octauam.

Die sabbati toto anno legitur tantum per duas horas a prandio.

Ante instaurationem studiorum, quae ordinarie fit initio Octobris, theologi et philosophi vacant per tres hebdomadas ; rhetores et humanistae per 15 dies; reliqui vero per octo [d].

In vigiliis Circumcisionis, Epiphaniae, Ascensionis, Corporis Xpi., Joannis Baptistae, Assumptionis et omnium Sanctorum, non legitur a prandio, sed tantum mane [e].

In rogationibus praeceptores legunt tantum per horam mane, vbi id commode fieri potest, vt nimirum scholastici possint ire ad supplicationes [f].

A festo divi Joannis vsque ad studiorum instaurationem vacant omnes praeceptores die recreationis tum mane, tum vesperi. Mane tamen haberi poterit quaedam praelectio extraordinaria [g].

---

b *In margine:* Eadem hic ratio rhetorum et reliquorum politioris litteraturae praeceptorum.

c *In margine:* Hic legunt statim post festa Pentecostes.

d *In margine:* Theologi hic vacant a festo D. Joannis ad 8 Octobris; philosophi ab Assumptione B. Virginis; reliqui a 15 Septembris ad primum Octobris. Interim pueri faciunt suas lectiones et repetitiones.

e *In margine:* Hic in aliis profestis.

f *In margine:* Hic non eunt ad supplicationes, et legitur ut aliis diebus: recitantur tamen litaniae ante sacrum.

g *In margine:* Hic servatur.

94

FORMULA PRECATIONIS

QUA VTUNTUR SCHOLASTICI NOSTRARUM CLASSIUM INITIO PRAELECTIONUM [1]

Clementissime Pater, infunde nobis, per meritum Iesu Xpi., filii tui, Spiritus sancti gratiam, qua intellectus noster liberalibus disciplinis plenius illustretur, quas in diuinum tuum honorem, et aliquando ad nostram et tuae Ecclesiae sacrosanctae vtilitatem, conuertere possimus. Amen.

95

EX VISITATIONE P. CLAUDII MATTHAEI ANNO 1576 [2]

SCHOLAE

Vt praeceptores leuentur onere repetitionum, quae a prandio, hora 12.[a], fieri solent, scholastici primae et secundae classis simul faciant repetitiones ex grammatica graeca: tertiae et quartae simul etiam ex syntaxi latina, praeteritis et supinis: quintae et sextae simul ex declinationibus, generibus et rudimentis [a].

Non est opus vt fiant repetitiones die sabbati hora 12.[a], quandoquidem mane non enarrantur authores, sed recitantur memoriter praelectiones totius hebdomadae [b].

Curetur vt corrector, qui hic praesidens dicitur, praesto sit cum castigandi sunt pueri; habeatur tamen ratio praelectionum ipsius, ne ab illis frequenter abesse cogatur.

Metaphysicus, cum non habeat classem propriam, ne aliis philosophiae praeceptoribus impedimento sit, neue ordinem domus perturbet, docebit mane ab octaua usque ad nonam, et a prandio a 3.[a] vsque ad 4.[am], quintam aut circiter.

---

[1] Ex apographo, in *cod. Paris.*, fol. 37 v.

[2] Ex apographo, in *cod. Paris.*, ff. 49-52. P. Claudius Mathieu Praepositus Provincialis Franciae fuit annis 1574-1582. Vide CARREZ, *Catalogi*.

a *In margine:* Non successit.

b *Duo praecedentes paragraphi cancellati sunt.*

Theologus praeleget hora nona matutina usque [c] ad sesqui decimam [d].

In singulis classibus theologiae et philosophiae constituatur aliquis, qui eos, qui debent argumentari vel tueri theses, moneat ex praescripto magistri [e], quique theses ostendat praefecto studiorum antequam affigantur publice.

Disputationes generales habebuntur singulis mensibus, semel ordinarie, aliquo die sabbathi, vel, si fuerit festum, veneris, mane quidem in theologia, a nona vsque ad sesquidecimam, quibus intererunt omnes philosophiae praeceptores, parati ad argumentandum, si opus sit. Vesperi vero a secunda vsque ad quintam, quibus intererunt theologi, tum magistri tum discipuli, parati etiam ad argumentandum, si opus sit.

Singulis diebus sabbathi, nisi sint duo festi dies in hebdomada, habebuntur in singulis classibus theologiae et philosophiae privatae disputationes a prandio, a 3.ª vsque ad 5.am [f].

Non permittatur vt scholastici vnius classis conferant se in aliam classem absque facultate Rectoris aut praefecti studiorum. Si quem vero deprehendant praeceptores, eum moneant et praefectum studiorum, vt vel in sua classe perseueret, vel vt alio se conferat ad praelectiones audiendas.

Omnes praeceptores obediant suo praefecto, nec immutent ordinem, aut quicquam introducant in classe, quod non contineatur in regulis, et in ea ratione docendi, quae singulis praeceptoribus data [est], quam Rector curabit affigi in suggestu cuiusque classis.

Hujusmodi [g] in suis disputationibus sint modestiores, caueantque sibi a verbis et gestibus immodestis, et quae alios pungere, perstringere, irridere vel contemnere videantur, vel quae alios ad risum moueant; hoc enim religiosos non decet; sed po-

---

c usque vsque, *ms*.

d *Praecedentes duo paragraphi cancellati sunt*.

e mri., *ms*.

f *Praecedentes duo paragraphi, a verbis* Disputationes generales, *cancellati sunt*.

g *Non clare apparet utrum legendum sit* hujusmodi; *est enim signum valde simile litterae* s, *et post illud distincte scriptum* hõi.

tius nos aedificare studeant. Cum vero imponitur illis silentium a praefecto, id non moleste ferant, sed statim taceant, eique sint obedientissimi in iis, quae spectant ad eius officium.

Si qui haeretici versabuntur in nostris scholis, erunt priuatim monendi, vt recipiscant vel alio se conferant.

96

VISITATIO COLLEGII PARISIENSIS

FACTA PER R. P. M. JOHANNEM MALDONATUM

ANNO DOMINI 1579 [1]

REGULAE PRAEFECTI STUDIORUM

Rector. 21. Hactenus orationem consueuit habere in renouatione studiorum is, qui primam classem moderatur.

Consultores. 21. Visum est consultoribus non esse in ea re seruandam certam consuetudinem, sed debere Superiorem eam curam dare ei, qui optime eo officio fungi possit, quisquis ille sit, vt cum maiore dignitate collegii fiat.

Visitator. 21. Fiat; sed ne introducatur consuetudo, vt certus aliquis eam orationem habeat. Conuenit praeterea, vt et eius orationis et earum omnium, quae publice erunt recitandae, argumentum, antequam componantur, praefectus intelligat, vt videat num grauitate collegii dignum sit, ne compositionis opera perdatur.

Rector. 22. Hactenus nulla tragoedia vel comoedia exhibita est in hoc collegio publice.

---

[1] Ex originali, in *cod. Paris.*, ff. 41-45. Quae a nobis eduntur, scilicet ea, quae ad studia referuntur, in ultimis duobus foliis habentur. Singulae paginae tribus columnis constant, quarum hi sunt tituli: 1.ª «Quae Rector in singulis regulis aut interrogatus respondit, aut sponte proposuit.» 2.ª «Quae consultores, in rebus dubiis interrogati, responderunt.» 3.ª «Quae Visitator constituit.» Nos dispositionem seu ordinem scripti mutavimus, additis simpliciter titulis, «Rector, Consultores, Visitator». Tertia columna autographa est P. Visitatoris, J. Maldonati, qui haec, sub finem scripti, propria manu exaravit: «Quae in tertia columna mea manu scripta sunt, partim a R. P. N. Praeposito generali, Euerardo Mercuriano, constituta, partim a me, eius nomine, ordinata, et ab ipso visa et approbata sunt. J. Maldonatus ⁂.»

Consultores. 22. Consultores iudicarunt non esse nunc exhibendam propter multas difficultates, quibus ea res plena est, ne aliquis tumultus in collegio excitetur. Idemque censuerunt de priuatis versibus affigendis in renouatione studiorum.

Rector. 23. Praemia non dantur hic, quia non est qui det.

REGULAE PRAECEPTORUM

Rector. 3. Oratio fit in omnibus classibus initio et fine praelectionis, praeterquam in prima et in philosophia et in theologia.

Consultores. 3. Visum est consultoribus, etiam in prima classe et posse et debere induci hanc consuetudinem.

Visitator. 3. Tentetur paullatim.

REGULAE CLASSIUM

5.ª *classis*.

Rector. 7. Haec classis bipartita est propter multitudinem puerorum. A sexta in quintam mittuntur 3.ᵉ quoque mense qui apti sunt, vt regula praescribit. A 5.ª vero in 4.ᵃᵐ nonnisi 6.ᵒ quoque mense, quia 4.ª est adeo plena, vt locus non sit, praeterquam quod paulo est altior.

Visitator. 7. Examinentur tamen auditores quintae classis tertio quoque mense, ut regula jubet, ut si qui apti reperiantur, promoveantur ad 4.ᵃᵐ, ne tempus perdant.

Prima classis.

Rector. 3. Praeceptores primae classis non manent in classe per quinque horas, sed per quatuor tantum; quia dicunt se premi grauitate lectionum, deinde habere quotidie unam horam repetitionum extrahordinariam.

Consultores. 3. Cum res proposita esset consultoribus, pares fuerunt vtrinque sententiae.

Visitator. 3. Tolletur; sed detur opera ut saltem convictores, ea dimidiata hora, quae superest, in classe componant.

REGULAE SCHOLASTICORUM EXTERNORUM

Rector. 4. Curia regis statuit superiore anno, vt omnes scholastici gestarent pileos et togas talares, quod, quamuis caetera collegia non seruarint, sed potius contra curiam causam obtinuerint, tamen hactenus, quod fieri potuit, seruari curauimus.

Consultores. 4. Propositum est consultoribus, an ea consuetudo retinenda esset, quia aliqui ad nostrum collegium non veniunt. Visum est illis non solum retinendam, sed etiam augendam esse; id est, non solum ad scholas, sed etiam ad ceteros actus omnes, qui in collegio fiunt, scholasticos cum pileo et toga venire debere.

Visitator. 4. Fiat, quandoquidem potest.

REGULAE CORRECTORIS

Rector. 1. In hoc collegio corrector hactenus vocatus est praeses, quia ita vocatur in aliis collegiis Parisiensibus.

Consultores. 1. Visum est consultoribus, non esse appellandum aliter quam correctorem, cum nunc sine incommodo id fieri posse videatur.

DE PHILOSOPHIA

Rector. 1. Nonnulli philosophi docent paradoxa.

Visitator. 1. Abstineant ab iis, quae Romae notata sunt. In caeteris questionibus, maximeque iis, quae religioni confines sunt, vt de anima, de origine mundi, si quis quid sentit contra receptas opiniones, ne prius doceat, quam cum Superiore communicauerit. De reliquis moneantur.

Rector. 2. Philosophi nimium theologiae miscent.

Rector. 3. Nimium dictant.

Rector. 4. Singulis diebus sabbathi solebant fieri priuatae dis-

putationes in singulis classibus philosophiae, quae nunc saepe non fiunt.

Visitator. 4. Fiant.

Rector. 5. In publicis disputationibus, quae mensibus singulis fiunt, non seruatur modus, qui olim seruabatur, vt bis contra singulos disputaretur, dum nonnulli nimis longi sunt.

Visitator. 5. Curet praefectus, vt vnum argumentum non occupet nisi dimidiam horam; et si solutum non est, soluat, vt omnes disputare possint [a].

Rector. 6. Menstruae disputationes non fiunt hic, nisi tantum a prandio et per tres horas. Aliqui vero praeceptores vellent fieri per totum diem, sicut fieri dicunt Romae.

Consultores. 6. Re cum consultoribus et praeceptoribus plene tractata, maior eorum pars iudicauit, non conuenire vt per totum diem fiant.

Visitator. 6. Ne fiant nunc per integrum diem; poterunt tamen per quatuor horas a prandio fieri, si omnes praeceptores consentiant.

Rector. 7. Philosophi solebant interesse theologorum disputationibus, quod facere destiterunt, quia perdebant tempus.

Visitator. 7. Solus metaphysicus interesse poterit, qui multos communiter habet auditores, et naturalem tractat theologiam.

Rector. 8. Introducta est consuetudo ante sex annos, vt qui cursum absoluerunt, tam nostri quam externi, generales disputationes habeant. Dubitatur an consuetudo retinenda sit, et quot permittendi sint deffendere. An theses imprimendae; an amici inuitandi; an aliqui, qui praeceptores non sunt, disputare debeant.

Visitator. 8. Retineatur consuetudo; sed ne solam philosophiam docere videamur, aliquae etiam theologiae disputationes

---

[a] *Sequentes tres paragraphi, numero 6 notati, cancellati sunt.*

eodem tempore habeantur. Habeantur etiam in studiorum renouatione disputationes generales et celebres in philosophia et theologia, quae a solis nostris deffendantur. Poterunt theses imprimi, et amici inuitari ad actum; disputare vero omnes, quos Superior iudicauerit.

Rector. 9. An mutanda sit hora repetitionum philosophiae; quia hora duodecima fiunt, qua rari auditores veniunt.

Consultores. 9. Consultores et maior pars praeceptorum iudicarunt non posse commodiore hora fieri.

Visitator. 9. Ne mutetur nunc [b].

Rector. 10. An concedendum sit philosophis integer recreationis dies.

Consultores. 10. Visum est consultoribus non esse concedendum.

Visitator. 10. Ne concedatur, nisi alicui aliquando valetudinis causa.

DE THEOLOGIA

Rector. 1. Propositum est consultoribus, quot lectiones hic conueniret esse in theologia.

Consultores. 1. Omnes responderunt, et ad maiorem gloriam Dei, et ad augendam auctoritatem Societatis, quatuor esse debere: duas scholasticas, unam Scripturae, et unam de casibus conscientiae, saltem bis in hebdomade ; posseque id facile fieri sine maiore sumptu collegii.

Visitator. 1. P. N. hoc consilium valde probat, modo idonei sint praeceptores ; de qua re vult certior fieri, antequam novae lectiones introducantur.

Rector. 2. Quae exercitationes in theologia habendae sint.

Visitator. 2. Singulis diebus repetitiones, diebus sabbathi

---

[b] *Sequentes tres paragraphi, numero 10 notati, cancellati sunt.*

priuatae disputationes, singulis mensibus generales, sub festum D. Joannis celebres, in renouatione studiorum celeberrimae.

Rector. 3. Quas vacationes theologi habere debeant; nam hactenus in festo D. Johannis consueuerunt finem facere docendi.

Visitator. 3. Potest ea consuetudo retineri; sed poterit aliquis iunior theologus, post festum D. Joannis aliquid docere : poterit item theologo, qui mane docet, integer dies recreationis dari.

Rector. 4. Nostri theologi conqueruntur, quod non habeant auditores ex nostris, qui possunt esse quasi fundamentum classis theologicae ad respondendum et disputandum; et si quos habent aliquando, facile remoueri.

Visitator. 4. Voluntas Patris nostri est vt, qui ingenio ad theologiam apti erunt, ad theologiam mature applicentur, nec in aliis studiis detineantur, etiamsi per aliquod tempus aliqua..... [c] sint, et vt nemo, si fieri potest, philosophiam doceat, qui non quatuor aut, vt minimum, tres annos, theologiam audierit.

Rector. 5. Si sint quatuor lectiones theologiae, an nostri debeant omnes audire.

Visitator. 5. Qui eo erunt ingenio, vt boni theologi esse posse videantur, duobus primis annis non audient, nisi duas lectiones scholasticae theologiae; aliis duobus, praeter eas, audient Scripturam et casus conscientiae. Neque applicandi ad theologiam sunt, nisi philosophiam gnauiter et fructuose audiuerint. Si vero non tam cito sacerdotes facturi sunt, poterunt a lectione casuum liberari. Alii, qui vere theologi esse non posse videbuntur, audient tantum Scripturam et casus conscientiae, et si quid aliud erit morale, per duos annos : nec erit necesse vt philosophiam audierint. Cauendum etiam erit ne, qui euadere theologi possunt, in concionibus occupentur, nisi admodum raro.

---

[c] *Abscisa est charta, et videtur integer versus desiderari, nam aliquarum litterarum apices perspiciuntur*.

97

INSTRUCTIO PRIMARII

CONUICTORUM PARISIENSIUM DATA ANNO 1579 [1]

1. Primarius conuictorum est veluti prorector, habetque pro suo superiore immediato Rectorem collegii Parisiensis.

2. Ex officio Rectoris ea notabit capita, quae ipsum iuuare possunt ad gubernationem eorum ex nostris, qui cum conuictoribus habitant, curabitque vt fratres nostri communes regulas Societatis et suorum officiorum diligenter in Domino obseruent, et illis, pro commissis contra regulas, poenitentias iniunget, quas facient in superiori collegio; extraordinarias vero aut grauiores neque imponet neque concedet, inconsulto Rectore, ad quem eos pro huiusmodi poenitentiis remittet.

3. Qui ex nostris sunt cum conuictoribus, viuant Societatis more, et separatas portiones habeant, vt in collegio, vestianturque a Primario pro Societatis consuetudine, vt sit vniformitas inter nostros; nec quicquam illis concedatur extraordinarium in victu, vestitu, studiis et aliis occupationibus. Nec Primarius cum illis dispenset in aliqua regula, neque iubeat illos mutare cubicula, exercitia aut officia, quae illis a Rectore demandata sunt, ipso Rectore collegii inconsulto.

4. Cum quispiam e nostris aegrotauerit in collegio conuictorum, mittatur in collegium Societatis, vt ibi tractetur quoad victum, medicinas et alia, impensis collegii conuictorum.

5. Nec Primarius nec alii in vrbem egredientur sine Rectoris facultate, a quo socios petent, cum egredi quis fuerit. Quando tamen exeundum est cum pueris, siue ad concionem, siue quo alio eant, poterunt ex solius Primarii potestate egredi *sine socio, modo pueri sint saltem duo, non pauciores*, quia P. N. ita declarauit [a].

---

[1] Ex apographo, in *cod. Paris.*, fol. 52. Integrum hoc scriptum cancellatum est

[a] *In margine:* Pater Odo addit: non facile utendum esse hac concessione. *Quae italicis characteribus sunt notata, in manu scripto lineam habent subductam.*

6. Si quando extraordinarie aliqui conuictores rusticatum mittantur, forisque sint aut pransuri, aut forte pernoctaturi, nostri cum illis non mittantur. Rarissime autem id conuictoribus permittatur; sitque inter illos semper aliquis ex modestioribus, qui aliorum curam habere possit.

7. Praefectus studiorum exercebit suum officium erga conuictores, sicut erga scholasticos externos, illosque, cum promouendi sunt, examinabit, et classem ipse cuique decernet. Vbi tamen catalogum confecerit promouendorum, eum dabit Primario, vt ipse suis significet, in quam quisque classem ire debeat. Aliqua vero exercitia, quae sunt conuictoribus peculiaria, quaeque non publice, sed inter ipsos tantum conuictores habentur, vt scriptiones, declamationes in mensa et praelectiones, quae tempore intermissionis studiorum fieri solent, ex Primarii praescripto fient.

8. Primarius nullum puerum vel famulum admittet aut dimittet sine peculiari, aut saltem generali, Rectoris facultate.

9. Pater noster statuit vt rationes rei pecuniariae conuictorum seiunctae essent a rationibus collegii Societatis; id quod posthac diligenter obseruandum erit eo modo, quo in visitatione sua statuit P. Maldonatus. Primarius tamen et procurator tertio quoque mense reddent Rectori rationem accepti et expensi, vel si cui hoc negotium commiserit. Pecuniae vero asseruabuntur a Primario et procuratore convictorum, qui etiam curabit vt annona pro conuictoribus suo tempore ematur, consulto tamen Rectore in rebus maioris momenti.

98

VISITATIO R. P. ODONIS PROVINCIALIS

ANNI 1585, MENSIBUS APRILI, JUNIO ET JULIO [1]

SCHOLAE [2]

1. Quia speramus breui ad nos mittendam studiorum for-

[1] Ex apographo in *cod. Paris.*, ff. 53-55. P. Odo Pigenat, provinciae Franciae Praepositus fuit annis 1582-1592. Vide CARREZ, *Catalogi*.

[2] Cancellati sunt hujus capitis sequentes paragraphi: 2, 5, 6, 12 et 15.

mam, multa, quae sint proposita, in illud tempus differantur; si tamen ante Remigialia non habeatur, haec seruabuntur.

2. Casus conscientiae bis solum in hebdomada legentur, idque a prandio et per sesquihoram P. Alfonsus aggredietur; I p. D. Thomae P. Hieronymus; 3.ª alia theologiae lectio non erit.

3. Repetitiones more solito fient hora 12 ad 1.am

4. Singulis diebus sabbathi fient in theologia disputationes, altera hebdomada mane, altera sero; nec minus temporis quam sesquihora impendatur.

5. Menstruae theologorum et philosophorum disputationes fient in posterum a prandio, idque alternis hebdomadibus, vt utrisque praefectus studiorum possit adesse.

6. Qui profitetur theologiam a prandio, non amplius docebit mane in profestis diebus, vt superiori anno factum est. Vt autem tempus illud compensari possit, leget ante vespertinas preces illis diebus per sesquihoram, exceptis quibusdam diebus, quibus nec mane legitur.

7. Moniti sunt theologiae professores, ne physicis et minus necessariis diutius inhaereant; sicque suas lectiones temperent, vt singulis annis pensum praescriptum absoluant; spatio autem 4 annorum totum cursum iuxta Constitutiones. Denique vt suis auditoribus se accommodent, nec scriptis eos grauent et alienent, qua in re et ipse Pater Rector et praefectus studiorum aduigilabit.

8. In philosophia erit etiam curandum ne in theologicis immorentur, et praeterea vt in ipsius et theologiae disputationibus contentiones vitentur et mordacia verba; atque in ea re inuigilet praefectus studiorum et ipse etiam Rector, nam illud maxime commendauit R. P. N.

9. Curent etiam vt philosophi abstineant ab iis, quae propria sunt medicorum, maxime quae ad generationem spectant, nullaque anatomia illis permittatur; id enim prohibuit P. N., multumque nocere possunt adolescentibus huiusmodi tractatus.

10. In prima classe doceantur graeca maximo studio, integraque hora in iis explicandis impendatur. Sunt enim multi, qui

ob eam solam linguam altero anno in ea classe remaneant, qui etiam de ea re sunt conquesti, quod plus temporis in illis litteris non consumeretur. Habeatur etiam maior ratio dictionis et styli in ea classe, quam varietatis rerum; sunt enim illa maxime propria illius classis.

11. Quae a conuictoribus componuntur vt exhibeantur, emendentur a praeceptoribus classium earum. Exerceantur vero actores ab aliquo alio, a Rectore designato, ne ipsorum praeceptorunt studia impediantur.

12. Ter solum in anno eiusmodi actiones exhibeantur: in festo Regum, carnispriuii, et festo D. Joannis Baptistae aut apostolorum Petri et Pauli; quibus temporibus, primi tragoediam in Epiphania, secundi comoediam in bachanalibus, tertii aeglogam aut dialogum in altera dictarum solemnitatum poterunt exhibere.

13. Quater in anno fiant celebres in collegio declamationes, quarum penultima, aut vltima, a secundis fieri posset, idque in genere demonstratiuo; in illis autem omnibus graeca cum latinis, poëmata cum orationibus, misceantur; nec prius componantur, quam de argumento et tota oeconomia cum praefecto studiorum et Rectore actum sit, statimque alteri classico communicetur.

14. Praefectus studiorum diligentius seruet regulam sui officii; nec precibus parentum aut pedagogorum inducatur, vt indignos promoueat ad altiorem gradum, cuique rei et ipse Rector et primarius etiam rationem habebunt. Seruentur autem pro conuictoribus ea, quae ab antecessore Prouinciali praescripta sunt, annno 1579, art. 7.°, in instructione Primarii [3].

15. Quod ad vacationes attinet, donec a P. N. aliud statuatur, theologi relinquuntur in suis priuilegiis; philosophi vero docebunt, iuxta libri classium ordinem, 1.ª die post dies festos Natiuitatis, Paschae et Pentecostes, et aliis diebus, qui ibidem notantur. Fient etiam illis diebus repetitiones.

---

[3] Scilicet, in praecedenti monumento, n. 97.

CONVICTORES [4]

1. Maxima adhibeatur cura, vt conuictorum numerus imminuatur atque, si fieri potest, ad 200 reducantur; tum quia incommode habitant et comedunt, tum etiam quia, Deo volente, proximo anno deiiciendae sunt aliquae aedes ad sacellum aedificandum.

2. In eorum numerum nemo in posterum admittatur, qui 10.um non attigerit annum, easque habeat qualitates, quae requiruntur, vt qui ad nostras scholas admittatur; maxima vero, legere nouerit et scribere.

3. Qui ex aliis collegiis a parentibus educuntur, non facile admittantur vt nostrae disciplinae tradantur, nisi id et ipsi desiderent, atque studio profic[i]endi petant.

4. Nemo propter aetatem grandiorem aut nationem recusetur, modo caetera adsint, quae in studioso adolescente requiruntur, velitque regulas seruare. Caeteris tamen paribus, praeferantur qui, propter nobilitatem aut alias causas, plus reipublicae profuturi creduntur.

5. Qui grandiores sunt, si fieri possit, separatim in aliqua collegii parte habitent, habeantque praefectos, qui aetate et doctrina caeteros antecellant, vt maiore authoritate contineantur.

6. Dum in eadem classe praefecti cum conuictoribus versantur, praesente praeceptore, non illos reprehendant, sed tantum deferant ad primarium, si quid immodestius in eo loco agant.

7. Licet omnibus conuictoribus sint ad obseruationem propositae regulae, epicheia tamen ac magna prudentia est opus, vt dexteritate potius ac ratione grandiores in officio retineantur, quam minis et summo iure. Videant tamen qui praesunt, ne nimia negligentia ac indulgentia collabatur collegii disciplina, quae tantopere ipsum apud omnes commendat.

8. Bis in anno Issiacum recreationis ergo possunt deduci

---

[4] Hujus capitis cancellati sunt sequentes paragraphi: 1, 2, 8, 13, 17, 20, 22 et 23.

conuictores; paruuli tamen et delicatiores, aut rhedis vehantur, aut non ducantur.

9. Grandioribus etiam aliquando, sed admodum raro, nec eodem tempore, nec plusquam bis in anno ad summum, et magno cum delectu, permitti posset, vt per diem integrum deni vel duodeni cum aliquibus praefectis, vel etiam soli rusticarentur; non dormiant tamen foris, redeantque ante noctem.

10. Praeter has deambulationes, debent pro more, saltem 15 quoque die, deduci extra vrbem, si serena sit dies; verum cum viget aestus, id mane fiat, circiter horam 6.am, nec vltra duas horas, aut tres ad summum, foris esse permittantur. Pueruli autem separati ab aliis deducantur, et ab immoderatis cursitationibus et exercitiis omnes retineantur.

11. Qui cum illis habitant ex nostris, procurent magno illi aetati esse exemplo; sicque inter se esse vniformes studeant in pueris regendis, vt nec nimia familiaritate alii, alii nimia seueritate, illis obsint: quae mediocritas facilius seruabitur, si praescriptas illis et nostris regulas diligenter seruent, et suarum in ea parte actionum velut amussim proponant.

12. Inter ea vero, quae maxime cauere debent, illud primum est, ne cum illis nec domi nec foris ludant; ne coram se gallice loqui, vel aliud contra regulas et modestiam facere permittant, quin aut verbo aut signo id sibi displicere ostendant, etiamsi non sint ex suo cubiculo; si tamen eorum cubiculi praefectus adsit, id faciendum illi relinquent.

13. Cum faerulis praesunt (praesunt autem iuxta ordinem a me probatum), videant vt omnia pro dignitate ac disciplinae conseruatione fiant. Caueant tamen ne fastu quodam aut arrogantia, immoderatiorique reprehensione, ira et castigatione, astantes offendant; neminem percutiant. Quod si quis proteruior inueniatur, satis erit causam illius ad iudicium primarii reiicere, quam cum eo altercari immoderate.

14. In sacello retineatur ea puerorum per classes dispositio, quae hac visitatione instituta est, nec quicquam aliud de ordine ac modo procedendi mutetur, antequam cum Prouinciali conferatur.

15. Cum nostri superioris collegii eunt Issiacum ad recreationem, poterunt vicissim mitti aliqui praefecti conuictorum cum illis, aut etiam separati, illorum impensis.

16. Moneantur ipsi praefecti, ne se difficiles praebeant in ducendis extra vrbem, recreationis causa, pueris; quod si per occupationes non liceat, praemoneant primarium, vt cum aliis mittere possit.

17. Externi rarissime ad prandium aut coenam inuitentur. Vbi autem id officium praestandum esset, aut cum pueris comedant, aut in collegio superiore priuata mensa excipiantur.

18. Qui benedixerit mensae sacerdos, idem gratias agat, etiamsi primarius adsit.

19. Nostris, qui sunt in capite mensarum, vasculum vini apponatur, tum quia remotiores sunt a vase communi, tum quia pro aliquibus vinum puerorum nimis est lymphatum.

20. Nostri sacerdotes, qui habitant cum conuictoribus, cyathis bibant, vt fit in collegio superiori.

21. Qui recitant suas compositiones in aula, non reprehendantur publice, sed privatim, si sit necesse.

22. Videat P. R. an in alio loco, quam in penu, nostri sumere possent ientaculum.

23. Tempore recreationis, nostri ne haereant in illo vestibulo, quo tenditur ad triclinium, nec in alio loco, vbi transeuntes impediant.

24. Eleemosynae, quae in oratorio hebdomadae sanctae inueniuntur, dentur praefectis pauperum, vt illis bibliotheca instruatur; dentur et aliquae cereae candelae, quae in eorum oratoriis incendantur.

Laus Deo Virginique Matri.

Anno 1586 mansit aliquamdiu P. Prouincialis in collegio Parisiensi; sed cum pararet se ad visitationem, mense Junio vocatus est Romam a Patre nostro.

99

PARISIENSIS COLLEGII VISITATIO

A R. P. LAURENTIO MAGIO FACTA [1]

†
Jhs

Die 6.ª Julii 1587 venit in collegium Parisiense R. Pater Laurentius Magius, a R. P. nostro Generali Claudio Aquauiva visitator prouinciarum Gallicarum constitutus.

CIRCA STUDIA

1. Vniuersa studiorum oeconomia per praefectos studiorum immediate administretur, nec permittatur vt quispiam se in ipsorum officium ingerat. Eorum vero regulae, sicut et professorum omnium, ut exacte seruentur, cura diligens adhibeatur ; scholarum etiam, quoad eius fieri poterit.

2. Nullus e nostris, qui mediocri saltem non sit ingenio, in philosophia et theologia audienda occupetur, sed, vel casibus conscientiae pro confessionibus audiendis studeat, vel, si in lingua latina, quantum satis est, profecerit, eam docere contentus sit.

3. Quocirca, praeter examen, quod haberi solet in promotione rhetorum ad logicam, vt sciatur an solida in lingua latina et humanioribus litteris fundamenta iecerint, nostri omnino post logicae summulam, summumue dialecticam explicatam (a quarum saltem priore audienda nulli, ne futuri quidem casuistae, sunt arcendi), iterum examinentur et simul omnes et seuere quidem, ut singulorum facultas et habilitas innotescat, et ex ea iudicetur, quatuor saltem aut quinque Patrum arbitrio, quibus quisque ministeriis addicendus sit [a].

4. Si qui autem deprehensi fuerint, qui ab ingenii mediocritate non longe absint, et magnam prae se ferant indolem ad regendum, vel ad concionandum, non arceantur a philosophiae ac

---

[1] Ex *cod. Paris.*, ff. 56-74. Ea tantum praetermittimus, quae ad studia nullo modo pertinent. Caput *Circa studia* incipit fol. 60.

[a] *In margine:* Paulo aliter in ordine studiorum.

theologiae studio, nisi magna appareat inaequalitas, quae illorum tranquillitatem postea perturbet, si contingat eos aliquando a studiis desistere debere.

5. Qui studiis seu theologicis seu philosophicis idonei iudicati sunt, et in illis vtiliter versantur, ii sine summa, quae excusari non possit, necessitate, a suis studiis ne auocentur, vt in aliis functionibus occupentur, sed sua studia perficere permittantur; nec quispiam illorum, ante finem tertii anni theologiae, ad sacros ordines promoueatur.

6. Qui in studio philosophiae praestantes euaserunt, et spes est vt etiam in theologia non minus proficiant, ii, absoluto philosophiae curriculo, sine interruptione, ad theologiam audiendam (si caeterae non desint) promoueantur. Qui vero, finito philosophiae cursu, scholis regendis praeficiuntur et ad studia theologica idonei sunt, non ideo prolixe in ea docendi occupatione detineantur, vt taedio affecti et priorum studiorum obliti, ad superiora studia inepti reddantur. Sed neque ante philosophiae cursum, qui illi audiendo apti sunt, in docendo consenescant.

7. Philosophiae ac theologiae facultates a propriis professoribus, non cursim nec per compendia, sed exacte ac solide tractentur. Quaestiones autem curiosae, parum honestae, quales sunt anatomicae, aut ad rem non multum pertinentes, omnino praetermittantur, neque vllo modo nouae aut periculosae opiniones tolerentur. Et professores philosophiae, quantum fieri poterit, theologica studia prius absoluerint, quam philosophiam doceant.

8. In studiorum renouatione, theologi professores deinceps initium dicendi ipso primo renouationis die simul cum aliis faciant; et philosophi eadem hora, qua theologi, quotidie docere aggrediantur.

9. Primo renouationis studiorum die professores, expeditis praefationibus, si quas habuerint, suas lectiones auspicentur, si multum temporis superfuerit. Pomeridianae autem repetitiones bidui aut tridui spatio praetermittantur, vt sit sufficiens materia, quae repetatur; et cum primum habebuntur, praeceptores suos discipulos admoneant, quae expedire iudicauerint de ratione studendi ac repetendi.

10. Compendium dialecticae extraordinario tempore deinceps ne legatur, sed sufficiet initio cursus philosophici summulam seu introductionem explicare, in qua exponenda professor non diu immoretur. Cursus vero circa finem Julii, vel certe non ante Junii finem, finis imponatur [b].

11. In repetitionibus theologicis ac philosophicis, quae quotidie a prandio haberi solent, praeter disputationem, fiat primo loco diligens ac summaria lectionis repetitio ab omnibus discipulis per vices.

12. Diebus sabbati, pomeridianae repetitiones in omnibus classibus praemittantur, et dimidia hora citius solito vesperi ad finem scholarum pulsetur. Caeteris diebus nihil temporis detrahatur.

13. Sabbatinae disputationes (quas liberum erit professoribus habere, uel, iis intermissis, docere, quando contigerit in hebdomada biduo non doceri) philosophicae quidem omnes fiant pomeridiano tempore, quamdiu in omnibus classibus docetur, unico tamen in singulis disputationibus respondente ; theologiae vero alternis sabbatis, ab alterutro professorum, ita ut matutinus professor suas faciat mane per totum scholarum tempus, et pomeridianus legat a prandio. Vicissim pomeridianus faciat suas post prandium, durantibus omnium classium lectionibus, et matutinus mane legat, et unus tantum in singulis disputationibus respondeat. Nec amplius ante disputationes quicquam doceatur aut dictetur, sed totum tempus in disputationibus ponatur. Et hae disputationes alio, quam sabbati, die non fiant.

14. Menstruae disputationes generales theologicae et philosophicae fiant mane et a prandio per totum tempus, quo in omnibus classibus docetur, praeside in theologicis vtroque professore, ac duobus eorum discipulis respondentibus; in philosophicis uero, praesidibus tribus professoribus, ac totidem eorum discipulis respondentibus, in quibus semper unus e superiore schola contra inferioris scholae discipulum argumentetur vna cum respondentis condiscipulo, excepto metaphysico, aduersus quem duo con-

---

[b] *In margine:* Aliter in ordine studiorum.

discipuli, quando theologus omnino adesse nequiuerit, argumentari poterunt. Hae vero disputationes menstruae sabbati tantum die habeantur.

15. Singulis diebus dominicis (exceptis iis, in quos incurrunt solennia Christi ac B. Virginis, item Pentecostes et omnium Sanctorum festa, dominicis quoque in albis et infra octauam Natalis Domini) post prandium, non solum a philosophis, sed etiam a theologis, per horam et (si fieri potest) dimidiam habeantur disputationes, quae tamen tunc intermitti poterunt, quando pridie habitae fuerint generales totius mensis disputationes.

16. In huiusmodi dominicalibus disputationibus, per duos, plus minus, menses ante finem cursus, soli metaphysici, qui publice defendere debebunt, per vices exerceantur, propositis a quolibet illorum thesibus, tum de his quae audiunt, tum de logica et physica, ut se ad defendendum praeparent; et contra illos argumentetur condiscipulus physicus et logicus; uicissim etiam theologus loco condiscipuli.

17. Alias in huiusmodi disputationibus, cum metaphysicus defendit, proponat item theses ex physica et logica, et contra eum argumententur theologus vel condiscipulus de metaphysicis, et physicus de physicis et logicis; et si per tempus licuerit, etiam logicus de logicis. Physicus etiam suo die proponat theses ex physica et logica, et contra eum argumententur metaphysicus et condiscipulus de physicis et logicis; item logicus de logicis. Logicus vero suo die theses logicas proponat, et contra eum argumententur metaphysicus, physicus et unus ex condiscipulis. Et hoc semper obseruetur, vt, qui theses ponit ex superiore facultate, ponat etiam ex inferiore, accommodatas iis, quae eo tempore docentur.

18. Vacationum tempore fiant repetitiones in theologia et philosophia quotidie, saltem vsque ad festum Natiuitatis B. Virginis, quibus diebus alias doceri solet, praesente magistro, de his, quae toto anno excepta sunt, aliqua hora commoda pomeridiana, ad quas etiam externi admitti poterunt.

19. In disputationibus liberum sit magistris, quando simul conueniunt, argumentari contra se mutuo, etiam logico contra

metaphysicum, modo contentiose non agant, nec se inuicem verbis mordeant, sed patienter se vicissim audiant et breuiter expediant, a re proposita non digredientes.

20. Qui ad finem cursus publice defendere debebunt, non solum ex nostris et pauperibus et conuictoribus, sed etiam ex scholaribus externis collegii esse poterunt, dummodo bene examinati et approbati fuerint [c]. Numerus vero horum, qui defensuri sunt, nullus definiatur, sed pro aptitudine illorum et temporis commoditate plures aut pauciores defendant, et quidem singuli tantum in singulis disputationibus, quarum quaeuis tres horas non excedat.

21. Eaedem theses imprimantur pro nostris omnibus, qui eas in fine cursus propugnaturi sunt, authorum nominibus non expressis, sed satis ad id sit nomen Jesu, et ut intelligatur in nostro collegio propugnari. In catalogis etiam lectionum nomina nostrorum professorum subticeantur.

22. In huiusmodi solennibus theologiae ac philosopiae disputationibus, ex nostris, quam fieri potest, paucissimi argumententur, sed inuitentur externi, qui id officii praestent [d]. Condiscipuli quoque, et contra philosophum, praeter condiscipulos, studiosi theologiae ad disputandum admittantur, ne professores argumentari cogantur. Ante omnia vero theses offerantur viris primariis, qui aderunt, et Patribus, et responsuro atque argumentaturis aliisque publice honoris causa, et aliquot praeterea exemplaria hinc inde pro aliis dispergantur.

23. Casuum conscientiae lectio quotidie habeatur mane, hora prima lectionum, pro nostris et externis, et a prandio fiat eiusdem lectionis exacta repetitio more theologicae post theologorum repetitionem aliaue hora commoda. Bis vero singulis hebdomadis, quandiu vnica tantum lectio cassuum habebitur, instituantur practicae eorumdem casuum conscientiae, quibus nostri tantum casuistae, ac sacerdotes omnes, qui poterunt, intersint.

24. Bis vero singulis hebdomadis, quandiu vnica tantum lectio casuum habebitur, instituantur practicae eorumdem casuum

---

c *In margine:* Paulo aliter in ordine studiorum.

d *Id.* Paullo aliter in ordine studiorum.

conferentiae, quibus nostri tantum casuistae ac sacerdotes omnes, qui poterunt, intersint. Cum vero Scripturae lectio, quam casuistae audient, instituetur, tunc vna conferentia sufficere poterit.

25. Theologi tertii anni audiant matutinam lectionem casuum conscientiae, ad cuius tamen pomeridianam repetitionem et conferentias domesticas non obligantur, cum satis sit eos theologiae interesse; cum autem Scripturae lectio instituetur, non casus, sed Scripturam; theologi vero primi et secundi anni casuum eamdem lectionem audient.

26. Studiosis theologiae dentur hi tantum libri: biblia, Magister sententiarum, concilium Tridentinum, summa D. Thomae, uel saltem eae partes quae explicantur, ac praeterea, iudicio magistri, cum approbatione praefecti, praesertim si duos iam annos in theologia posuerunt, quispiam alius ex scholasticis. Illis uero, qui dant operam casibus concientiae, iidem libri tradantur, excepto D. Thoma, cuius loco habeant aliquem casuistam, judicio magistri, cum approbatione praefecti. Studiosis philosophiae dentur Aristotelis libri, qui exponuntur, ac etiam plures, si suppetent. Praeterea Toletus, Fonseca, et aliquis interpres, suo quisque tempore, iudicio magistri, cum approbatione praefecti; et omnibus nonnulli humaniorum et graecarum litterarum libri, iudicio praefecti, ut, quibus diebus vacatur, aliquid temporis iis studiis tribuant.

27. Lectiones ordinarias, et litterarias quasuis exercitationes, nostris relinquere nullo modo permittatur, nec quispiam ab illis sine summa necessitate eximatur. Lectiones vero non nisi graui de causa intermittantur, neque vacationes facile concedantur.

28. In singulis humaniorum litterarum scholis usque ad infimam inclusiue, deinceps graece doceatur, seruata proportione cuiusque classis, et eius linguae magna cura habeatur.

29. Posthac in quadragesima, inferiorum classium magistri ne doceant hora sexta matutina cum tanto incommodo et labore; sed hora nona docere aggredientes, finem suis lectionibus imponant hora undecima et dimidiata, sicut vesperi hora quinta cum dimidia, exceptis diebus sabbati, ut supra numero 12. Superiores autem classes vna hora tardius solito, videlicet casuum nona,

caeterae 10.ª docere incipiant, et idem aliis ieiuniorum diebus obseruetur.

30. Pomeridiana lectionum repetitio quadragesimae ac ieiuniorum tempore in omnibus humaniorum litterarum classibus, partim in dimidiam horam anteprandianam post XI.am, partim in alteram dimidiam vespertinam post quintam (exceptis diebus sabbati, ut supra n. 12) transferatur et a propriis magistris fiat. In classibus uero theologiae ac philosophiae eadem repetitio, post absolutas earum lectiones vespertinas, per dimidiam saltem horam fiat, donec de huius repetitionis ratione ac tempore aliud constituatur.

31. In classe rhetorices praeceptorum lectio nunquam intermittatur, nec vllo modo ea doceantur, quae ad rationem illius scholae non pertinent. Singulis vero sextis feriis doctrina christiana, sicut in aliis classibus, explicetur; tametsi obligandi non sunt discipuli, ut eam memoriter recitent [e].

32. Declamationes omnes, quas, a suis professoribus compositas, rhetorices ac humanitatis studiosi solenniter recitant, eiusmodi sint, quae cum eruditione pietatem redoleant: et illae vix in theatro per modum scoenae at iudicii agantur, sed oratorie sine scoenico apparatu ordinarie pronuntientur, et quidem non diebus, quibus docendum est, sed aliquo die festo non celebri. Magistri vero, qui has declamationes scripserunt, cum declamatoribus ne conuiuentur.

33. Sit integer dies hebdomadariae recreationis pro omnibus classibus a Paschate, quando non sunt duo festa in hebdomade, aut vnum cum dimidio (ut cum fit Rectoris vniuersitatis processio, ac vespertinae preces in aliquo festi peruigilio decantantur), aut demum vnum, cum incidit in feriam quartam uel quintam. Reliquo anni tempore post Remigialia, a prandio tantum vacetur, exceptis theologis et philosophis, quibus liberum erit etiam mane vacare uel docere; quibus uacantibus caeteri professores per duas tantum horas in schola versentur.

34. Remissiones studiorum in aestate pro theologis et phi-

---

e *In margine:* Alias in ordine studiorum.

losophis nullae introducantur, cum caloris vehementia hic esse diuturna non soleat, sed vacetur duobus ad summum mensibus, inchoatis uacationibus ad calendas Augusti.

35. Caeterae vero classes a festo D. Joannis Baptistae, ut hactenus consueverunt, binis horis tantum in opere versentur, tum mane (superioribus classibus dimidia hora citius solito suas lectiones inchoantibus), tum vespere, hoc addito, vt simul vna lectio detrahatur, ne tempus scholasticis exercitationibus subtrahatur. Mense autem Septembri prima et secunda classis tribus hebdomadis; caeterae omnes duabus vacent.

36. Quod ad Natalitiam vacationem attinet, superiores omnes classes, etiam theologica, doceant vsque ad uigiliam Natalis Domini exclusive, et lectiones suas resumant postridie Epiphaniae. In paschali vero, a dominica palmarum vsque ad dominicam in albis, vt hactenus, vacare possunt. In caeteris scholis, hoc binae vacationis tempore duabus tantum horis ante et totidem post prandium magistri occupentur. De caeteris huiusmodi particularibus vacationibus servetur collegii consuetudo, atque in omnibus pares sint philosophi cum theologis.

37. Quando calendae Octobris in diem dominicum vel lunae inciderint, instauratio studiorum fiat die lunae; si uero die martis aut mercurii erunt calendae, ipso calendarum die lectiones inchoentur. Quod si in diem jovis aut veneris uel sabbati calendas incidere contigerit, tunc proximo die lunae studiorum initium fiat, habita prius elaborata de studiis litterarum oratione ab aliquo e nostris, siue primae siue secundae magister sit, siue alius quispiam idoneus.

38. Professio fidei, iuxta decretum et formulam Pii IIII, quotannis fiat, circa studiorum instaurationem, a nostris omnibus Patribus, professoribus, scholasticis, simul in sacello domestico, ubi litaniae recitentur ante altare, flexis genibus, Superiore praesente, caeteris omnibus eadem repetentibus, quousque ad vltima iuramenti verba perueniatur, quae singuli, manu posita super apertum missale, pronuntiabunt.

39. Nostrorum scripta, praeter ea, quae excipiuntur in dies in scholis, et quidem condiscipulis externis ne facile mutuo den-

tur. Nostri uero in cubiculis nihil scriptitent, nec multitudine aliorum scriptorum sine facultate Superioris et iudicio praefecti ac praeceptoris vtantur.

40. Praeceptores sacerdotes excipiendis confessionibus, quoad eius fieri potest, non grauentur, ut toti esse possint suis studiis, quo suis auditoribus pro dignitate officii satisfaciant.

41. Quo tempore uel sacra fiunt in sacello scholarum, uel lectiones habentur in omnibus gymnasiis, nullus in area scholarum inambulare permittatur, quod Superioribus ac studiorum praefectis maxime commendatum sit.

42. Pro scamnis, campana, scholis, scholarumue fenestris conseruandis aut reficiendis, nihil omnino a scholaribus corrogetur aut accipiatur, sed collegium ea omnia praestet. Pro conuictoribus tamen poterunt esse certa scamna, quae eorum collegium illis paret ac etiam reficiat. Quod si extra tempus lectionum conuictores aliquid frangant in iis classibus, quibus ad agendam recreationem vtuntur, id ipsi resarciant.

43. Pro candelis, quae scholaribus necessariae sunt in classibus ad audiendas lectiones hyemales, licet illis pecuniam indicere, quae tamen omnino curandum est ne in nostras illa manus veniat, sed statim emantur candelae, quarum quaeque classis suam partem apud se clausam habeat. Si quid vero illius pecuniae supererit, in vsum illorum aut pauperum, et quidem ordinarie Claromontanorum nostrorum, tantum conuertetur. Quod ad nostros scholasticos attinet, collegium superius suis, suis item inferius prouideat.

44. Instituatur circa festum D. Joannis Baptistae exercitatio magistrorum, hoc est, in qua, qui docere debent, docendi munus doceantur, ac tum habeant lectiones suas in refectorio. Hi vero sint rhetores, et qui illo anno philosophiae cursum absoluent, nisi ad theologiam audiendam immediate destinentur.

45. Quaecumque de studiis superius ordinata sunt, ita obseruentur, donec formula studiorum Societatis confirmata huc mittatur; cui si quid ex his minus consonum esse deprehensum fuerit, secundum illam omnino emendetur, vel etiam expungatur.

In caeteris vero, quae in his ordinationibus non attinguntur, consuetudo collegii obseruetur.

CATALOGUS DIERUM QUIBUS DOCETUR CATECHISMUS

Omnibus diebus dominicis, exceptis tribus, uidelicet palmarum, Resurrectionis, Pentecostes, et iis, in quos incidit publica supplicatio, vel festum aliquod Christi Domini aut Beatissimae Virginis, omniumue Sanctorum.

Diebus item festis sequentibus docetur:

S. Matthiae, 24 Februarii.
Feria 2.ª post Pascha.
SS. Philippi et Jacobi, 1 Maii.
Feria 2.ª post Pentecosten.

S. Barnabae	11	Junii.
S. Joannis Baptistae	24	
SS. Petri et Pauli	29	
S. Mariae Magdalenae	22	Julii.
S. Jacobi Apostoli	25	
S. Laurentii	10	Augusti.
S. Bartholomaei	24	
S. Dionysii	9	Octobris.
S. Lucae Euangelistae	18	
SS. Simonis et Judae	28	
S. Martini	11	Novembris.
S. Andreae	30	
S. Thomae Apostoli	21	Decembris.
S. Stephani	26	
S. Joannis Apostoli	27	

Caeteri dies festi omittuntur. Docetur uero a quadrante post octauam usque ad nonam.

CIRCA ISSIACANAM RECREATIONEM

1. Cum Issiacum locus sit maxime opportunus, ut illuc se nostri recipiant, non solum recreationis gratia, sed etiam ad pericula pestilentiae deuitanda, illius magna cura habeatur, et hor-

tus bene colatur, atque habitationes ad commodiorem collegii usum subinde aptentur.

2. Quia domus, qua vtimur, cum horto et prato adiuncto, nostris vsibus satis superque sufficere uidetur, altera domus cum agris locari potest, vt fit, sic tamen, vt omnino separata maneat, sicuti iam est, nec vllus transitus interius fiat in pariete, vtramque domum et aream cum hortis diuidente, quandiu eam locari contigerit. Pratum vero, quod ex opposita parte domui nostrae ac horto adiacet, non locetur, sed pro vsibus nostris retineatur.

3. Nostri Issiacum mittantur recreatum hac ratione. In hyeme, quo tempore vacari solet per dimidium tantum hebdomadae diem, non nisi semel intra Natalitia festa die aliquo feriali; semel item aliquo die carnis priuii illic prandium sumant. A Paschate uero usque ad Remigialia, illic prandeant ordinarie diebus recreationis hebdomadariae: sed a Pentecoste ad Assumptionem saltem B. Virginis, etiam coenent.

4. Cum Issiacum eundum fuerit (quod diebus festis celebribus fieri non debet), mittantur omnes, qui ire poterunt, praesertim qui literis dant operam, et qui praeterea eiusmodi recreationis indigent. Caeteri etiam coadiutores saltem per vices eant. Superiores quoque collegii semper illis adsint similiter per vices.

5. In aestate summo mane ex collegio illuc discedatur, nempe audito sacro, statim post dimidiam horam matutinae orationis, quam postea Issiaci perficiant. Aliqui tamen sacerdotes cum assignatis sociis ante praedictum sacrum dimitti poterunt, qui Issiaci in domestico sacello sacrificent, ne nimis tarde e collegio discedere cogantur.

6. Qui vero domi mansuri sunt, absoluant sine interruptione suam orationem, ad cuius etiam finem signum dabitur, et ad omnia quoque alia suo tempore, perinde ac si caeteri adessent. In mensa tamen legatur tunc alius aliquis liber, ne ordinariae lectionis contextus filumque impediatur; et interdiu suam recreationem et reliqua, sicut caeteri, habeant; nihil tamen in mensa cantetur.

7. Euntibus Issiacum concedi potest ut digrediantur ambulationis causa, si qui id petant, dummodo frequentiam hominum, et loca minus conuenientia deuitent. Interdiu vero nullus egredi

spatiandi causa facile permittatur, ne ob aestus feruorem valetudo periclitetur.

8. Ientaculum detur Issiaci, non in collegio, nisi forsan aliqui tarde discedant, uel alioqui egeant. Neque vero opus est expectare, ut omnes Issiaci conuenerint, quo illis simul ientaculum detur, sed, prout peruẽniunt ac petunt, a decreto distributore detur, quod constitutum fuerit.

9. Habeatur Issiaci catalogus nostrorum, non secus ac in collegio, prope ianuam domus, vt singuli aduenientes notari possint, ac detrahi illorum signa cum discedunt.

10. Quandiu nostri Issiaci sunt, curam ianuae, quae claue obserata semper sit, aliquis habeat, qui nullum externum introducat, neminem e nostris ante tempus dimittat, sine peculiari facultate.

11. Ad examen antemeridianum Issiaci ne pulsetur, nec quispiam ad illud obligetur: nemo tamen illud facere prohibeatur, sed cuiusque arbitrio ac deuotioni liberum id relinquatur.

12. Ad vtramque mensam, tam prandii quam coenae, pulsetur, benedicatur, gratiae dentur, silentium seruetur, singulis sua detur separata cibi portio, prout in collegio fieri solet.

13. In prima mensa cantari possunt quae pietatem redoleant, posteaquam vnum aut alterum caput ex aliquo pio libello lectum fuerit. In 2.ª quoque legatur aliquid ex eodem libello, non item cantetur. Alias per totum diem cantari liceat, dummodo ea, quae cantantur, et ipsa musica honesta sint.

14. Cibi apponantur loco ac tempori conuenientes, in quibus aliquid extraordinarium dari poterit pro iudicio Superioris, et quidem fructus, qui communiter habentur, ne desint, ex quibus aliquid etiam in ientaculo detur. Merenda dari non solet; indulgeri volentibus potest. Haustus interdiu petentibus non negatur, quemadmodum nec vesperi domum post coenam reuersis, si poscant.

15. Ministrent mensis ii, qui alioqui in collegio ministraturi erant. Officia vero domestica inter scholasticos, et praesertim nouitios, si qui adfuerint, fere distribuantur, ut coadiutores respirare ac recreari possint, excepta culina, quae peritum requirit.

16. Quando coenatur Issiaci, prandeatur vna hora citius solito, ut, coena etiam maturius finita, omnes ante solis occasum ad collegium se referre possint, incipientes abire post finem secundae mensae. Alias, ita discedant, ut hora coenae in collegio esse possint.

17. Post prandium pulsetur ad Aue Maria hora consueta; et quando ibi coenatur, pulsus ad finem recreationis, quae per horam saltem duret, sit etiam ad litanias, quae in collegio vesperi recitari debuissent. Tum et cantare et ludere liceat vsque ad coenam. Quando autem prandetur tantum, litaniae in collegio vesperi recitentur.

18. Ludi, quibus vti licebit, hi sunto, non alii, videlicet: lusus pyramidum, proiectio tabellarum super mensam, iactus lapidum ad metam, item lusus globorum maiorum ad annulum ferreum terrae infixum et versatilem cum longiore malleo ligneo, atque etiam scaccorum.

19. Issiaci nemo vel solus uel etiam cum socio pernoctet, nisi forsan ex iudicio medici aliquis aegrotus, mutandi aëris gratia, illuc ad aliquot dies necessario transmittendus sit, quo casu fidelis socius illi adiungatur, et frequenter visitentur, praescripto illis modo, quo illic se gerere debeant.

20. Issiacum nemo eat prandendi coenandiue gratia, nisi quando itur ab omnibus. Multo uero minus illuc ducantur externi, neque etiam conuictores pauperesue, siue Regii, siue Claromontani, sed pro illis alicubi extra ciuitatem conducatur aliqua domus conueniens, quo nonnunquam deduci possint, relaxandi animi gratia.

21. Quibus diebus non exitur, cum tamen hebdomadariae recreationis dies sint, nostri suam recreationem interdiu domi habeant, in qua et cantare, et ludere possint iis ludis, quos Superior ex concessis in collegio conuenire iudicauerit, et tunc non facile pateat externis aditus in collegium, vel certe eo non deducantur, unde nostri exaudiri possint.

LEGES A NOSTRIS ISSIACI SERUANDAE

1. Quilibet, cum primum Issiacum peruenerit, recta ad sacellum se conferat, aliquid pro sua deuotione oraturus.

2. Qui suam orationem in collegio non absoluerunt, ii pro suo commodo eam perficiant.

3. Eundo Issiacum, ac redeundo, ne multi simul eant, nec in aliorum hortos domosue ingrediantur, neque per loca frequentia transeant.

4. Nemo quicquam ex horto colligat sine facultate, sed omnia integra relinquat.

5. Nemo currat saltetue, aut incomposite se habeat, sed vbique modestiae memor sit.

6. Nemo quicquam pingat in parietibus arboribusue, aut scindendo designet.

7. Nemo vllum ludi genus introducat, sed concessis contentus sit.

8. Nemo ludat post prandium, priusquam ad ludendum signum detur.

9. In ludendo ne litigent, neue irascantur, sed hilaritati cum religiosa modestia operam dent.

10. Qui ludendo vincitur, oret Aue Maria, aut cantet Laudate Dominum omnes gentes, etc., uel quid aliud.

11. Qui vno ludo aliquandiu lusit, cedat alteri, ludere volenti, si loci angustia id requirat.

12. Nemo sine facultate discedat, et quilibet domum revertatur cum assignato prius socio, nisi alterum Superior dederit.

CIRCA COLLEGIUM CONUICTORUM

INSTRUCTIONES COMMUNES OMNIBUS NOSTRIS QUI INTER CONUICTORES DEGUNT QUAE AD COMMUNE SOCIETATIS BONUM PERTINENT.

Caput 1.m

1. Regulas consuetudinesque Societatis non minus diligenter obseruabunt, quam si in propriis eius collegiis versarentur: et si quid in eo, quod obeunt, munere dubium aut difficile occurrerit, ad Superiorem confugient.

2. In iis, quae ad Dei Opt. Max. honorem et gloriam, bonum Societatis nomen et animarum salutem pertinent, strenuos se

imprimis exhibeant; neque beneuolentiae conuictorum aut parentum rationem habeant, sed solum maiorem Dei gloriam in omnibus quaerant.

3. Unusquisque, ubi se occasio dederit, de rebus Societatis, aut personis, quae in illa, maxime inter conuictores, versantur, cum prudentia et ea, quae religiosos decet, grauitate agat; ita enim et sibi et aliis maiorem apud conuictores cum aedificatione auctoritatem conciliabunt. Atque ob eandem causam, nostri et inter se et cum Superiore arctissimo unionis et charitatis vinculo coniungantur.

4. Si quis vel convictores vel famulos domi aut foris in re alicuius momenti deliquisse cognouerit, cum ea, qua par est, prudentia, primarium moneat, maxime vero si, quod gestum est, aliquem nostrorum attingat: atque idcirco expedit singulis generalem collegii ordinem esse perspectum.

5. Quando cum conuictoribus versantur, studeant colloquia in vtilem finem referre, et si quid minus congruum occurrerit, auertere, memores se religiosos esse. Sermones vero de rebus spiritualibus ita misceant, vt ne vllum ad religionem pellicere velle videantur, sed de virtute rebusque ad animae salutem spectantibus tanta cum simplicitate ac prudentia disserant, vt omnes ad verum christiani hominis officium et virtutis studium instruere videantur, quod in primis curae esse debet confessariis et congregationum praefectis.

6. Familiaritatem cum conuictoribus nimiam caueant, neque vlli, quantumuis studiosus esse, aut ad perfectionem aspirare videatur, quae Societatis nostrae sunt, aut in nostris collegiis secreto fiunt, aperiant, seque ipsis nimis communicent. Cautum enim imprimis ac prudentem esse oportet, qui cum huiusmodi colloquitur.

QUAE AD PUBLICAM DISCIPLINAM SPECTANT

Caput 2.m

7. Nullus quouis ludi genere, vel domi, uel foris cum conuictoribus vtatur; nec, illis praesentibus, inter se, nisi cum toto die rusticantur, et valde modeste, et non nisi iis ludis, qui no-

stris permittuntur Issiaci; neque cantet, aut quaeuis instrumenta musica pulset sine licentia; neque vllam poenitentiam aut mortificationem coram illis obeat.

8. Nullus quauis de causa proprii cubiculi claues conuictoribus concedat, vel illis, dum ipse abest, aditum relinquat. Expedit etiam ne quis admittatur in eorum cubicula, quibus aliquod officium commissum est, vt procuratorum, sartoris et similium.

9. Nemo ientaculum sumat extra locum, ad id pro nostris assignatum: multo minus decet quicquam vel petere vel accipere a promo, coquo et similibus, siue pro se, siue pro alio quouis, sine licentia.

10. Caueant ne apud preceptores vel alios superiores collegii, nec praefectos, pro ullo conuictorum intercedant, siue vt delictorum veniam obtineant, siue ut ad superiorem classem promoueantur, nisi re prius cum primario communicata.

11. Famulis, praeter ea, quae ad cubiculi sui munditiem pertinent, et solita, quae pueris debentur, officia, nemo quicquam praecipiat, vestesque proprias aut calceos purgandos tradat, neque eos foras mittat sine licentia Superioris.

12. Quando alicui mandata erit cura vel domi manendi, uel domo cum conuictoribus exeundi, quae ad rem pertinere nouerit, cum omni diligentia praestet.

QUAE AD BONUM CONUICTORUM PERTINENT

Caput III.^m

13. Nihil plane detur conuictoribus describendum sine primarii licentia, neque vel donum, vel mutuum (nisi forte liber aliquis et scripta earundem lectionum ad breue tempus), vel depositum ab illis accipiatur.

14. Qui negotii aliquid cum conuictoribus tractare debent, id eo tempore ac modo perficiant, quo neque illorum studia et exercitia, neque collegii ordinem interturbent.

OFFICIUM PRIMARII

DE IIS QUAE AD EIUS PERSONAM ET TOTIUS COLLEGII CONUICTORUM ADMINISTRATIONEM PERTINENT

Caput 1.m

1. Primarius immediatum superiorem habet Rectorem collegii Societatis, cuius apud conuictores uicem gerit, his maxime in rebus, vt oratione sanctisque desideriis illud, velut humeris suis, sustineat. Charitatis, humilitatis, obedientiae, quam ipse suis superioribus praestare debet, caeterarumque virtutum exemplo praeeat, diligenterque inuigilet, vt et fratres nostri communes Societatis suorumque officiorum regulas obseruent, et pueri, tum in pietate christiana caeterisque virtutibus, tum in literis, proficiant.

2. Communes regulas ipse etiam seruet, ac singularitatem in cibo, indumentis et aliarum rerum vsu, quantum fieri potest, euitet; ac familiaritate indulgentiaque cum quibusdam, caeteros ne offendat.

3. Sit sollicitus ne minister, praefecti cubiculorum, reliquique officiales suis desint officiis, omissis etiam aliis, quae illum possent impedire; eosque interdum, vt norit quomodo se quisque in quotidianis exercitiis gerat, crebrius vero in eundem finem etiam pueros visitet.

4. Nullam consuetudinem antiquabit, neque nouam inducet, sed conuictores gubernabit iuxta eorum regulas, et instructiones a superioribus sibi traditas; nec in ratione victus atque pensionis quicquam mutabit sine Rectoris consensu.

5. Conuictores, quos ipse ordinarie admittet, erunt vt minimum duodenes, et ad quartam classem apti. In aetate vero decem annorum, et aptitudine ad quintum ordinem, Rector poterit dispensare; raro id tamen et cum personis illustrioribus, vel bene de nobis iam meritis, vel in posterum necessariis; alias nulla prorsus fiat dispensatio sine consensu Prouincialis. Famulos vero collegii admittet, cum aetate, tum doctrina, quoad fieri poterit, prouectiores, quam quarta classis exigat.

6. Cum omnibus, qui ad conuictum admittantur, haec fiat pactio, vt per singulos trimestres pensionis solutionem anticipent. Externi etiam habeant in hac ciuitate fideiussorem, qui ad id se obliget, illisque de rebus omnibus, ac praesertim de hospitio, si opus sit, infirmitatis tempore prouideat.

7. Qui ex aliis collegiis a parentibus educuntur, non facile admittantur, nisi id ipsi desiderent atque studio proficiendi petant. Neque vero propter aetatem grandiorem aut nationem quisquam repudietur, modo adsint caetera, quae desiderantur in studioso adolescente, velitque collegii regulas obseruare. Caeteris tamen paribus, praeferantur qui, propter nobilitatem aut alias causas, reipublicae amplius profuturi creduntur.

8. Singulis hebdomadis cum aliqua praefectorum parte ita conferat, vt singulis quindecim diebus, vel saltem tertia quaque hebdomada, cum omnibus agat, maxime de iis, quae in pueris emendanda videntur, et in quibus collegii disciplina laxatur; demum quae ad maiorem illorum, tum in pietate, tum in literis profectum valebunt. Si quae vero alicuius momenti proponantur, ea in libellum referat, ne forte memoria excidant; illa praecipue, de quibus cum Rectore aut Prouinciali agendum putat.

9. Crebro et magna charitatis significatione alloquatur subditos fratres, eorumque necessitatibus, non corporis tantum, sed multo magis animae, paterno prospiciat affectu. Si quem vero intelligat graui tentatione pulsari, Rectorem statim admoneat. Nulli denique conuictorum se familiarem exhibeat, sed erga omnes paternam beneuolentiam, cum auctoritate atque seueritate debita coniunctam, ostendat.

10. Videat scripta et literas omnes, quae ad nostros mittuntur, et quas ipsi aliis scribunt. Res autem vanas, aut quae aliqua ratione offendere possent, neminem scribere permittat, nec sigillum quemquam habere sinat absque Prouincialis facultate.

11. Nec ipse, nec alii e fratribus in vrbem egredientur, sine facultate Rectoris, ad aliqua negotia tractanda, aut ad aulam regiam, inuisendasue personas illustriores.

12. Non facile permittet conuictoribus domo egredi, nec sine comite; cum vero e nostris vnus egreditur, plures conuicto-

res duobus ordinarie secum habeat: quo porro die exeundum est ambulandi gratia, nulli praefectorum concedatur vt, absque occupatione necessaria, domi maneat; et tunc eius contubernales cum alio praefecto duci poterunt.

13. Tempore, orationi matutinae et aliis exercitiis assignato, sit aliquis qui obseruet, num omnes suo fungantur officio, quod etiam minister, et aliquando primarius, ipsi per se facient.

14. Syndicum domi constituat, cuius officium erit obseruare in omnibus, quae ad honestatem et decentiam externam pertinent. Praeter hunc alios etiam habeat particulares syndicos secretos in singulis classibus, iuxta conuictorum distributionem, vt intelligat num ordo constitutus, cum a nostris, tum a pueris obseruetur, praesertim in ecclesia, recreationibus, aliisque id genus locis ac temporibus.

15. Non permittat esse in nostrorum cubiculis arma, quamuis sint conuictorum, sed ea, sicut et alia, quae collegio solent esse vsui, in aliquo ad id deputato loco seruentur.

16. Quando nostri ad sacram communionem accessuri sunt, curet vt id faciant simul omnes, scholastici cum vestibus nigris, coadiutores cum paliis, et separati ab externis ac conuictoribus, quantum locus feret.

DE IIS QUAE PARTICULAREM, CUM IN PIETATE, TUM IN LITERIS, PROFECTUM ATTINGUNT

Caput II.m

17. Singulis mensibus semel, in quadragesima vero singulis diebus veneris, exhortationem ad conuictores ordinarie habeat primarius, si possit, uel certe curet ipse vt habeatur ab alio, qui ad virtutem suarumque regularum obseruationem illos excitet. Curet etiam vt, qui tum primum in conuictum admittuntur, post aliquot dies generalem totius vitae confessionem instituant.

18. In correctionibus et poenitentiis iniungendis, rationem habeat dispositionis personarum et aedificationis vniuersalis ac particularis eorum ad gloriam Dei. Caueat etiam in reprehensionibus et correctionibus puerorum, maxime publicis, ne vllam det

iracundiae, vindictae, vel alterius sinistri affectus significationem.

19. Curet in mensae benedictione ac gratiarum actione, lectione item, quae refectionis tempore habetur, eadem omnino seruari, quae in superiori collegio recepta sunt.

20. Curabit vt nostri, qui apud conuictores sunt, diligenter eorum scriptiones emendent, ac statutis temporibus eos audiant recitantes, quae in classe exceperint, ac, si opus sit illis, praelectiones repetant.

21. Exercitia literaria, quae conuictoribus propria sunt, quaeque non publice, sed inter ipsos tantum conuictores habentur, vt declamationes in coenaculo, scriptiones affigendae ac praelectiones, quae tempore intermissionis studiorum fieri solent, a primario praescribantur. In caeteris suum officium exercebit praefectus studiorum erga conuictores, sicut erga externos. Cum tamen erunt promouendi, quocumque tempore id fiat, catalogum promouendorum dabit primario, vt ipse suis significet, in quam quisque classem ire debeat.

22. In puerorum recreationibus vitetur omnis excessus, summaque modestiae ac pietatis ratio habeatur, maxime vero in Epiphania, carnispriuio, festo [S.] Joannis Baptistae; et huiusmodi temporibus, quibus liberior animorum relaxatio permittitur, nullae laruae, nulla tripudia concedantur, nec habeatur vlla tragoedia uel comoedia; sed si quid indulgendum sit, pius aliquis dialogus septem ad summum colloquutorum, qui, materia prius a Superiore post examen probata, componatur ab aliquo ex conuictu. Habeantur vero haec omnia non in sacello, nec cum vllis caeremoniis sacris, et sine magno vestium apparatu, atque ita priuatim, vt nullus e superiori collegio, etiam professor, in illis occupari permittatur, sed omnia, vt in conuictu fiant, sic ab illo proficiscantur. Nihil porro a conuictoribus ad conuiuii apparatum exigatur, sed pro tempore et decentia collegium aliquid extraordinarium apponat.

INSTRUCTIONES PRO PRAEFECTIS CUBICULORUM

DE IIS QUAE AD EORUM PERSONAS ET RECTAM PUERORUM EDUCATIONEM PERTINENT

Caput primum.

1. Nostri, qui inter conuictores agunt, saepe cogitent, nullam aliam ob causam se in eorum contubernio esse positos, quam vt eos in pietate et literis iuuent, ipsisque morum et corporis compositione, religione ac doctrina, omni denique virtutum genere, sint exemplo: quam ad rem necessariam summis a Deo precibus gratiam assidue flagitare debent, orareque sedulo pro omnibus quidem conuictoribus, sed pro illis praesertim, quorum est eis cura demandata.

2. Diligentissime animadvertere debent, ne quid de disciplina institutoque Societatis remittant; ideo eius regulas omnes, quoad fieri potest, obseruent.

3. In pueris regendis maxime inter se conformes esse studeant, quod facile consequentur si, cum sibi, tum pueris praescriptas regulas diligenter obseruent, atque ad eas, velut ad amussim, actiones hac in parte suas exigant. Quocirca nullam inducent nouam consuetudinem, nouumue tractandi modum, neque in regulis dispensabunt, aut loca et ordinem ac dispositionem cubiculorum mutabunt sine Superioris consensu.

4. Omnem dent operam vt, summa cum suavitate auctoritatem suam tuentes, ab omnibus amentur et timeantur, quod fiet, si leuiter sint seueri, ac seuere leues, studeantque puerorum indolem pernoscere, vt intelligant quinam timore ac reprehensionibus, quinam beneuolentia potius et amore ducantur; idcirco qui aliis in cubiculis succedunt, ab illis, etiam de puerorum, quoad fieri poterit, ingeniis instruantur. Iuuerit etiam in eundem finem, et a praeceptoribus et ab aliis, qui eorum mores nosse possunt, inquirere, atque ipsos praefectos de mediis, quibus haec iuuentus possit iuuari, crebro inter se conferre.

5. Tueantur suam auctoritatem erga pueros morum grauitate aliisque virtutibus, praesertim hilaritatem, et in vultu man-

suetudinem prae se ferendo, et tamen paucis et valde prudenter cum illis loquendo.

6. Caueant diligenter ne animo sint erga vnum, quam erga alium, propensiore, ne qua verborum leuitas, aut arctioris, quam par sit, necessitudinis suspicio, aut etiam perturbatio, in eis notari possit. Denique ita se gerant, vt omnes plane cognoscant eos, praeter Dei honorem et gloriam, ac puerorum sibi commissorum eruditionem vna cum pietate, nihil quaerere.

7. Non permittant pueros coram se gallice loqui aut aliquid contra regulas aut modestiam ab vllo, etiam suae curae non commisso, fieri, quin aut verbo aut signo sibi displicere ostendant; si tamen proprius delinquentium praefectus adesset, illi hac in parte cedant. Dum etiam in eadem cum conuictoribus classe praefecti versantur, ne coram praeceptore illos reprehendant, sed, si quid immodestius gestum sit, ad primarium deferant.

8. Licet omnibus conuictoribus ad obseruandum propositae sint regulae, ἐπιείκειας tamen ac magnae prudentiae est opus grandiores ratione potius quam summo iure in officio continere. Videant nihilominus omnes ne nimia indulgentia collabatur collegii disciplina, quae illud tantopere apud omnes commendat.

9. Prudenter discernant, quid merito possint a pueris exigere; nec statim putent, vel de illis desperandum, vel rigidius agendum esse, si qui sint minus, quam ipsi vellent, pii, aut in externo cultu vaniores; quamuis enim omnino conandum est, vt omnes sint probi, non debemus tamen ab omnibus exigere vt sint religiosi.

10. Pueros, quos ex infirmitate delinquere iudicant, seorsim reprehendant, neque statim ad primarium deferant. Sint vero diligentes in discernendis, quae malitiose committuntur, ab iis, quae ex infirmitate accidunt; vt enim haec saepe dissimulanda, sic illa nullo plane tempore sunt toleranda.

11. Singulis hebdomadis semel ad primarium deferant si quid emendandum, aut ab aliquo grauius commissum animaduerterint; quod vbi eos deprehendere contigerit, prudenter, quasi non vidissent, dissimulabunt; atque ita fiet, vt difficulter admodum delinquens intelligat a quo sit delatus.

12. In reprehensionibus et increpationibus moderatos imprimis se exhibeant, caueantque diligenter a contumeliis, et impatientiae, superbiae, iracundiae, auersionis animi, aut cuiusquam sinistri affectus significatione. Nullum manu percutiant, neque constitutum a Superiore in castigationibus modum excedant.

13. In pueros ipsi per se ne animaduertant; sed quibus permissum fuerit, vt sine particulari facultate pueros flagris castigent, hi vtantur opera praesidis, quem ad propria cubicula ob eam causam vocabunt, sic tamen vt, non inconsulto primario, neque saepius quam permissum fuerit, neque alios quam suos, punire cuiquam permittatur.

14. Assidui, quoad fieri potest, in cubiculis suis sint, neque ad collegium superius se conferant sine particulari vel generali facultate, qua habita, vicinum praefectum admonebunt, vt vtriusque cubiculi curam interdum gerat.

15. Prudenter inquirant eorum, quae ad se delata fuerint, veritatem, secretoque ac circumspecte aliquos interrogent de omnibus, quae in cubiculo transiguntur.

16. Nihil a conuictoribus dono accipiant, nihil etiam sine facultate speciali aut generali largiantur.

17. Nullas omnino pecunias asseruent, etiamsi pro lignis, candelis, sacellorum ornatu et aliis huiusmodi rebus dentur, sed eae procuratori tradantur. Nihil vero a pueris ad sacella in cubiculis erigenda vel alia de causa exigant, sine Superioris consensu.

18. Curent describi regulas conuictorum et ordinem collegii in tabula, quam in cubiculo affixam seruabunt, vt iis, qui de nouo admittuntur, et interdum etiam qui delinquunt, ea legenda tradant.

DE CURANDO PUERORUM PROFECTU TUM IN PIETATE, TUM IN LITERIS

*Caput 2.^m^*

19. Obseruent diligenter quomodo se habeant pueri tempore orationis, curentque vt omnes decenter vestiti ad precationem matutinam veniant, et in ea, sicut et in serotina, distincte deuoteque respondeant.

20. Dabunt operam vt singuli a confessariis suis modum rite instituendi confessionem, orandi, examinandi conscientiam et audiendi sacrum addiscant; eosque rationem honeste cum omnibus conuersandi docebunt, necnon ad crebram peccatorum confessionem sacramque synaxim hortabuntur.

21. Commendent pueris libros spirituales, maxime Granatensis, Gersonis, Loartis, atque eum, qui sodalitatis inscribitur; curentque vt singuli vnum saltem habeant, quo suis temporibus vtantur.

22. Contineant eos in cubiculis, nec per domum uagari, aut in suis locis otiari permittant; quod vt commodius exequantur, videant ne quis, non habita prius facultate, cubiculum egrediatur; atque vt, finitis praelectionibus, singuli se ad cubicula et libros statim conferant. Visitabunt etiam interdum eos, dum in suis locis student, vt sciant, num praescriptum sibi particularem studiorum ordinem obseruent; neque permittant vt per varios auctores vagentur.

23. Obscenos aut prohibitos libros penes se nullos habeant, nec aut huiusmodi, aut etiam gallicos, nisi pios, a pueris seruari permittant. Imo eorum loca, atque adeo pulpita, nonnunquam visitent, vt intelligant num illius generis libros, obscenas imagines, cantiones, aut his simile aliquid recondant; curentque ab iis, qui de nouo admittuntur, librorum quibus vtuntur catalogum confici, cuius vnum exemplare ipsi retinebunt, alterum dabunt primario.

24. Dent operam vt emendate contextum describant, qui in tertia et inferioribus classibus versantur, eumque omnes distincte pronuntient, compositiones suas corrigant et in libros suos referant.

25. In hoc maxime incumbent, vt cum ipsi, tum pueri latine loquantur, idque, quantum fieri poterit, eleganter; quos vero audient incongrue aut improprie loquentes, emendabunt.

DE CURA EXTERIORIS HOMINIS ET RECREATIONIBUS

Caput 3.m

26. Quae ad exteriorem hominem pertinent in pueris exco-

lantur, vt faciem habeant nitidam, vestes cum interius, tum exterius mundas, integras beneque compositas; ac idcirco curent praefecti, ut pueri quotidie manus et faciem abluant.

27. Curent etiam vt sint vbique modesti ac bene compositi, vtque in eorum locis, libris, vestimentis aliisque rebus, mundities ac decentia semper appareat; nec in vicum per fenestras respiciant; nec quando ad sacrum, lectiones, coenaculum, conuocantur, cum impetu et tumultu egrediantur cubicula.

28. Non praebeant se difficiles in deducendis extra vrbem recreationis causa pueris; quod si cui per occupationes non liceret, praemoneat is mature primarium, vt cum alio pueri emitti possint.

29. Non permittant eos, neque domi, neque foris emere aut comedere fructus, aut quiduis aliud, sine facultate primarii.

30. Cum, habita facultate, ambulatum exibunt, pueros nec Issiacum, nec in hortos parentum aut aliorum absque facultate deducent, neque permittent vt fluvium traiiciant. Curabunt vero ne immoderatum sit eorum exercitium, neque ludus inhonestus aut periculosus.

31. Non permittent vt pueri detrita sua vestimenta, vel calceos et similia, famulis temere dent, aut ea serui sibi vsurpent sine facultate.

32. Curent vt omnes suorum cubiculorum conuictores arcas habeant obseratas; ipsi etiam clauem sui musaei, in quo regulas suas, scripta et his similia recondunt, penes se semper habeant.

REGULAE CONUICTORUM COLLEGII SOCIETATIS JESU

QUAE AD VNIUERSAM COLLEGII DISCIPLINAM PERTINENT

Caput primum.

1. Quicumque in contubernium nostrorum conuictorum admittentur, primum omnium intelligant parentum, vel eorum, quibuscum sunt, mentem esse, vt simul cum literis virtutum ornamenta sibi comparent.

2. Quam ob rem ad collegii disciplinam et instituta totos se conforment, quae certo sibi persuadebunt, praeter rectam eorum in literis ac bonis moribus institutionem, aliud nihil spectare.

3. In superiores ac praeceptores suos maioresque omnes eo sint officio ac reuerentia, quam ratio postulat, seque ingenuos ac verecundos exhibeant, debitum illis honorem deferant, pareantque, non obloquendo, aut vllam contemptus uel auersi animi significationem dando.

4. Ea inter illos beneuolentia tribuendis mutuis obsequiis eluceat, quam inter conuictus socios, studiis pares, amore germanos esse par est; nullumque irrideant aut vllo modo vexent, quin potius imperfectiones mutuo tolerent.

5. Vnusquisque cum mane, dum a somno excitatur, tum aliis horis, sine mora ad locum, ad quem uocatur, se conferat; neue quisquam sine facultate primarii in cubiculo subsistat.

6. Vt internam, sic et externam munditiem in vestibus, libris ac cubiculis sectentur; omnia suo loco seruent, nec abiecta negligant, nihilque appareat in coma vestibusque dissolutum, inurbanum, aut parum modestum. Idcirco ab inconsideratis sermonibus et cachinnis, omnique petulantia sibi magnopere caueant.

7. Nec domo egredi iniussu primarii cuiquam licebit, nec domi aut foris colloqui cum externis, praeter assueta quaedam vrbanitatis et salutationis gratia, sine facultate proprii praefecti cubicularii. Egressi autem ne extra illam pernoctent, prandeant coenentue, nisi primario annuente.

8. Nulli etiam licebit ad quemquam scribere, neque literas a quoquam accipere, nisi facta sibi a praefecto cubiculario potestate, ne tempus inanibus officiis et scriptitationibus conteratur.

9. Nullus eorum alterius cubiculum, multo minus musaeum, adibit, sine sui praefecti facultate; neque prius ingredietur, quam fores pulsauerit, eumque, qui intus est, monentem vt ingrediatur, exaudierit.

QUAE AD PIETATEM ET LITERAS SPECTANT

Caput 2.m

10. Mane, dum surgunt, signent se signo sanctae crucis; deinde cum singulari modestia se vestientes, sicut et vesperi dum se exuunt, breues ac tempori accommodatas ad Deum preces fundant.

11. Festis dimidiatam horam, reliquis vero diebus quadrantem mane fundendis ad Deum precibus tribuent, similiterque vesperi ad quadrantem facient; et quotidianas vitae actiones, iuxta praescriptam sibi normam, examinare consuescent.

12. Cum sacellum ingrediuntur, primum omnium commendatum illis erit, vt aqua lustrali frontem aspergant, tum singulari reuerentia et pietate Christum Dominum ad altare, flexo vtroque genu, reuereantur.

13. Sacrum quotidie audient attente ac pie, nullum prorsus praeter precarium librum gerentes, nihilque ex eo legent, quandiu sacerdos elata voce loquitur, sine consilio praefecti aut confessarii, vt liberius meditandis iis, quae ex sacerdote audient, vacare possint. Dum vero sacerdos submisse loquitur aut circa corpus Christi versatur, orent pro vniuersa Ecclesia catholica, pro summo Pontifice aliisque praesulibus, pro Rege nostro christianissimo eiusque regno, pro Societate Jesu et hoc maximo collegio, pro haereticorum conversione, ac demum pro animabus in purgatorio detentis.

14. Singulis, vt minimum, mensibus peccata confiteantur illis sacerdotibus, qui sibi fuerint designati, simulque sacram Eucharistiam sument, nisi forte confessario secus videatur.

15. Discant omnes inseruire sacro, inseruiantque suo ordine; statis uero diebus catechismum praefectis suis ex memoria recitent.

16. Vespertinas preces, conciones et sacras exhortationes lectionesque, quibus locis ac temporibus primario visum fuerit, cuncti attente audiant, eamque seruent in templo modestiam, quae christianos adolescentes decet.

17. Vnusquisque in ea classe aequo animo manebit, in qua consti[tu]tus fuerit a praefecto studiorum.

18. Rationem cum scribendi, tum lectiones repetendi, tenebunt omnes, quam a suis praeceptoribus uel a suis praefectis acceperint.

19. Nullos legent vel tenebunt libros, nisi qui fuerint a suo praefecto approbati, nec, eo inconsulto, ement aut vendent.

20. Loquantur omnes in collegio latine, et, quoad fieri potest, eleganter.

21. In cubiculo, suo quisque loco suas res agat, nec alios interturbet, aut etiam interpellet, neue cum illis extra recreationis tempus, nisi praefecti concessu, loquatur.

22. In coenaculo praeeunti sacerdoti in benedictione mensae et gratiarum actione respondeant, et ex lectione aut declamatione, quae ad mensam habetur, fructum quem decet colligant.

QUAE VALETUDINEM, RECREATIONEM ET RERUM EXTERNARUM CURAM ATTINGUNT

Caput 3.m

23. Summae illis curae sit valetudo; propterea, vbi se corpore male affecto sentient, praefectum cubicularium admonebunt, vt adhiberi remedia possint; vtenturque omnes cum mediis, tum ministrantium opera, sine vlla impatientis animi significatione.

24. Si quando ad campos relaxandi animi causa se conferant (quod fiet vel cum omnibus scholasticis id concedetur, vel cum primarius valetudinis causa mandabit), habebunt semper aliquem e nostris, qui eos ducat, et suo tempore reducat, decorisque vbique commonefaciat.

25. Cum ludendi facultas fiet, ludus non alius erit, quam qui fuerit a primario concessus; cauebuntque ne immoderata corporis exercitatio valetudini officiat; neue recreationis tempore aliquis ex loco eidem assignato se subtrahat, nisi primarii concessu.

26. A galeris prorsus abstineant, nisi cum itur ad campos, vel ad aliquot dies valetudinis causa id primarius concedit.

27. Ut uariis incommodis obuiam eatur, nemo apud se pecuniam habeat, nisi concessu primarii, sed eam apud procuratorem vel alium deponat, a quo, cum libebit, repetere licebit ad sumptus necessarios.

28. Nihil omnino quouis ex loco sument, nisi concessu eius, cuius fuerit id concedere.

29. Ad haec omnia exequenda ita parati omnes esse debent, vt, si qua in re defecerint, faciles se praebere meminerint ad constitutam poenam subeundam.

30. Postremo, vt haec melius obseruari possint, iuuerit gratiam a Deo petere, de his libenter cogitare et loqui, et singulis mensibus in coenaculo semel ea legi, necnon in singulis cubiculis in tabella descripta proponi.

Laus Deo Virginique Matri.

CIRCA PAUPERES REGIOS ET CLAROMONTANOS

1. Qui horum pauperum contuberniis praeficiuntur, idonei sacerdotes sint, si fieri possit, aut saltem maturi aliqui fratres, qui illis iuxta suum institutum educandis apti censeantur.

2. Quicumque inter hos pauperes admittuntur in collegio, iuxta potestatem sibi ab eorum fundatoribus factam nominati, omnes ordinarie ad studia theologica uel physica idonei sint, ut hac ratione plures iuuari et Ecclesiae plures ministri parari possint. Nec quispiam recipiatur ex praedictis, qui classi rhetorices saltem aptus non sit. Prius vero quam quis admittatur, a Rectore collegii eiusque consultoribus accurate examinetur, ne ineptus admitti contingat. Quod ad aetatem et caeteras admittendorum qualitates attinet, seruentur in Claromontanis quidem eorum constitutiones a Patre nostro Euerardo, in Septembri 1578 approbatae; in Regiis vero conditiones in regia fundatione comprehensae. Qui vero inter Claromontanos admissi sunt vel admittentur, Regiis ne in posterum adnumerentur, sed, sua quisque sorte contentus, in proprio perseveret contubernio.

3. Res pauperum pecuniaria a Rectore nostri collegii sic administretur, ratione dati et accepti per procuratorem in peculiarem codicem relata, vt vniversa tamen eorumdem supellex a nostri collegii supellectili separata omnino sit, et apud ipsos seruetur. Conducatur vero sartor aliquis externus, qui eorum res subinde reficiat, et in inferiori collegio, vbi eius occupatio vtilis erit, communibus sumptibus pro rata cuiusque loci portione alatur. Vtrum autem etiam sutor externus pro iisdem et nostris, qui inferius habitant, similiter conduci debeat, uel foris potius parandi calcei sint, fieri poterit, quod commodius iudicabitur.

4. Vtrique pauperes victum suum apud conuictores habeant secundum eam victus rationem, quae diuersa pro vtrisque, iuxta

pensionis ipsorum diuersitatem, a nobis constituta est. Pro quouis autem Claromontano eorumque praefecto, omnibus computatis ordinariis et extraordinariis, 20 aurei in singulos qualescunque annos numerentur, quem censum, licet sumptus excedat, id tamen illis concedatur, partim eleemosynae loco, cum maior iis facultas non sit, partim in compensationem, quia munia quaedam et obsequia laboriosa in gratiam conuictorum obiré solent. Pro Regiis autem et eorum praefecto, pendatur quod anni conditio (subductis ad cuiusuis semestris finem rationibus) secundum aequitatis debitum postulauerit. Porro vtramque summam primarius de pretio locationis aedium sibi retinebit. Quae ratio ab initio sequentis anni 1588 valere incipiat.

5. Tam in victu, quam in uestitu (licet Regios paulo largius atque honestius Claromontanis tractari oporteat, cum census illorum duplo maior Claromontanorum censu sit) penes vtrosque par sit mundities atque ciuilitas, et eorum frugalitas sordes non habeat. Vestes uero deinceps coloris non amplius cineritii, sed castanei Claromontanis parentur, prout in ipsorum fundatione decretum est.

6. Pecunia illa, quae a populo ad crucis adorationem in hebdomada sancta in inferiori sacello, pietatis ergo, humi vltro abiicitur, Claromontanis pauperibus ad coëmendos libros necessarios pro communi contubernio tota attribuatur, et simul aliquot cerei natalitii e sacello eodem, quos ante imaginem B. Virginis in suo cubiculo accendant, iisdem donentur; extremitates quoque candelarum, quae supersunt e classibus, et si quae pecuniae ex collectis ad praedictas candelas emendas reliquae sint: res item inuentae omnes, quarum priuati domini ignorantur, nec quaesiti reperiuntur, in contubernii eorum vsum conuertantur.

7. Pro compensatione annui census.....

INSTRUCTIO PRO PRAEFECTIS PAUPERUM

1. Praefectus pauperum (Claromontanorum uel Regiorum) immediate subest Rectori collegii nostri, sine cuius consensu nullam antiquabit consuetudinem, neque nouam inducet, nouumue

procedendi modum, sed sibi commissos gubernabit iuxta eorum regulas et instructiones, a superioribus sibi traditas.

2. Saepe cogitet se nullam aliam ob causam in eorum contubernio ac praefectura positum esse, quam ut eos in pietate ac literis iuuet, ipsisque morum et corporis compositione, religione ac doctrina, omnique virtutum genere sit exemplo. Quam ad rem necessariam summis a Deo precibus gratiam assidue flagitare debet, orareque sedulo pro omnibus, quorum est ei cura demandata.

3. Diligentissime animaduertere debet, ne quid de disciplina institutoque Societatis remittat.

4. Tueatur suam auctoritatem erga suos morum grauitate aliisque uirtutibus, praesertim hilaritatem, et in vultu mansuetudinem prae se ferendo, et tamen paucis ac prudenter cum illis loquendo. Studeat quoque eorum indolem pernoscere, ut intelligat quinam timore ac reprehensionibus, quinam beneuolentia potius et amore ducantur.

5. Caueat diligenter ne animo sit erga vnum, quam erga alium, propensior, ne qua verborum leuitas, aut arctioris, quam par sit, necessitudinis suspicio, aut etiam perturbatio, in se notari possit. Denique ita se gerat, vt omnes plane cognoscant eum, praeter Dei honorem et gloriam, et pauperum sibi commissorum eruditionem vna cum pietate, nihil quaerere.

6. In reprehensionibus et castigationibus moderatum in primis se exhibeat, prudenter discernens quae malitiose committuntur, ab iis, quae ex infirmitate accidunt; caueatque diligenter a contumeliis, et impatientiae, superbiae, iracundiae, auersionis animi, aut cuiusquam sinistri affectus significatione. Nullum manu percutiat, neque constitutum a Superiore in castigationibus modum excedat.

Non potest Rector in vllo collegio facultatem dare, vt nostri ad plura miliaria expatientur, sed consulendus est Prouincialis.

Confessarii, minister, subminister, quique in ciuitate frequenter occupantur, saltem singulis mensibus semel suo Superiori, qui in collegio est, confiteri debent.

Nostri possunt vti chiliadibus Erasmi, illasque, cum vsi sunt, in eum locum, quem velit Rector, restituere.

Quod si honesta ratione placari non possunt, quorum libri repurgatione D. Cuuillonii[5] corrupti sunt, pretii aliquid loco damni illis numeretur.

Scribatur Patri nostro de conuiuiis, hactenus in promotionibus nostrorum exhibitis, et quid in posterum sit seruandum intelligatur.

Omnes ientare possunt; merenda vero, nisi qui multum laborat, nemini detur.

Videndum est an liceat per ius et vniuersitatem, vt nostri in templo nostro sepeliantur : quod si non liceat, sepeliantur apud franciscanos. Tametsi vero liceret in nostro sepeliri, videndum tamen est vtrum absque offensione id possit fieri. Si foris sepeliantur, vocandi sunt franciscani ad processionem more solito, ac nostri sequantur cadauer absque luminaribus et cantu. In templo vero, non nostri, sed franciscani officium mortuorum peragant; nostri vero submisse orent per se singuli.

---

[5] Sermo est de P. Joanne Cuvillonio (Couvillon).

Considerabit P. Natalis qua consuetudine sit vtendum in benedicendis communicantibus: interea seruetur consuetudo solita, vt scilicet benedicantur mox a communione, quod peragi solet immediate post sacerdotis communionem.

In templo nostro sepulchrum Domini in hebdomade sancta construi non debet.

Donec sit fundatum collegium, seruetur consuetudo accipiendi pecunias a scholasticis pro lignis. Et tamen de hoc censebit P. Natalis quid agendum sit, consulto etiam Patre nostro.

Hoc tempore ne nostri accipiant munus concionandi et explicandi doctrinam christianam in aliis templis.

Proponet P. Natalis Patri nostro an sint hic instituendi cursus, quemadmodum Romae; et si ita censeat Pater, designabuntur qui sunt venturi; et veniant cum primum incoeperit esse frequentia scholasticorum Ingolstadii.

Consulet P. Natalis Patrem nostrum de incorporandis nostris in vniuersitatem quotquot incorporari possunt.

Quando redibunt studiosi, instituatur lectio theologica in Magistrum sententiarum et Scripturae. Animaduertat Rector an Magister sententiarum possit absolui commode biennio, vel biennio cum dimidio, et scribat Patri Generali.

Ubi erit frequentia nostrorum auditorum hic in theologia et philosophia, institui poterunt repetitiones et disputationes, quemadmodum habet instructio Patris Natalis.

Agatur vt nullus promoueatur in artibus, nisi cursum audierit, et clancullariae lectiones prohibeantur omnino, et nullus ex clancullariis promoueatur.

Ratio docendi philosophiam in Germania videtur sic instituenda, vt compendio explicetur contextus artis clare et dilucide, omissis multis locis, qui non iudicabuntur necessarii. Quaestiones vero necessariae ad doctrinam ipsam elucidandam tractentur moderate ; curiosae et anxiae praetermittantur : vti poterunt ad hanc methodum illis iudiciis professorum lusitanorum, quae ego reliqui.

Ubi exercitationes, de quibus dictum est, fiunt in classe, intersint nostri; interea vero fiant eaedem domi.

Ad festum Paschae poterit imprimi catalogus lectionum, si est frequentia auditorum.

Placet P. Natali vt P. Paulus [4] exerceat se in concionibus germanicis et latinis.

Postquam sunt nostri religiosi, non est quod exigantur ab illis testimonia legitimorum natalium, cum nostri sint legitimi, cum ob religionem, tum ob voluntatem Principis, qui Societatis priuilegia approbauit. De hac re tamen consulet P. Natalis Patrem nostrum.

Cum redierint scholastici, placet P. Natali vt instituatur diebus veneris doctrina christiana in vniuersitate, modo speretur fore frequentia auditorum.

Qui in classem aliquam destinandi sunt, docendi modum in refectorio probare deberent; non item illi, qui iam habent classes, in quibus sese exercent.

Pulsetur communibus diebus ad tria sacra; dominicis et festis ad plura, si celebrentur.

Pulsetur ad *Auemaria* ter in die, quemadmodum in ecclesiis Societatis, et meridie quemadmodum mane.

Si quid offeratur professoribus nostris ob aliquam institutionem vniuersitatis, quemadmodum panes, qui aliquando ab oeconomo collegii noui M. Henrico [5] offerebantur, ne accipiatur.

Non est inconueniens, imo oportet, vt decanus alicuius facultatis, qui sit de Societate, scribat, quae contigerunt, in annalibus vniuersitatis, etiamsi sint eiusmodi, quae ad Societatis personas pertinent.

Quando confessarii externorum sunt mutandi, id ne fiat, nisi vel alio mittantur, vel in eo officio occupentur, vt omnes exteri intelligant eum confessionibus ob alias occupationes vacare non posse, quod fiet vt caueatur suspicio et infamia.

Audiant nostri sacrum superius in choro quando sunt communicaturi, vt ad communionem in templum descendant, et non ibi sacrum totum audiant.

---

[4] P. Paulus Hoffaeus.

[5] M. Henrico Blissemio.

Nunquam licet dare fratribus facultatem vt in mensa colloquantur liberius.

Vsus paupertatis idem est et professorum et omnium aliorum, licet obligatio non sit eadem. Quare, quod dicitur in Constitutionibus, non esse danda munuscula minora vt accipiantur maiora, ad omnes pertinet.

Ne sit amplius vsus missalis Lugdunensis, nisi emendetur.

Rector poterit audire externorum confessiones.

Missae ne dicantur in secularibus domibus; respondeant nostri esse interdictum ne id faciant, propter decentiam et honestatem, ac propter irreuerentiam singularem, quam volunt vitare, praesertim cum nulla necessitas ad id cogere possit; nam si quis non possit venire in ecclesiam ad sacrum audiendum, is nullo pacto obligatur; et si viatico egeret, posset ac deberet illud accipere a parocho.

Cum rogantur nostri vt celebratum eant in depositione mortuorum, ne eant, partim quod non est consuetudo Societatis, partim quod offeruntur ad altare in his missis, quae ad speciem videntur nostri accipere. Si vrgeant, potest illis primum responderi esse monachos pauperes, quos possunt aduocare, si velint, et dare illis eleemosinam; tanti esse illorum missam quanti nostram: alioqui videbuntur nostros vocare, ne illis dent eleemosinam. Et tamen, si ita videatur Rectori, dicet, domi nostros oraturos in suis sacrificiis pro illo mortuo.

Abrogetur consuetudo illarum missarum omnium, quae sunt receptae vt dicantur in aliis ecclesiis, tum quod res noua introducta est, cuius nullus est vsus in Societate, tum quod inde, progressu temporis, videbimur contraxisse vel contraheremus omnino aliquam obligationem. Itaque primum sunt admonendi illi, quorum precibus dicebantur missae, et deinde pedetentim, nunc vna, nunc alia, est abroganda; et addendum, ne videatur illis mirum, quod Rector obediat suis superioribus; et si illis integrum est, scribant ad Generalem. Poterit etiam offerri, quod domi in missis orabimus ad illorum intentionem.

Cum inuitantur nostri ad primitias, dicant se non posse ire, quia non licet eis offerre.

Habeatur cura instituendi cantus figurati, cuius primus vsus esse potest in scholis, vt cum habuerint paratum sacellum, possint decantare et missas et vesperas.

Quoad causam Clengii [6], persistant doctores nostri in ea sententia, quam dixerunt; nec consentiant, nec impediant eius promotionem, vtrunque simplicissime et humillime. 2.° Vt nullo pacto improbent, nec domi nec foris, illud mandatum Principis, vel illam promotionem. 3.° Vt se familiarissimos praebeant, non solum Staphylo [7], sed etiam Clengio, et omnem honorem illis deferant debitum, illi vt superintendenti, huic vt doctori theologo. 4.° Nihil prorsus obloquantur de doctoribus, qui illum promouerunt. 5.° Si contingat ad consilium illos vocari facultatis, nihil prorsus contendant quacunque de re, sed magna cum honoris praefatione dicant sententiam suam et simplicissime et modestissime. 6.° Quemadmodum se gesserunt nostri doctores in promotione Clengii, ita

---

[6] «Rudolphus Clencke sive Klenk (1528-1578), Bremae (ex parentibus protestantibus?) ortus, in universitatibus vitembergensi, ienensi, rostochiensi, cracoviensi etc. litteris operam dederat, itinera maxima fecerat,... Lovanii Alberti V. Bavariae ducis impensis theologiae operam dederat, Ingolstadii 8. Iunii 1562 theologiae «baccalaureus» creatus erat, cum ea contigerunt, quae P. *Nicolaus Lanoius* S. J., collegii ingolstadiensis rector, in eiusdem collegii Litteris quadrimestribus de Clenckio «proximis mensibus» ibi «contigisse» refert: «Cum deprehensus esset falsa ac fraudulosa in suis lectionibus proponere ac defendere, et a nostris Theologis ipsius praeceptoribus ob hoc admonitus ac redargutus esset, tantum abest vt acquiesceret, vt etiam peruicacius in suis falsis opinionibus persisteret et multa maledicta aduersus priuilegia societatis congereret;... et vt malum astu et impulsu Doemonis facile serpit propagaturque ista priuilegiorum oppugnatio calumniose ad episcopos duos huius prouinciae bauaricae durante illo discidio perlata est, hac spe, vt ipsi nostrae Societatj tanquam iurisdictionis episcopalis euacuatricj sese totos opponerent, et de finibus suis velutj hostem propulsarent» (ex exemplo eiusdem temporis. Cod. «G. Ep. III» f. 84b)... Ceterum ingolstadiensis haec controversia brevi post composita est, ac Clenckius, ut de Staphylo nihil dicam, postea et theologiam tradendo, et libros scribendo, et seminaria ecclesiastica regendo, et contionando ecclesiae operam utilem praestitit.» BRAUNSBERGER, *Epist. B. Canis.*, t. III, pp. 555, 556.

[7] Sermo est de Friderico Staphylo (Stapellage). De eo, si placet, inter alios videri possunt: AGRICOLA, *Histor. S. J. German. Super*, dec. 3, nn. 24-27, 149.—BRAUNSBERGER, *opere cit.*, t. III passim.—*Epist. P. Natalis*, t. II, pp. 223, 253, 600.

se gerant cum fuerit doctor, si petat recipi in facultatem: respondendum enim illi est, vt id a Principe petat, se nil contradicturos nec factum improbaturos [a].

Obseruent nostri, vt effugiant difficultates, quas passi sunt superiori anno, in quas timendum sit ne offendant inter disputandum, quod facile habebunt compertum: cum his igitur disputationem vitabunt, si fieri potest; si non posset, non solum modestius cum his agent quam cum aliis, cum sint acturi cum omnibus modestissime, sed nihil dissimulantes vel conniuentes, si quid ad fidem attineat et ad solutionem rationum: si quae adducuntur, ita agant moderate, ita quiete, vt remisse potius vel negligenter agere videantur, quam vt minimam dent occasionem contentionibus.

112

†

Jesvs.

QUAE DIXIT R. P. NATALIS

RECTORI INGOLSTADIENSI

DE REBUS QUAE AD PRAESENTEM EXECUTIONEM SPECTANT [1]

31. Nostri non egrediantur in agrum cum pueris, nisi qui praesunt conuictoribus, et nostri non se coniungant illis in agro.

37. Pueris conuictoribus non permittatur habere pecuniam, sed eam diligenter custodiat singulis separatam eorum praefectus; et habeat quidem arcam in hoc collegio, et paululum *pecuniae* secum, ne oporteat *subinde* uenire ad collegium; et habeat diligentissimam rationem pro singulis ipsorum praefectus.

38. Obseruent *conuictores* quadrantes illos orationis mane et vesperi.

39. Exerceantur examinare conscientias suas.

40. Instituantur in oratione, pro eorum captu; recitent offi-

---

[1] Ex archetypo, a librario ignoto scripto, et a Natali propria manu emendato, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 31-33. In eodem codice, ff. 61-64, extat ejusdem monumenti apographum exemplum.

[a] *In ms.*, contradicturus nec factum improbaturus.

cium B. Mariae Virginis, vel rosarium, vel septem psalmos poenitentiales cum letaniis; ordinarie quidem officium B. Mariae Virginis; cui si possent singulis diebus rosarium addere, melius esset; aliquando psalmos poenitentiales vel etiam officium mortuorum. Haec dispensabit illis praefectus ex consilio Rectoris.

41. Examinentur denuo eorum libri; et si quem habent haereticum vel suspectum, ille adimatur omnino.

44. De reliquis, quae spectant ad conuictores, agam ego Dilingae.

52. De uisitatione classium inferiorum locutus est cum Cancellario R. P. Natalis Ingolstadii, et dixit se intellexisse et de classibus et praeceptoribus, et nihil in eis desiderare, et illas classes precario esse a nobis receptas, nec voluisse Principem includi in fundatione (quod confessus est Cancellarius). Itaque nos in illis classibus velle placere Duci sine vlla obligatione, et semper facturos vt nihil in illis desideretur. Itaque significauit R. P. Natalis Cancellario, non esse admissuram Societatem uisitationem earum classium vel acerbam exactionem. Dixit Cancellarius se scire vnde ille rumor de classibus fuisset ortus. Est enim ortus propter filium D. Peringerii, qui tamen rumor fuit falsus, etc. Haec coniungantur cum 4 admonitione, vt ex illa et hac respondeatur visitatoribus, si quid mouere in ea velle viderentur.

113

†

QUAE PRAESCRIPSIT R. P. NATALIS

IN COLLEGIO INGOLSTADIENSI [1]

Nullus ferat cultrum secum, ne pennarium quidem, nec etiam coadiutores, nisi forte iter faciant.

[1] Ex archetypo P. Natalis, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 47 et 48. In eodem codice, ff. 64 et 65, extat etiam apographum ejusdem scripti. Quae italicis characteribus notantur, P. Natalis manu sunt scripta, sive addita sive emendata. Quo tempore scriptum fuerit hoc documentum, erui potest ex eo, quod loquatur de decreto S. Francisci Borgiae, anno 1565 dato; unde haec instructio ad annum 1566, quo Ingolstadiense collegium invisit Natalis, referenda videtur.

Professores libere quidem sententias suas dicant in consiliis vniuersitatis et promotionibus, modestissime tamen et cum omnium aedificatione spirituali. Obseruent in suis sententiis statuta vniuersitatis; et si aliquid illis non videretur seruandum, de illo consulant Provincialem et stent eius iudicio.

Vbi dicenda est sententia publice, si fieri [a] possit, conueniant prius inter se, vt idem dicant; et si ex tempore est dicenda, idem curent praestare, quoad eius fieri poterit.

Vt faciunt hactenus, ita districte obseruetur, vt nihil accipiant nostri ex promotionibus, vel ex aliis quibusuis emolumentis vniuersitatis, et profiteantur se id debere facere ex instituto. Quod si sciant, quae ipsis debebatur, pars ab aliis intercipi, id diligenter curent emendare. Ratio vero certa emendationis erit, si sciant promouendi, nihil nobis ipsos *esse* daturos, neque vllis aliis, quod nobis fuisset dandum.

Nullus domo exeat nec ad consilia vniuersitatis, nec ad *solita* conuiuia, absque particulari licentia Superioris. Et tamen professores intelliguntur habere licentiam generalem eundi ad classem, cum sunt docturi, etc.

Obseruetur Ingolstadii et in aliis collegiis [b] Germaniae, vt conclusiones, de quibus publice disputandum est, primo exhibeantur praefecto studiorum eius facultatis; qui si nihil reperiat emendandum, vel si absque controuersia vlla vel contentione cum praeside conclusionum emendari possunt, nihil est amplius agendum. Si hoc non succedat, veniet praefectus ad Rectorem cum *conclusionibus,* qui, euocatis duobus peritis eius facultatis, emendabit conclusiones ex maiori parte *suffragiorum,* et emendatas curabit defendi; nec quicquam poterit immutari a *praeside.*

Conclusiones theologiae, vt hactenus factum est, imprimentur, praesertim cum externi soluunt expensas preli; quas si non soluant, erit in arbitrio Prouincialis positum, an sint imprimendae impensis collegii.

Quae erunt imprimendae positiones, illae erunt, quoad eius

---

a fueri, *ms.*

b collegii, *ms.*

fieri poterit, doctissimae, atque accuratissime [c] conscriptae et elaboratae.

Positiones imprimendae primum emendabuntur in collegio, quemadmodum dictum est: deinde tempestiue quidem mittendae sunt ad Provincialem, cuius erit imponere vltimam manum.

Decretum Rdi. Patris Generalis [2] de nouis opinionibus, editum [d] mense Nouembri 1565, obseruetur, et quidem diligenter. Quod si quid viderint rectores, quod cum illo pugnet, grauiter de illa re animaduertant in suos, et simul referant ad Provincialem.

Obseruetur diligenter vt sola lingua vel germanica vel latina loquantur Patres et Fratres; sed qui nesciunt germanice, diligenter discant, et ii praesertim, qui iam aliquod principium habent eius linguae.

Ad recreationem veniant omnes, vt postulat ratio instituti et regulae; et, quoad eius fieri poterit, in eodem loco recreentur omnes.

Nulla sit exemptio domi; sed si quis videatur extra ordinem aliqua re egere, ea illi poterit ex praescripto medici concedi, non aliter. Seruetur tamen, quod hactenus consuetum est, vt vinum detur sacerdotibus.

Nullus, ne Provincialis quidem, nouam obligationem aliquam, absque consensu Generalis praepositi expresso [e], suscipiat in collegiis, praeter eam, quam habent ex dotatione; et caueant ne *ex consuetudine* aliqua oriri possit aut praetendi ab externis noua obligatio.

Diligentissime obseruetur ne, quae domi fiunt, euulgentur, ne apud amicos quidem externos.

Si Rectori videretur cum aliquo ad tempus in aliqua regula dispensandum, faciat ea de re certiorem Provincialem statim [f].

---

[2] Scilicet Francisci Borgiae.

[c] accuratissimae, *ms.*

[d] aeditum, *ms.*

[e] expressa, *ms.*

[f] *Sequebantur haec, quae deleta fuerunt:* «*Nullo pacto est* introducenda in his collegiis Bauariae consuetudo aliqua, ne illico cogamur *illa* astringi.»

114

OBSERVANDA A NOSTRIS DOCTORIBUS INGOLSTADII [1]

4.° Ut prius, qui praesidet disputationi, inuitet et det locum argumentandi externis, quam nostris, aut saltem alternis, sed incipiendo ab externis.

5.° Non adesse promotionibus haereticorum.

8.° Non eligere in rectorem nec decanum aliquem fautorem et promotorem manifestum haereticorum, si modo alius aliquis eligi possit sine scandalo.

9.° Non obloqui contra externos professores, praesertim coram aliquo externorum; multo minus in thesibus, praesertim excusis, aliquem notare, ut intelligi possit contra quem agatur, etiamsi ille erret, qui notatur.

10. Emendatis thesibus a sancta obedientia, nil noui addere, mutare vel minuere, inconsulto Rectore; hinc enim provenerunt scandala.

11. Si qua in re diuersam opinionem habemus, non impugnare a nobis diuersam odiose; sed vel tacere, vel, vtriusque partis rationibus propositis, judicium suum cuique liberum relinquere.

115

†
Jhus.

QUAE DIXIT REV. P. HIERONYMUS NATALIS PRO DOMO CONUICTORUM MOGUNTIAE ANNO 1567 [1]

Addetur, vt ante principium orationis dicatur Credo et Pater

[1] Ex archetypo P. Natalis, in cod. *Natal. instr. Germ.*, fol. 49. Titulus desumptus est ex ultima pagina, ubi ad modum inscriptionis reperitur.

[1] Ex apographo, ab ignotis duobus librariis exarato, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 71-74 (95-98). Apud PACHTLER, *Ratio studiorum* etc., t. I, pp. 205-207, habentur ea, quae eodem anno (1567) «dixit R. P. Hieronymus Natalis de Scholis Collegii Moguntini.» Ea vero in cod. *Natal. instr. Germ.* minime reperiuntur.

et Aue Maria: post orationem ne legantur nomina, sed sit aliquis, vel etiam duo, qui obseruent ne quis desit. Id etiam possunt obseruare nostri, qui erunt praesentes. Curet regens commensalium, vt illum quadrantem horae, qui destinatus est orationi et mane et vesperi, bene occupent commensales, siue in legendo horas beatae Mariae Virginis, quod erit magis vsitatum, siue officium de aeterna Sapientia, siue rosarium vel alias orationes, vt magis videbuntur proficere conuictores in oratione.

Post absolutum quadrantem orationis matutinae, dicant compendium lytaniae, hoc est:

Pater de coelis, Deus.
Fili, redemptor mundi, Deus.
Spiritus sancte, Deus.
Sancta Trinitas, unus Deus. } Miserere nobis.

Sancta Maria.
Sancta Dei genitrix.
Sancta virgo virginum. } Ora pro nobis.

Omnes sancti angeli custodes nostri.
Omnes sancti beatorum spirituum ordines. } Orate pro nobis.

Omnes sancti et sanctae Dei. Intercedite pro nobis.

Versic. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua.

Resp. Laetetur cor meum vt timeat nomen tuum.

Versic. Vtinam dirigantur viae meae ad custodiendas iustificationes tuas.

Resp. Tunc non confundar, cum perspexero in omnibus mandatis tuis.

Versic. Domine, exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium huius diei nos peruenire fecisti, tua nos hodie salua virtute, vt in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam iustitiam fa-

ciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera.

Defende quaesumus, Domine, beata Maria intercedente, istam ab omni aduersitate familiam, et tibi toto corde prostratam, ab hostium propitius tuere insidiis. Per Dominum Jesum Christum, etc.

Pueri et illi praeterea, qui maiori obseruatione egere videbuntur, maneant in domo P. Valeriani.

Sit coadiutor M. Valeriani [2] Ioannes Latomus [3].

Quoad eius fieri poterit, fiant tres classes commensalium: vna inferioris aetatis, mediocris alia, adulti sint in tertia. Hi habebunt separatas mensas, separatas etiam recreationes, et separata etiam cubicula ; et tamen, si videbitur adhibendus ex superiori classe aliquis ad inferiores, praeter nostros, qui exemplo possit alios iuuare, non erit alienum.

Iniungatur illis serio et frequenter vt, cum studere incipient, commendent se Deo, quod facere poterunt recitando illam orationem: Actiones nostras quaesumus, Domine, aspirando prae ueni et adiuuando prosequere, vt cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te coepta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Curetur vt non solum grammatici et humanistae, sed etiam rhetores et philosophi et theologi, habeant suas disputationes et repetitiones particulares domi. Ante orationem nocturnam dicetur Credo, Pater noster, Aue Maria et Salue Regina. Subsequetur et hic quadrantis horae oratio, quo finito dicetur: Gratias agimus tibi, Domine sancte, Pater omnipotens, aeterne Deus, pro vniuersis donis et beneficiis tuis, qui viuis et regnas Deus.

Deinde dicetur compendium litaniae, vt supra, cum orationibus et versibus sequentibus.

Vers. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

---

[2] «P. Valerianus Reudux, conuictorum praefectus primarius et confessarius.» Vide catal. collegii Moguntini anni 1567.

[3] «Joannes Latomus confluentinus.» Vide catal. in praecedenti annotatione citatum.

Resp. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis; cum reliquis versiculis consuetis, vt supra: Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende, vt simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a poenis, quas pro his meremur, eripias.

Visita quaesumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle. Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum, etc.

Fidelium animae per misericordiam Dei sine fine requiescant in pace. Amen.

Quando audiunt missam commensales, legant residuum horarum, vel recitent rosarium; et tamen instituantur vt id faciant, cum submissa voce loquetur sacerdos. Audiant vero attente et deuote, quae alta voce dicuntur.

Doceantur commensales facere examen conscientiae iuxta eorum captum; et praescribetur illis vt in illo quadrante vespertino examen faciant singuli, vt erunt edocti ; et adhibeatur seria obseruatio et exactio, ne illud omittant : quod si haec videatur difficilis, scribatur illis examen cum confessione generali, et illud teneantur legere. Quod hactenus obseruatum est in collegio conuictorum, sint obseruatores ex commensalibus, qui mutentur singulis hebdomadis et referant; et tamen non omittant praefecti cubiculorum nostri, et qui erit regentis coadiutor, obseruare diligentissime et referre; sed tamen hoc facient nostri secretissime, vt effugiant offensionem puerorum.

Nullam habeat jurisdictionem in domo conuictorum, vel in regentem ipsorum, minister collegii ; sed omnia pendebunt ex Rectore collegii: et si quid illi videbitur dicendum in rebus temporalibus, vel etiam aliis, id erit tanquam ab eo, cui illud fuerit munus a Rectore collegii iniunctum. Famuli ita permittantur studere, vt nulli officio, quod ad ipsos attineat, desint ; et id praescribat regens.

Det operam regens vt pueri sint mundi, et in vestibus, et in cubiculo, et a pediculis.

Sit facultas in vtraque domo conuictorum, ex causa, castigandi pueros etiam virgis pro culpis non adeo grauibus, et tamen non excedant modum sex ictuum: quod si grauior aliqua causa eueniret, consulatur prius collegii nostri Rector, quam adhibeatur disciplina: nec aliter castigentur conuictores quam virgis; neque aliter attingantur a nostris. Itaque seruabitur illa regula, quae est inter nos, de tactu; possunt tamen illis iniungi poenitentiae, quae esse poterunt pro leuioribus causis: inseruire mensae extra ordinem, stantes commedere, non permittere egredi ad campum; et si videatur suauiter posse praescribi, vt sint in circulo per aliquod tempus cum alii commedunt, vel publice reprehendantur de defectibus publicis et notoriis: haec tamen pendebunt ex arbitrio Rectoris collegii nostri.

Ex causa, dictum est adhibendum flagellum junioribus: alii reprehendentur grauiter: et tandem, si res videatur tam grauis, poterunt dimitti a collegio. Haec cum ita sint, nullus tamen ex praefectis cubiculorum poterit quenquam conuictorum verberare, nisi probante Superiore suae domus et praesente.

Nullus mittatur ex commensalibus foras, nisi adhibito socio probato, vt hactenus factum. Si aliquis dicat se vocari ad prandium vel coenam, si illum, vocat is, cuius nomine est in conuictu, poterit illi concedi: vt ad alios eat, ne concedatur. Dabitur autem ei, qui ita euocabitur, vnus famulus, qui eum commitetur domum vsque; et praescribetur illi vt maneat illic, donec redeat eius comes, quem curabit regens mittere statim post prandium.

Abrogetur consuetudo, quae obtinuit hactenus, vt in die sanctorum Innocentium virgis excitentur ex lecto conuictores.

Quum sunt plures lecti in vno cubiculo, singulis lectis appendantur suae cortinae, ne inuicem possint se conspicere cum eunt ad lectum vel surgunt.

Mantilia mutentur apud conuictores bis omnino, aut ter etiam, si videatur necessarium, in hebdomada. Praeterea mappae bis mutentur; et id vt fieri possit, triplicentur mantilia, et mappae duplicentur, ex pecuniis conuictorum.

Famuli conuictorum non occupentur in seruitiis collegii nostri, nisi extra ordinem et probante Rectore collegii; et si contigerit hac ratione mitti aliquem famulum vel diutius occupari, illius loco mittant aliquem ex fratribus coadiutoribus, qui suppleat locum famuli in illo collegio.

Vt maior vtilitas accipiatur ex obseruatione defectuum et lectione cathalogi, poterit hoc obseruari: Primum, vt illi commendentur publice, et amoue[a]ntur qui delati non fuerint; qui vero fuerint delati, ii semper verbis castigentur primum, deinde adhortentur ad virtutem. Nec erit necessum omnibus iniungere poenitentiam semper; et tamen pedetentim et cum iudicio poterit regens introducere vt pro grauioribus et frequentioribus erroribus detur aliqua poenitentia, quae disciplina poterit augeri iusta quod censebit regens commode posse fieri, consulto Rectore collegii nostri. Semel scribat Rector uel regens conuictorum ad eos, qui alunt conuictores, et postulet pro eorum humanitate vt, si quid ad ipsos scribant sui, in quo videantur accusare gubernationem collegii, vel omnino de collegio male loqui, id velint servare (?) per literas, vt vel emendentur, si quid emendatione dignum videatur, vel vt, satisfactione accepta, falsis delationibus ne dent fidem.

Rector collegii nostri, etiamsi solus possit recipere ad collegium conuictorum, vel etiam dimittere, tamen id non faciat, nisi prius audita sententia regentis illius domus.

Curet Rector et regens, vt quam fidissimi et probatissimi habeantur famuli, qui obseruabunt quae ad orationem et disciplinam obseruant conuictores; et hi, si non perseuerent in disciplina et probitate, dimittantur, et alii asciscantur.

Regens collegii conuictorum nullum recipiat in conuictum, vel e conuictu dimittat, nisi consulto et probante Rectore collegii.

Regens, si non quotidie, saltem alternis diebus veniat ad Rectorem, et exponat quemadmodum res collegii conuictorum se habeant. Si tamen aliquid euenerit difficile et graue, de eo statim referat ad Rectorem.

Domi in collegio conuictorum instituatur vt recitent memoriter lectiones conuictores, ne illud necessum sit facere in schola, quod significabitur praeceptoribus nostris.

Ludi puerorum esse poterunt globuli, tabulae ad mensam, pila, ad stylum iacere discos, et ille ludus, qui dicitur germanice (regelen), et si quis alius ludus germanicus videbitur honestus et decens; nunquam tamen praemium victoriae erit aliud, quam recitatio alicuius versiculi ex psalmis, vel Aue Maria, ut volunt.

Quod diximus de lotrice, ne veniat ad collegium nostrum, in instructione quam dedimus Rectori, idem intelligatur dictum et fiat in domo conuictorum.

Nostri ne eant ad conuictores ad prandium vel coenam, praeter eos, qui illic sunt constituti; poterit tamen illuc Rector ire ad prandium vel ad coenam, vt exploret quid agatur, vel etiam minister, quocum venient: nihil sibi facient extra consuetum modum bibendi et commedendi apponi, nec aliis permittant aliquid extra ordinem apponi.

†

ANNOTATIONES IN REGULAS PIETATIS CONUICTORUM

Horae beatae Mariae Virginis. Hae poterunt recitari in quadrante orationis matutinae et inter audiendum sacrum, et si quid reliquum sit in quadrante examinis vespertini; poterunt tamen commutari in officium aeternae Sapientiae, in septem psalmos, in rosarium et alias orationes, vt docebit vsus maiorem fructum percipi, modo horae beatissimae Mariae Virginis vsitatiores sint.

In festis diebus. Nihil videtur addendum ad quotidianam orationem nec priuatim nec publice, siquidem audient cantatam missam, concionem, vesperas, lectionem; et tamen, quo die communicabunt conuictores, paululum temporis poterit eis concedi, quo se parent ad communionem; item paululum, quo gratias agant pro beneficio accepto.

Instructioni autem. Hanc instructionem aut exhortationem habebit aut Rector collegii nostri, aut illius regens, aut alius, cui Rector iniunget; et singulis quidem hebdomadis deberet haberi die veneris; licet tamen non erit necessum vt per integram horam habeatur, donec iudicio Rectoris videbuntur conuictores non aegre laturi etiam vnam horam si habeatur exhortatio.

Modus obseruandi. Hic modus est romanus, qui fere non

conuenit vsui huius domus conuictorum; et quae ex hoc ordine conueniunt, in instructione Rdi. P. Natalis sunt annotanda.

Quod dicitur in primis regulis, «agant inter se semper cum singulari modestia», idem intelligitur, quod prius dicebatur, «ne se contingant petulanter», quod voluimus dicere modestius et maiori cum pudore; et tamen obseruatio et castigatio eadem debet esse.

A tergo. † N. P.

Polanci manu. p. e. m.

116

QUAE DIXIT REV. PATER NATALIS IN COLLEGIO MOGUNTINO [1]

Det operam Rector [2] ut feruor, et uniuersus finis, qui nobis est constitutus, et totius instituti conseruetur in collegio et, quoad fieri poterit, sumat incrementum: id etiam curet diligenter in frequentatione sacramentorum ut fiat.

Qui maiusculi sunt in scolis, ii non verberabuntur; sed, si admoniti et reprehensi noluerint obedire, deferentur ad parentes corrigendi, vel dimittantur. Idem intelligatur de nobilioribus, qui, etiamsi sint pueri, non verberabuntur absque parentum facultate et consensu. Quales autem intelligantur per maiusculos, intelligat Rector a me uel a Prouinciali [3].

117

QUAE REV. P. HIERONIMUS NATALIS DIXIT MOGUNTIAE [1]

Ne admittantur conuictores vt ludant in atrio collegii nostri.

---

[1] Ex apographo coaevo, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 303v et 304. Post titulum additur: «7 Januarii 1567.»

[2] «P. Lambertus Auerus, rector collegii Moguntiae, concionator Spirae.» Sic catal. Moguntini collegii anni 1567. Vide etiam REIFFENBERG, *Hist. S. J. ad Rhen. Infer.*, lib. V, cap. ult.

[3] Praepositus Provincialis erat P. Antonius Vinkius ab anno 1564, cum Inferioris Germaniae Provincia in duas divisa fuit.

[1] Ex apographo coaevo, a duobus librariis exarato, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 75-78 (89-92).

Ne inuitentur amplius conuictores ad classem theologicam.

Patres et fratres omnes, qui non sunt ex professoribus, qui ducant et obseruent scholasticos in templo, eant simul ad templum mane et a prandio, et ibi destinetur illis locus, vbi possint esse separati ab aliis.

Fiat discus vnus magnus pro commensalibus.

In festo diui Sebastiani cantetur missa, et fiat contio, et intermittantur lectiones ante prandium: a prandio habeantur omnes lectiones. Idem fiat in festo sancti Rochi. Huc vero referuntur ad impetrandam horum sanctorum intercessionem contra pestem.

Rector visitet aliquando scolas; audiat lectiones etiam aliquando theologorum et philosophorum et disputationes.

118

RESPONDET MAG. THEODORICO RECT. MONACENSI R. P. NATALIS [1]

In collegio pauperum et domo conuictorum [sit] qui pecuniarum et victus rationem habeat...; nostri vero pietatis tantum et studiorum rationem habeant, et videant quomodo tractentur, et portio instituatur secundum rationem temporis.

Munuscula parua aliquando possunt accipi a discipulis.

In renouatione studiorum orationes, carmina, disputationes habeantur; praemia iis, qui optime componunt, decernantur.

De correctione puerorum ita statui potest, ut externus hoc [habeat] officium, vel ipsi praeceptores, uel nouitius aliquis, loco suae probationis, qui interea conuictoribus cohabitaret.

Possunt dari exercitia spiritualia in collegio discipulis scholae, si uerissimile sit parentes consensuros in ingressum Societatis.

---

[1] Ex apographo, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 305v et 306. Sermo est, ut patet, de P. Theodorico Canisio, qui tunc temporis, anno scilicet 1562, Monacensis collegii rector erat. Hic, quo collegii sibi commendati rationem redderet, statim, post P. Natalis adventum, Augustam perrexit, ubi per tres vel quatuor dies commoratus est. Vide *Epist. Natal.*, t. II, pag. 138, n. 1.

119

PRO MONACHIO

QUAE DIXIT PATRI PROUINCIALI P. NATALIS [1]

Ut Prouincialis agat cum Principe, ut possit nobis constare nostra libertas gubernandi nostros, mittendi et mutandi etc., ex exemplo Schorichii [2] et Martini [3], et ut non obligemur nisi ad unum concionatorem Monachii, quemadmodum est in fundatione collegii; sed haec omnia modestissime, et ut uiderit Principem posse capere, ut prodesse possit et nihil obesse Prouincialis diligentia.

Videat Prouincialis an possit curare commode, ut dentur exercitia spiritualia aliquot matronis, quae possint alias foeminas iuniores instituere ad pietatem, et curam suscipere bonorum operum, sicut facit Dna. Fuggera [4] Augustae.

In scholis declarent euangelium dominicis ac festis diebus.

---

[1] Ex archetypo P. Natalis, in cod. *Natal. instr. Germ.*, fol. 6, cum emendationibus et additionibus P. Theodorici Canisii. Praepositus Provincialis erat P. Petrus Canisius.

[2] P. Georgius Schorichius, cujus cognomen etiam scriptum reperitur hoc modo: «Scorichius, Schorrichius.» Vide Braunsb., *B. Canisii epist.*, t. III, pag. 519.

[3] P. Martinus Stevordianus (Gewarts).

[4] Ursula de Lichtenstein, Georgii Fuggeri (Fugger) uxor. Vide quae de Familia Fuggerorum affert Braunsb., *oper. cit.*, t. III, pp. 652-655.

MONUMENTA AUSTRIAE [1]

120

QUAE DIXIT NATALIS RECTORI VIENNENSI [2]

Quemadmodum sunt tractandi vel inducendi auditores nostri ad conciones et menstruas confessiones, etc., constituitur innitio 16 capit. Constitut. 4 partis; et tamen addi posset: eorum, qui illa non obseruarent nec ad ea cogi possent, minor habeatur cura, nisi que adhibebitur ad hoc, vt ea velint obseruare et meliores fieri.

Si commode fieri possit, alternis diebus pro confesariis nostris legatur vna lectio casuum conscientiae ab aliquo doctore nostro domestico; si fieri commode non possit, saltem confesariis detur vna hora quotidie, quam dent casuum conscientiae studiis, si alioqui instructi in illis non erunt; et, vtcumque sit, dabitur opera saltem vt diebus dominicis sit collatio quedam casuum conscientiae, ad quam conuenient omnes qui audiunt confessiones, et, preside Patre Rectore, vel quem ipse constituerit, proponantur in medium dubia et soluantur.

Esset etiam vtilis lectio aliqua de controuersiis ; sed tamen consulte oportet deligi eum, qui sit hanc lectionem prelecturus: nec uidetur legenda, nisi nostri auditores essent iam mediocriter instructi in theologia scholastica.

Praeceptores, etiamsi in classe disciplinam obseruabunt, ut aperto capite discipuli sint cum aliquid in schola dicunt uel interrogantur, tamen extra classem debent iubere illis ut tegant capita, et non permittere eos ut semper sint aperto capite.

Videtur commodius omnibus scholasticis, ut mane, sicut in aliis collegiis fit, ante lectiones audiant missam.

---

[1] Austriam hic intelligimus imperium Austriae-Hungariae nunc existens.

[2] Ex archetypo, Natalis manu emendato, in cod. *Natal. instr. Germ* , ff. 138-145 (204-211). Titulum scripsit ipse Natalis.

Seruetur regula ut nullus alloquatur externum hominem absque licentia uel particulari uel generali; generalis autem dabitur quibus uidebitur. Ea etiam solet dari praeceptoribus, et scholasticis etiam, quibus uidebitur, ut possint fructum referre ex auditoribus nostris.

Quoad eius fieri poterit, nullus, qui fuerit uel sit futurus discipulus in uno collegio, in eodem legat, nisi si sit futurus discipulus in philosophia uel theologia; is poterit in inferioribus classibus legere; tametsi melius id esset obseruare, si fieri posset, quod seruatur Lutetiae, ut nullus possit legere, etiam in grammaticis, nisi sit magister in artibus: necessitas faciet ut haec obseruari non possint his initiis.

Exerceantur diligenter nostri in grammaticis et humanioribus et rhetoricis.

Examinentur pueri scholastici suis temporibus an sciant catechismum.

Vt ex Uirgiliis auferentur Priapea, ex Ouidiis etiam libri de amoribus omnes.

Vt sint statuti confessarii pro classibus.

Annuae disputationes habeantur in templo; menstruae in schola magna.

Detur opera ut pueri sint quieti eo tempore, quo expectatur praeceptor ad classem, et tunc etiam, cum sumunt merendam inter 3.am et 4.am horam pomeridianam.

Cum primum erunt scripta nostra aliqua, uel conclusiones imprimendae, per compita affigendae uel alicui dandae, ne imprimantur arma Maximiliani, si sint imprimenda arma Caesaris. De ea re consultetur commode Caesar, uel, si Caesar non adsit, eius consiliarii, si adsint, ne incurramus aliquam offensionem istorum principum.

Nostri rhetores non solum in rhetoricis, sed etiam in poësi exerceantur, praesertim in estate.

Nihil temporis adiiciatur ad lectiones ordinarias: tamen commodius uidetur, si mane addatur dimidia hora ordinariis duabus, qua dimidia hora possint repetere lectiones, et professores possint exercere suas. A prandio uero accipiantur rursum duae horae

cum dimidia, et ueniant ad classem praeceptores hora prima et media, et egrediantur hora 4.[a]

Scholastici quidem nostri audiant missam ante lectiones; lectores vero siue ante lectiones vel inter lectiones ipsas, ut iudicabitur ipsis commodius; et tamen facile poterit illis concedi alterutrum, ut ipsi optabunt, pro ratione suorum studiorum et necessitate, ut alibi dictum est.

In classibus omnibus sint imagines; et doceantur pueri, cum primum ingrediuntur scholam, paululum orare ante imagines.

Detur opera ut scripta necessaria mittantur Pragam et Tyrnauiam, quae sunt novem illi scriptorum quaterniones: rectorum instructio; instructio examinatoris cum officio; distinctio clasium; officium praefecti studiorum; regulae scholasticorum Societatis; instructio eorum, qui sunt in prima probatione; catalogus confessionis generalis, qua redditur etiam ratio conscientiae, tametsi methodus huius catalogi contineatur in scriptis meis casus conscientiae cum explicationibus posterioribus; nam Pragae et Tyrnauiae (ut opinor) sunt alia, quae sunt illius quaternionis.

INSTRUCTIO PRO SEMINARIO OLOMUCENSI [3]

†

Ex superioribus fiet compendium, quod dabitur praefecto Seminarii traditione exercendum, vel etiam exhibendum alumnis et conuictoribus, ubi primum recipiantur, si ita videatur Reuerendissimo [4], tametsi remissius agendum videatur cum conuictoribus, quam cum alumnis, et separatim hi ab illis collocandi sunt in eadem domo. Interea ex consilio Reuerendissimi expectabitur ut mittantur ex Urbe regulae seminarii Romani, quae cum venerint, poterunt cum superiore scripto et regulis collegii Germanici, Romani et collegii noui Viennensis conferri, ut tandem maturo consilio conficiantur regulae pro seminariis huius nationis.

---

[3] Praecedens inscriptio sub finem totius scripti reperitur.

[4] Ab anno 1553 ad 10 Febr. 1565 Olomucensis episc. fuit Marcus Kuen. GAMS, *Series episcop.*—In *Histor. S. J. Prov. Bohemiae,* P. SCHMIDL, lib. II, n. 56 (anno 1558), vocatur Marcus Khuenus.

Instituantur in seminario duae [tres?] classes, tum in alumnis, tum in conuictoribus: vna sit puerorum, alia adolescentium, 3.ª adultorum. Hae classes inter se agent recreationes, ludent et versabuntur, et separatim habitabunt.

Saltem 15.° quoque die, si octauo quoque die fieri non possit, habeatur exhortatio facilis vel a regente vel ab aliquo selecto ex collegio nostro, qua instituantur ad pietatem.

Obseruentur a praefectis cubiculorum defectus puerorum in libellulo, quem habebunt singuli ad hoc paratum, et singulis hebdomadibus referant ad regentem, qui, conuocato praefecto et eius contubernalibus, singulis obiiciet suos defectus et arguet, vel etiam penitentiam aliquam adiunget; alios, qui se bene gesserunt, laudabit et hortabitur ad meliora. Haec tamen intelliguntur de defectibus manifestis, non de secretis, de quibus similiter referent ad regentem praefecti, et his regens applicabit disciplinam seueram secreto.

Penitentiae imponantur pro grauioribus delictis, pueris quidem ferula et flagellum, maioribus autem disciplina: pro leuioribus inseruire mensae, stantes comedere, non permittere egredi ad campum, demere aliquid ex cibo et potu.

121

QUAE DIXIT P. NATALIS

RECTORI VIENNENSI EXEQUENDA [1]

Potest legi compendium rhetorices P. Cypriani, sed ita tamen, ut succedat grauior lectio artis ex Cicerone uel ex Quintiliano.

Non promoueantur ad superiorem scholam nisi plane idonei, quod similiter est obseruandum ex classe rethorica, si quis ad cursum sit promouendus.

---

[1] Ex archetypo nitide exarato, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 91-102 (154-165): extat cum aliis scriptis, ad Natalis visitationem spectantibus, et in fol. 105 a tergo haec habetur autographa inscriptio Natalis: «Austria etc.: quae dixit Natalis, et in aliis prouinciis»; et ibidem manu Patris Jimenez: «Ihus. De collegio Viennensi.»

Ad orationem latinam, quae habetur in scholis ex consuetudine, conueniant fratres.

Ad scholas nostras catholici tantum admittantur; quod si sciretur aliquis esse haereticus, et se accommodaret ad nostras regulas, audiret missam, catechismum, confiteretur catholice, non uideretur excludendus, nisi comperiretur omnia illa facere ficte. Si quis tamen huiusmodi faceret spem, breui fore ut conuerteretur, posset tolerari per id temporis, quod Prouinciali uel Rectori ex eius commissione uideretur. De hoc capite item consulat Prouincialis P. Generalem; item de his, qui partim in vniuersitate, partim hic audiunt.

Curet diligenter et Prouincialis et Rector, ut instituantur pueri in scholis piis moribus accuratissime.

De comoediis, si uideatur utile quod singulis annis agatur aliqua comoedia, id uidebit Prouincialis: saltem non agatur bis in anno, diversis temporibus, nisi contingat eandem repeti intra paucos dies.

Scribat P. Natalis et P. Prouincialis ad P. Generalem, an boni consulat ut admittantur mulieres ad comoedias conspiciendas, quod hactenus factum est, et uix negari potest, ut dicunt isti Patres.

Nulla recitetur comoedia uel actio in templo.

Quo tempore necessitas belli urget, in scholis, quibus diebus non recitantur litaniae in templo, fiant litaniae in omnibus classibus, si fieri potest, post ultimas lectiones pomeridianas. Quod si non possit in omnibus fieri, det operam Prouincialis et Rector ut fiant in quibus poterunt.

Si non possunt commode plures praeceptores adesse in templo pueris, saltem constituantur inter ipsos sindici, qui insolentes notent et deferant; uel potius is, qui ex praeceptoribus aderit, idem praestet.

Exerceatur in scholis disciplina, et praeceptores grauitate utantur, et eo magis, quod magna ex parte sunt juuenes.

Si fieri posset, ut alibi essent collegiales et conuictores dum officia sacra celebrantur, id probarem magis; si uero id fieri non possit, illud saltem diligentissime curetur, ut illic sint quietissimi

et modestissimi pueri, et accommodentur scamna, ut facile possint incumbere et etiam sedere. Distinguantur uero tempora, quibus sedere possint et genuflectere debeant. Breuiter, curetur ut sint aedificationi, cum sint in prospectu omnium.

Quae datur offa pro ientaculo in collegio nouo, curetur ut sit optima, quoad eius fieri potest; et si qui sint alii, qui initio nolint offam, assuefiant comedere; necesse est enim ut se germanicis moribus accommodent. Quod si omnino nolint, nihil illis detur praeter panem, ut solet, et reddi illis poterunt, etc. [a], tum quod male audiremus, si daremus uinum pueris in ientaculo contra morem Germaniae, tum quod alii omnes, qui solent offam comedere, desiderarent quoque sibi dari uinum, et tentarentur.

Diebus mercurii in eodem, et veneris, dent offam pueris.

QUAE RESPONDIT P. NATALIS P. THEODORICO WESTPHALO [2] ET DEDIT EXEQUENDA PROUINCIALI ET RECTORI

Collegium puerorum uocetur, ut hactenus, collegium nouum. Qui sunt in ea domo collegiales pauperes, hi suo nomine uocentur collegiales, alii conuictores.

Pueri, qui sunt notati, paulatim dimittantur: primum tamen castigentur; et interim dum non dimittuntur, diligentissima cura adhibeatur ne recidant. Quod si reciderint, statim dimittantur.

Retineantur 35 numero, comprehensis et collegialibus et conuictoribus, praesertim quando acceperint et parauerint illud spatium, quod est a columna interius, nec praeterea quemquam accipere possint.

Super illud spatium, quod datum est et dandum est collegialibus, poterunt ligna eorum sub pyramide reponere, modo locus

---

[2] «P. Theodoricus ab Hauechkesche, westphalus». *Catal. collegii Vienn. ab Octobri 1566 ad Aug. 1567*. In catalogo informationum ejusdem anni vocatur: «P. Theodoricus ab Haueckesche». In catal. anni 1560 legitur: «P. Theodoricus Westfalus, rector collegii noui»; et in catal. sequentis anni, typis denuo a P. Sommervogel recuso, nominatur: «P. M. Theodoricus, praefectus noui Collegii VVestpha».

[a] *Sic, imperfecto sensu relicto.*

bene asseribus occludatur: possunt etiam includere transuersis asseribus aperturam illam ad attrahenda ligna.

Libri collegii noui in collegio nostro ita collocentur commode, ut nulla ratione corrumpi possint.

Qui ex collegio Societatis mittuntur ad collegiales, ut ibi collaborent, mittentur uestiti cum suis uestibus, quas habent; et cum reuocabuntur, uenient cum uestibus aeque bonis, aut resarcietur damnum.

Pro tota ratione stipendii, quod debebatur a tribus collegiis medico, contribuant collegiales collegio Societatis quinque florenos.

Collegium nouum soluat collegio nostro annue 35 florenos pro conductione et comparte domus, quam ante fabricam habebat, et pro ea parte, quae nunc illi datur superius a columna introrsum, et pro 3.ª parte horti, aut circiter, uersus flumen, ita tamen, ut erigant ipsi sepem ex tabulis, quae dirimat eam partem a nostra, et profiteatur Rector illius collegii publice ea omnia esse Societatis.

QUAE PRAETEREA P. NATALIS DIXIT PRO COLLEGIO NOUO RECTORI

Habeatur exhortatio ad collegiales et conuictores omnes singulis hebdomadis, quae ad pietatem et modestiam et morum puritatem eos excitet. Eam poterit habere aliquando P. Theodoricus [3]; frequentius tamen alius, uel Bartholomeus [4] uel aliquis ex nostra domo. Breuiter, deligat Prouincialis, uel Rector ex eius commissione, eum, qui sit commodissimus ad hoc munus. Ne fiant tamen statim a prandio uel a coena.

Adhibeatur diligentia, ut cum maiori deuotione fiat sortitio sanctorum.

Ex collegialibus et conuictoribus omnibus, quotquot poterunt una lingua concionem intelligere, eam audiant, praesertim ger-

---

[3] P. Theodoricus Tilmans, vel alter, de quo in praecedenti annot. fit sermo.

[4] P. Bartholomaeus Bastoniensis. *(Catal. anni 1566).* In catal. anni 1560 dicitur: «M. Bartholomaeus Bastoniensis, leodiensis, tanquam minister apud collegiales.»

manica; reliqui in alia lingua; quod tamen relinquitur arbitrio Prouincialis.

Obseruetur tempus recreationis per clepsidram, quam si non habeant, ematur omnino.

Quibus diebus habetur recreatio in hebdomade et in cessatione a studiis, si non sit festum, et aëris intemperies non impediat, egrediantur ad recreationem in campum; puerorum tamen habeatur summa obseruatio cum id faciunt.

Statim cum uocantur pueri ad mensam, dicta benedictione, assideant; neque expectetur P. Theodoricus quocumque negotio sit occupatus.

Instituantur omnes accurate et peculiariter in urbanitate et modestia.

122

†

QUA RATIONE SE GERAT

QUIDUE SIBI FACIENDUM SIT STUDIOSUS ADOLESCENS, QUI IN HOC GYMNASIO CAESAREO HONESTIS DISCIPLINIS ET PIETATI STUDET UEL STUDERE UOLET, HIS PUNCTIS BREUITER COMPRAEHENSUM REPERIET [1]

I. Intelligant studiosi adolescentes, qui in nostro hoc Caesareo gymnasio artibus honestis et pietati operam daturi sunt, neminem uel receptum iri uel manere posse, nisi magistris ac moderatoribus clasium in his omnibus, quae et ad eruditionem et ad mores pietatemque spectant, animo non ficto uel simulato, sed syncero, morem gerere paratus sit.

II. Nullis non intersint lectionibus, nec emaneant unquam, nisi iustissimam causam, et testatam satis, magistro suo prius attulerint.

III. Et maxime caueant disputationibus ac repetitionibus iis, quae quotidie quaeque singulis diebus sabbati institutae sunt (ex

[1] Ex archetypo, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 103 et 104 (116 et 117).

quibus plurimum utilitatis et fructus se recepturos persuasum sibi habeant), absint.

IIII. Nisi magistrum suum maturi anteuerterint in ingressu scholae, et ab eodem egrediendi quoquam ante finem lectionum facultatem debita cum reuerentia postulauerint, meritas poenas luant.

V. Non solum chartae ac libris ea inscribant, quae notatu digna sunt, uerum etiam, imo magis, memoriae infigant, ut quouis tempore rationem suarum lectionum reddere queant; conenturque tum in classe, tum alibi, romano uti sermone, et maiorum classium etiam elegantius suos conceptus exprimere studeant.

VI. Auditores superiorum classium, ut in mathematices acumine, et christianae uitae ac institutionis synceritate (hujus enim gratia catechismus praelegitur, et liber de casibus conscientiae, ut utilissimus ita maxime necessarius) comparanda eam adhibeant diligentiam, quae pios et studiosos adolescentes decet, nec ullam harum lectionum negligant.

VII. Exhibeant omnes debitum honorem ac reuerentiam magistro suo classem ingredienti, eodemque iubente, deuoti, compositis manibus, fixis in terram genibus, diuinam Maiestatem uel cantu, uel suspiriis castis et orationibus, deprecentur, in principio quidem lectionum ut piis conatibus adxit; in fine uero gratias agant, ac nihil non ad sui nominis laudem et gloriam agere desiderent. Nec tempore orationis quisquam uel uestes uel libros (ut nonnulli consueuerunt) componere incipiat.

VIII. Ad rem diuinam, quam quotidie deuote audiant, decenti ordine et modestia bini accedant, eodemque ordine in aede sacra persistant, nec indecentius inde redeant ad classes suas, domosque repetant, eiusdem memores modestiae et ordinis.

IX. Et diebus dominicis et aliis festiuitatibus rei diuinae, concioni, declamationibus et precibus uespertinis interesse se meminerint. Et quo foeliciorem in studiis suis progressum, diuinamque Maiestatem sibi propitiam magis sentiant, conscientias suas stato tempore humili confessione expurgent.

X. Quilibet, ordine et tempore a magistro constituto, classem suam munde uerrant, modeste, scamnis submotis et in suum

locum repositis. Ferant etiam scopas uel nummos, uicissim ordine ad ipsos deuoluto, quibus is, qui curam huius rei gerit, scopas et alia ad hanc rem necessaria comparet.

XI. Caueant etiam ne porcorum more scamna et tabulas commaculent saeuo, uel atramento, uel calceis immundis, ut in nonnullis animaduersum est. Nec conscendant fornacem uel alia loca altiora; sed quieti, compositi, suis lectionibus animum intendant.

XII. Risu etiam, uerbis inhonestis et uociferationibus immoderatis abstineant, memores sibi olim in extremo iudicio de singulis uerbis, etiam ociose prolatis, rationem reddendam. Sacerdotes Dei altissimi, religiosos, magistratus, magistros, parentes et unumquemque debito et amore et honore, non in scholis solum, uerum etiam in plateis, domi suae et ubique locorum prosequantur. Et demum ea pietate, ea modestia, ea rerum cognitione animos suos exornare studeant, qua et Deo et piis hominibus complacere, patriae uero sibique emolumento quondam esse possint. Postremo certas quasdam notas uel signa errorum tum modestiae, tum latinae locutionis, excogitent magistri, quibus discipuli ad haec obseruanda incitentur et compellantur.

LAUS DEO [2]

123

†

Jhs

DE TRANSFERENDO ARTIUM STUDIO

EX COLLEGIO VIENNENSI ALIO [1]

AFFIRMATIVE

1. Liberaretur collegium cum Rectore multis curis, solicitudinibus et expensis.

---

[2] In fol. 104v aliquot annotationes, ad monumentum praecedens non spectantes, habentur, inter quas catalogus virorum quorumdam tunc temporis illustrium. In fol. 105 sunt inscriptiones, ad omnia superiora monumenta collegii Viennensis spectantes, manu P. Natalis exaratae.

[1] Ex archetypo, ignota manu scripto et a Polanco in fine annotato. Extat in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 87 et 88; et ex inscriptione, a tergo exarata, constat hoc scriptum ad annum 1561 referendum esse.

2. Non esset opus procurare aedificium tot classium.

3. Non esset cur de ampliore fundatione ageretur amplius.

4. Cessarent molestissimi labores noua erigendi cubicula, nam uetera sufficerent.

5. Cum exteris non esset tantus labor ut hactenus, negando eis locum, quod magna collegii angustia diuexaremur; non enim esset tantus ad nos concursus horum [a], cum post coepta artium studia nisi sint aut constantius perseuerare, aut frequentius huc concurrere studiosi.

6. Perdifficile est doctos uel ex Urbe uel aliunde tot huc mitti uiros, quot et nunc desiderantur; haec autem difficultas tunc cessaret, quia, praeter duos aut unum, qui legeret in uniuersitate, qui et concionari forte posset, pauci aut nulli requirerentur ita docti atque modo.

7. Rector, atque alii minus impediti circa domesticos uel scholas, possent aliqua alia praestare, quae nunc non praestant.

8. Si Viennae relinquerentur 25 aut etiam 30, possent reliquis tria uel 4 noua collegia initia non parua sumere.

9. Cessarent cum uniuersitate contentio[nes] omnes [b] fortasse et difficultas promotionis.

10. Possemus nos [op]time excusare, cum nobis ii labores ab exteris obtruduntur, quos sustinere uix possumus. Nunc enim, cum audiunt tot esse doctos hic et numero 60, nullam uidentur uelle excusationem admittere.

11. Suauissimum esset hic operarios habere certe plures, aliorum expensis et laboribus recte institutos.

12. Accedit ad hoc sententia Patrum Ingolstadiensium, et maxime Patris Prouincialis, qui multis retro annis, ad hoc etiam usque tempus, semper uisus est sentire, melius alibi, quam Viennae, posse esse artium studium, ut Romae forte fuerat aliquando constitutum aut pertractatum.

Accedunt aliae rationes, quas ignoramus, ingolstadiensium.

---

[a] *Non clare scriptum apparet hoc verbum; tamen satis bene leguntur duae priores litterae.*

[b] *Etiam hoc verbum non satis distincte scriptum apparet.*

NEGATIVE

Videtur viennensibus durum uerbum hoc, nisi amore obedientiae suaue fiat, ut speratur. Hoc plane tantum statueramus pro negatiua parte dicere, solutionem relinquentes et iudicium integrum maioribus nostris, ut par est.

Verum cum uisum fuerit ad maiorem rei cognitionem rationes adiungere, quarum iudicium, ut reliquorum omnium, esset penes maiores, addemus nonnullas, easque perbreues.

1. Maior hic est commoditas, inueniendique modum copia, ut plures quam alibi, tam ex nostris quam externis, sustententur auditores.

2. Praesentia Principis urget.

3. Voluntas eius et patronorum, qui etiam fauent uniuersitati.

4. Hanc ob causam commissum est, ut de augmento copioso collegii huius magna habeatur cura.

5. Notaremur leuitatis tam facili mutatione.

6. Concursus omnium nationum hic est magnus.

7. Fama dispersa, ob quam plures uidentur in dies huc concurrere ex uicinis prouinciis et regnis.

8. Esset ab equis transire ad asinos (ut dici solet) sine fructu nec edificatione.

9. Solueretur collegium ferè, aut tantum pueros haberet, qui uix essent capaces, quibus pietatis prima initia proponerentur.

10. Uniuersitas deformata et pene destructa eget hoc auxilio aut stimulo.

11. Pluribus annis antea fuerunt saepe promissa haec studia: quam ob causam continebantur aliquandiu maiores, qui eandem promissionem (ut ferunt) urgebant saepissime.

12. Societatis institutum dat etiam studium theologiae, si 70 sustententur, et est nobis concessum philosophiae antea.

13. Collegium nostrum nobilium, breui futurum nouum, et domus conuictorum hoc idem exigunt.

14. Gauderent, qui nobis male uolunt, absque ulla piorum utilitate, immo magno etiam, quantum apparet, damno.

15. Frustra laborarent fere hic nostri, nihilque, praeter conciones, possent tractare coram populo amplissimo, doctis primatibusque, Societate aut uiris praestantibus dignum, sine philosophia et theologia: qua ex re Societatis fama multum interimeretur.

16. Studia ista sunt hic muscipula quaedam ad alliciendos multorum huc animos iuuenum et parentum; quod si non propter pietatem, at propter studia absoluta, libenter ad nos mittunt, ut experientia edocti sumus, suos filios.

17. Quicquid multis annis cum infantibus et pueris hic aedificaretur, facili negotio, breuissimo temporis spacio, alibi, nisi esset alia vniuersitatum et studiorum reformatio, destrueretur in iuuenibus.

18. Locus hic omnibus nostris collegiis Germaniae, Bohömiae, Vngariae, erectis et erigendis, est ualde comodus, multoque reliquis omnibus comodior propter descensum fluminis, estque quasi in uentre umbilicus.

19. Videtur iam inde ab ipsa loci fundatione musis consecratus locus hic viennensis, estque multorum regnorum atque regionum quasi asylus et refugium.

20. Pauperes studiosi et eleemosinis et pedagogiis hic multum iuuantur.

Conclusio est viennensium, nisi R. V. aliud in Domino sentiat, ut non modo studium philosophiae relinquatur promoueaturque Viennae, sed etiam theologiae instituatur, ut vult Imperator; qui eam ob causam iussit, ut serio de ampla honesta fundatione et habitatione agatur, quod etiam fit; excepta siquidem volùntas maiorùm, quam sequi ad unguem peroptamus, et maxime, ut par est, obseruantia prosequimur, sola videtur vrgere eam cum uniuersitate, quam paruifaciunt patroni nostri, cum sciant hanc esse Principis voluntatem. Imo uero, modo non esset contraria, vniuersitatis obiectiones morosas, hactenus factas, non esse magnipendendas affirmant, et offerunt excelsum regimen curaturum hoc negotium, si pergat nobis esse molesta.

Polanci manu. Che non si facia mutatione, et vadino inanzi con la philosophia.

A tergo, Patris Jimenez manu. 1561. De transferendo artium studio ex collegio Vienensi alio.

†

124

QUAE DIXIT P. NATALIS

PRO COLLEGIO NOUO PAUPERUM WIENNAE [1]

Erit Rector illius domus sub obedientia Rectoris nostri collegii, et omnes, quotquot sunt in illa domo, in rebus omnibus; nec pendebit aliquis ex dicta domo ab obedientia alicuius ex collegio nostro, quam Rectoris, et tamen quotidiana gubernatio illius collegii erit Rectoris illius collegii. Superintendentiam uero habebit rerum omnium Rector collegii nostri, ad quam superintendentiam utetur regulis superintendentis, quas accepit ex me, et praeterea iudicio Prouincialis et suo.

Habebunt pueri 3 quadrantes horae pro oratione, quae ut plurimum erit uocalis: mane unum quadrantem; ante prandium, hora examinis, unum quadrantem; antequam abeant cubitum, 3.^{um} quadrantem. In 1.° et 2.° quadrante poterunt recitare horas beatae Virginis, uel rosarium, uel aliud quidpiam, ad arbitrium Superioris. Examen habebunt unum ultimo quadrante, in quo et examinabunt conscientiam suam et praeparabunt se oratione ut eant cubitum. Si aliquis aptus esset orationi mentali, poterit in illa instrui; et tamen semper in quauis oratione docebuntur esse attenti et deuoti. Conseruabitur in illis deuotio imaginum, ut habent in usu, et rerum omnium, quas oppugnant haeretici nostrae tempestatis. Singuli instituantur ut soli orent; quod si ex experientia esset compertum ipsos fallere, et omittere orationes singulares, poterunt coniungi bini, ut recitent suas horas beatae Mariae, uel 7 psalmos et alias orationes, quae alternis uicibus possint recitari; priuatas tamen orationes singuli habere

[1] Ex archetypo P. Natalis, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 116-121. Ante titulum haec propria manu notavit P. Natalis: «De promissione ad sacerdotium, de renouatione promissionis, oratio pro benefactoribus.» Hanc instructionem anno 1563 datam existimamus ex ipsis rebus in ea contentis.

poterunt. Non omittent tamen simul omnes recitare letanias pro necessitatibus communibus Ecclesiae et Germaniae, et pro suo collegio et pro nostris, nisi illo die, quo illas recitant in ecclesia.

Promoueantur omnes ad pietatem pro illorum captu pedetentim, non solum simpliciter ad pietatem, sed etiam ad perfectionem religionis; et animum inducant omnes ad iuuandas animas, et hoc desiderium cordi imprimant a teneris annis.

In refectorio, cum prandent et coenant, deuoti libri legantur: poterunt etiam Indicae literae legi, et quae erunt egregiae aedificationis ex semestribus.

Tota eorum institutio erit, iuxta captum illorum, religiosa. Itaque illis nihil permittetur prophanum, nihil seculare: et quae spectare possent ad dissolutionem uel petulantiam aliquam, ea debent caueri districtissime. Et si quis deprehenderetur (quod Dominus auertat), qui in hoc genere offenderet, etiamsi minima dissolutio carnis esset, reputetur pro re maximi momenti, et consulatur Rector collegii, an ille sit eiiciendus. Itaque inuigilandum summo studio est, ut perfectio omnis castitatis et honestatis in illo collegio conseruetur et augeatur.

Distinctionem horarum etiamsi obseruent ex pulsu nostrae campanae, tamen sit designatus qui habeat paruulam campanam manualem, qua, simul atque auditur nostra, det signum suarum rerum.

Districte conseruetur ut unus aut alter socius Superioris sit domi, et nunquam pueri soli domi maneant.

Regulas habet Pater Prouincialis corrigendas; eas petat P. Theodoricus [3] a Patre Natale antequam discedat; et dabunt ipsi exemplum, ut ipse illas conferre possit cum Patre Generali, et emendatas, sicubi oportebit, remittere: interea poterunt illis uti, uel ea parte, quam censebit Prouincialis uel Rector obseruandam.

Exactionem pecuniarum et petitionem eleemosynarum, uel quoad fundationem et dotationem, uel ad alia negotia illius collegii, Prouincialis ipse, uel ex eius commissione Rector nostri

[3] P. Theodoricus ab Hauechkesche. Vide supra, pag. 803, annot. 2. In *ms.* scriptum est, sed non recte, *Theodorus*.

collegii, dabit curanda praefecto illius domus, quae ipsi uidebuntur, quae non adeo difficili negotio poterunt curari; si quid erit difficile, id commissum est iam curandum P. Victoriae [4], si ad illum referatur.

Si quid pueri adferunt auri uel argenti, uel omnino rei alicuius, quae pro illis sit conseruanda, illud habeat praefectus illius domus, ex consensu Rectoris, in deposito, et nullo pacto illa uendat uel alienet, quacumque ratione, absque consensu illorum, quorum interierit dare consensum illum.

Diligentissime curet Rector collegii nostri ut, quicquid uel recipiatur pecuniarum uel exponatur, id fiat per Rectorem collegialium, neque ullo pacto misceant expensas uel rationes pecuniarum huius et illius collegii. Pari cura dabit operam ut Rector illius collegii habeat rationes dati et accepti, non solum in uniuersum, sed etiam minutim, quemadmodum fit in nostro collegio, disertissime conscriptas, et saltem 4.° quoque mense uidebit rationes illius collegii, et intelliget, quae in hac parte aguntur, omnia, seruabitque illud exacte. Ut dixi, ne misceantur uel expensae uel rationes pecuniariae nostri et illius collegii, sed, ut sunt separata instituto et ratione uiuendi, ita sint etiam separata, ut illi collegio constet ratio per se, et nostro item per se.

Illam domum 4.° quoque mense uisitabit Rector huius collegii; Prouincialis bis in anno.

Semper bini mittantur ad collegium.

Hoc tempore, cum non habent maiorem domum uel prouentum maiorem, uel etiam maiorem spem eleemosynarum, ne sint maiori numero quam 26 omnes, complectendo quotquot sunt in illa domo; et in his alent quot poterunt ex eleemosynis, reliquos habebunt conuictores more solito; qui numerus, ubi non erit completus, superiorum erit dare operam ut compleatur, propter honestatem collegii et existimationem conseruandam.

Quod attinet ad socium uel socios, si plures forte erunt, qui e nostris illic collocabuntur, erunt illi sub obedientia Rectoris collegii noui omni ex parte, nisi quod et ipsi et praefectus erunt

[4] Sermo est, ut patet, de P. D.re Joanne de Victoria. Vide SCHMIDL, *oper. cit.*, praecipue vero per totum lib. II.

sub obedientia Rectoris nostri collegii. Itaque, si quando illi uelint adire collegii nostri Rectorem, illos non poterit impedire praefectus, sed aperiet illis ianuam eam, quae attinet ad collegium nostrum introrsum.

Si contingeret ut esset domus aliqua conducenda pro nostris commensalibus, uel haberetur domus cartusianorum, uideretur commode fieri posse, ut simul habitarent conuictores et collegiales, modo oportune essent separati; sed haec uidebit Prouincialis ubi res ipsa postulabit, et disponet quemadmodum illi uisum fuerit.

MODUS RECIPIENDI PUEROS PAUPERES

Donec, quae scripsit P. Victoria de gubernatione illius domus, conferantur cum Patre Generali, poterit sequens modus recipiendi pueros obseruari.

Aetas horum puerorum, ut minimum, uidetur esse exigenda 9 annorum usque ad 14, tametsi locus erit dispensationi.

Nullus recipiatur puer, qui non habeat literas autenticas, hoc est, subsignatas nomine illius, qui legitimam curam habet pueri: et si nullum potest habere, qui legitimam eius curam gererent saltem deberent ese 2 honesti uiri, qui illum offerrent cum subscriptione duorum testium, si fieri possit, et pueri etiam ipsius, si sciat scribere. Breuiter, ut possit Societas demonstrare se pueros habere ex consensu illorum, qui eorum habent curam legitimam.

Illis literis primum significabitur consensus; non solum uero consensus, sed preces etiam explicabuntur, quibus Societatem rogant, ut illorum curam suscipiant.

Deinde eisdem literis pollicebuntur fore pueros sub obedientia Societatis, et sub omni eius gubernatione, donec erunt in dicto collegio. Idem pueri pollicebuntur.

In iisdem literis pollicebuntur illam partem soluere pecuniarum, quae esse poterit quacumque ratione puerorum, uel quam ipsi uellent soluere pro pueris. Quod si nihil haberent pueri, nihil etiam aliquis polliceretur, nihilominus potest recipi, si esset idoneus et ali posset.

Pollicebuntur iidem non impedituros pueros quod fiant sacerdotes.

Pollicebuntur etiam pueri se fore sacerdotes; et inducentur etiam pueri suauiter et pedetentim, et tamen efficaciter, quod velint esse sacerdotes suo tempore, et daturos operam animabus iuuandis in suo statu.

Pollicebuntur utrique pueros tantisper apud nos futuros, donec censeat Societas illos esse idoneos, qui possint animabus iuuandis dare operam iuxta talentum suum.

Itaque, qui erunt apti ad theologiam, eos poterit eo usque promouere. Qui non erunt apti, eos iubebit consistere in mediocritate doctrinae. Ipsi uero, si absque causa legitima discedent, erunt obligati ad soluendam omnem impensam, plus minus, quam ad illud tempus fecerint; nam ratio et justitia postulat ut finis collegii non peruertatur, et eorum, qui eleemosynas dederunt et dant; quod fieret si absque disciplina et literis discedere possent, non soluendo quod impendissent, praesertim cum non cogamus illas soluere cum idonei dimittuntur.

Pollicebuntur pueri, si peruenerint ad pinguiorem fortunam, quod fauebunt semper collegio et iuuabunt pro sua deuotione et liberalitate. Si possunt induci ut amplius se obligent, non erunt quidem cogendi, sed poterunt rogari ut id faciant, quod consentaneum uidetur esse rationi; quasi dicamus ut ipse, quando erit opulentus, quasi alat seipsum quando erat pauperculus, quod faciet alendo alium.

Ea, quae pollicebuntur, et bonas suas intentiones pueri confirmabunt singulis annis publice, et communicabunt, quemadmodum solent nostri in renouatione uotorum. Hanc renouationem non facient donec P. Generalis vel P. Natalis illam confirment esse faciendam.

Pueri, qui sunt recipiendi, erunt omnes catholici, sani, pauperes ad studia apti et ad perfectorum morum receptionem idonei quoad eius fieri poterit, nobiles: breuiter, districtum habebitur iudicium de ipsis antequam recipiantur, ut optima quaeque ingenia, et a quibus maximus fructus expectari potest in ecclesia Dei, recipiantur. Et, ut breuiter dicam, quandoquidem hi desti-

nantur a Societate ut iuuent animas, primum, si Dominus illos uocauit, in Societatis instituto, uel saltem in statu clericali, poterit praefectus domus illius et Rector collegii iuuari in illis deligendis et recipiendis 1.ª parte Constitutionum et examine nostro, illinc colligendo quae uidebuntur oportuna ad hos pueros recipiendos.

Tametsi ita obligabuntur pueri, ut abire non possint sua uoluntate, et si abirent absque ratione aliqua, esset ab ipsis uel ab eis, qui essent obligati, exigendum quicquid impensum pro illis fuerit, quemadmodum dictum est; tamen Societas poterit illos dimittere ex causa sufficienti, ut si non uideretur consecutura finem, quem desiderat, quod accidere potest multis nominibus, quarum rerum iudicium erit in arbitrio Prouincialis.

Intelliguntur uero dicta de pauperibus, siue qui omnino sunt pauperes et a collegio omnino aluntur. Itaque iis, qui ex parte soluunt, possit remitti aliqua obligatio a Superioribus, pro quantitate semper precii quod soluerit, ad arbitrium Prouincialis et, ex eius commissione, Rectoris collegii nostri; nam si illi censerentur partim pauperes, partim conuictores pauperum, uel si etiam ita iudicent, nihil remittatur.

Quandoquidem Dominus dat nobis in manus et electionem et receptionem et institutionem bonorum pauperum, magna diligentia eo spectare debemus, ut illos ita instituamus religiose et perfecte, ut illi ex se possent esse diuino auxilio capaces nostrae uocationis; et tamen attentissime et magna circumspectione ad hunc scopum agemus, et, quoad eius fieri poterit, conabimur media omnia apponere, quibus ad hunc finem deducantur: ita illud demus operam, ut nunquam possint uere dicere nostro hortatu uel persuasione illos desiderare ad nostram Societatem recipi.

Vbi peruenerint ad illum statum, ad quem Societas iudicat posse peruenire, tametsi liberi sint, ut cui uelint episcopo seruiant uel ecclesiae, tamen obligari poterunt ad eam similitudinem, qua nos obligamus nostros professos, si quando fieret ut promouerentur ad aliquam dignitatem legitime, ut scilicet eo loco et numero habeant Praepositum generalem Societatis, ut

nunquam consilium audire detrectent, quod uel ipse per se, uel quiuis alius de Societate dare ipsi dignabitur; consiliis uero huiusmodi ita se parituros promittant, si ea meliora esse, quam quae ipsis in mentem uenerint, iudicabunt.

Simili formula, mutatis mutandis, pollicebuntur pueri.

Cum his pauperibus, de quibus dictum est, recipi etiam poterunt diuites, qui scilicet ali uolent et institui ad rationem horum pauperum, siue uniuersas expensas soluant, siue partem aliquam ; de his parum est negotii dicere, nam non admittentur nisi ex consensu eorum, qui legitimam ipsorum gerunt curam, si haberi possunt; quod si haberi non possunt, fiat sicut diximus de pauperibus, non sine obligatione sufficienti, ut soluatur pro illis uictus precium: obligabunt se tamen tantum, donec erunt in eo collegio ex uoluntate eorum, qui illos adduxerunt, quod uelint esse in obedientia, quod attinet ad gubernationem in literis et moribus, et in reliquis, quae apud illos obseruantur, Rectori huius collegii. Ad alias autem obligationes, quae propriae sunt pauperum, non obligabuntur, nisi fortassis ex parte, ut dictum est.

Nullus recipietur ex pueris pauperibus, siue omnino pauperes sint, siue ex parte, qui non obligetur ad eum uestitum clericalem, qui hactenus est obseruatus, et ad gestandum superpelliceum in templo. Reliqui uero, qui plenas expensas soluunt, hi quidem efficaciter sunt inducendi ad idem, cum primum ad nos ueniunt, uel domi cum uiuunt quacumque ratione, persuadendi, ut illum cultum habitus gestare desiderent et habere procurent; quod si nulla ratione illud confici potest, non propterea sunt uel non admittendi uel dimittendi.

Gubernabuntur pueri iuxta hanc instructionem, et conseruabunt consuetudines bonas et pias hactenus obseruatas, in quibus est usus ut cantent salue, laetanias, missas et vesperas, tum in cantu figurato, tum etiam gregoriano : quem cantum et domi discere et praeuidere possunt. Demum etiam consuetudinem circa exercitia corporalia, necessitatem domus spectantia, non negligent.

Praesentibus pauperibus dicta illos concernentia proponan-

tur, et suauiter, si uolent, sunt persuadendi; et si nolent, Rectori et Prouinciali proponendum, ut illi de hac re iudicent pro rerum praesentium circumstantiis.

QUAE PERTINENT AD PRIUATA QUAEDAM COLLEGIALIUM DOMUS

Quemadmodum ego hactenus, donec hic fui, quam potui diligentissime dedi operam ut inuenirem domum pro pauperibus, uel ex liberalitate Caesaris, uel aliunde, ita et Prouincialis, et Rector, et P. Victoria, et Rector collegialium hanc curam non omittent urgere, quoad poterunt, diligentissime, non solum ut ipsi commodius habitent, quod est primarium in hac re, sed etiam ut nos possimus uti nostris aedibus.

Ad cancellos, qui pertinent ad introitum nostri collegii introrsus, fiat ianua, cuius clauem habeat Rector collegii nostri et collegialium Rector; et commodius quidem erit ut asseribus introrsus claudantur cancelli, tantumque superior pars sit aperta, qua possit lux permeare. Ut maior etiam esset copia lucis, posset maior fieri fenestra, quae est super ianuam collegii, et leuari tabulatum. Sed haec permitto iudicio Prouincialis.

Ponatur campanula, quae attineat ad collegiales, ut, si quis sit uocandus, ne sit inclamandum.

Curabit P. Victoria ut exploretur per peritum architectum, ut intelligatur utrum rima, quae est in angulo exteriori refectorii, minetur aliquod periculum; quod si ita est, curabit refici. Ad illum angulum item poterit ianua paruula fieri, ut illac possint pueri ad hortulum transire, et clauem illius ianuae habebit Rector. Transitus item ille, qui attinet ad molendinum, ut dicunt, asseribus totus cooperiatur robustis, ut pueri possint sine periculo transire ab una parte horti in alteram.

Duae ianuae extremae horti lapidibus et cemento ocludantur; media relinquatur, quandoquidem uideatur bene habere.

Primo quoque tempore inspiciatur diligenter an sit periculum in salario [b] hypocausti, quod curabitur non solum explorari

---

[b] *Sic in ms.; videtur erratum librarii pro* solario.

per Gratianum [b], sed per externum etiam aliquem peritum, et refici statim.

HAEC [SUNT] QUAE ANTEA P. NATALIS DIXERAT, RESPONDENS AD INTERROGATIONEM PATRIS THEODORICI, SOCIUM EIUS CONCERNENTIA

Vt pueros teneat in officio, sciat quantum proficiant, doceatque illos canere.

Sit illi curae, quando uenit cum illis ex schola, ut statim fiant, quae tunc per pueros ordinarie fieri solent.

Semel in hebdomada uisitet lectos, cistulas, capsulas puerorum; et semper aduertat an aliquid deperditum sit aut fractum ex supellectilibus domus.

Quando est pulsatum ad finem examinis, perlustret mensam, an sint omnia bene parata et in promptu, curetque ut cocus suum in tempore exequatur officium [c].

Pueri ne mittantur nisi bini, et vnus ex illis semper sit probatissimus.

Cum pueri veniunt ad nos cantatum, nunquam maneat quisquam ex ipsis solus, et vnus praeficiatur illis, qui reducat omnes.

Nullum recipiat Rector collegialium sine consensu Rectoris, vel pollicebitur se recepturum.

---

[b] De hoc Fratre sermonem faciunt tum P. SOCHER, *Hist. Prov. Austriae,* anno 1563, tum P. ALEGAMBE, *Heroës et vict. charit. S. J.,* sed cognomine suppresso. *Catalogus mortuorum S. J. in Prov. Austriae,* cum de collegio Viennensi loquitur, haec tantum habet: «Gratianus, italus, coadiutor, 13 Octobris 1563, peste.» Vide *Epist. P. Natal.*, t. II, pag. 448, n. 16.

[c] *Haec scripta fuerunt post praecedentia; sed, sensu imperfecto relicto, cancellata sunt:* Dixit uero P. Natalis, vt fiat regula pueris, vt nullum alloquantur ex nostris nec ex externis, absque speciali licentia sui Rectoris, nisi communia; colloquium non habebunt: quod si aliquis vellet ipsos alloqui, ipsi respondebunt non haber [*sic*].

125

†

MEMORIALE EORUM QUAE SUNT OBSERUANDA

UEL PAULATIM ABSQUE SCRIPTO INTRODUCENDA
IN COLLEGIUM NOUUM [VIENNENSE] [1]

Intelligere finem collegii, qui est prodesse regnis Caesareae maiestatis.

Esse memores in oratione benefactorum.

In surgendo non esse pigros.

Certo tempore orare.

Ordinem orandi a confessario praescriptum seruare.

Studere pietati et modestiae.

Discere meditari qui sunt adultiores.

Ieiunare suo tempore : dare autem paruis in collatione aliquid cum pane.

Deuote audire sacra.

Recitare collegiales letanias diebus festis pro benefactoribus domi, donec aliud statuatur.

Frequenter confiteri.

Obedire praeceptoribus.

Reuerentiam nostris exhibere, nec coram illis facile capita tegere donec iubeantur, maxime si sint praeceptores.

Permittere se in studiis regi.

Non loqui, inscio praefecto, extraneis.

Non facile scribere aut accipere literas, insciis Superioribus, aut non approbantibus iisdem.

Sine comite non exire collegium, nec inscio Rectore aut praefecto.

Collegiales interdum in quibuscumque ministrare; non tamen absque consilio ad ea ipsos urgere, in quibus sentiunt repugnantiam.

Conuictores interdum seruire in iis, quae ad mensam spectant.

Reuereri Superiores humiliter.

---

[1] Ex apographo, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 150 et 151 (215, 216).

Monasticis poenitentiis absque consilio non uti.

Vbi uerba ualent, ibi uerbera non dare.

Collegiales in grauioribus aliquo simpliciori ferculo priuare pro poenitentia.

Honeste ac soli dormire.

Non leuiuscule colludere.

Ab osculis et amplexibus, et quicquid tandem effoeminatum est, abstinere prorsus.

Habitu clericali uti.

A pileis quadratis nec a sottanis abhorrere: horum tamen non nimis studiose mentionem facere.

In multis nos cum implicita Caesaris ac Principis uoluntate excusare, et nonnulla introducere.

Apud se pecunias non habere, sed praefecto eas dare seruandas, etiam conuictores.

Loqui boëmice omnes tempore recreationis; aliis autem temporibus, latine tantum.

Suo tempore seruare silentium: suo quoque tempore in loquendo, modestiam.

Importunis horis post cibum non studere.

Certo tempore incumbere.

Non facile alios deferre, nisi hoc fiat prudenter.

In mensa esse mundos et bene moratos.

Ad tabernas nunquam ire, nec ad aedes inhonestas.

Ludos, a Rectore nondum approbatos, non exercere.

Nulla simultas aut odium.

In studiis ac aliis rebus honestis neminem impedire.

Nunquam ociari.

Intempestiue non dormire in lecto.

Non fieri queruli; sed, si quid deest, hoc praefecto indicare.

Collegiales adultiores, antequam omnino incorporentur, per triduum uacare rebus spiritualibus (quae illis ab aliquo nostrum proponantur) et generaliter confiteri.

Legere ad mensam qui possunt.

Extraneos non debent ipsi, inscio praefecto, nec inuitare nec ducere in hypocausta, multo minus ad cubicula.

Infirmos assuefacere ad panatellas, oua cocta etc., si morbus patiatur.

Non gestare plumas, pugiones, sed deponere apud confessarium.

Calligas dissectas non facere.

Calceos sine necessitate non inscindere.

Nil donare nec dono accipere facile, inscio praefecto.

Intempestiue aliorum musaeum non ingredi.

Decenter omnia componere.

Corpus ac uestes munda habere.

Cubicula et hypocausta saepe purgare.

Absque aliqua benedictione et gratiarum actione cibum nullum sumere.

Tempus recreationis et exercitii seruare.

Etiam in plateis exhibere reuerentiam cui decet.

Scribere, legere, canere, praecipue collegiales.

Dato signo, statim, ubi opus est, comparere.

Seruare ordinem in processione.

Sine signo crucis non exire aut aliquid incipere.

Debito tempore ad confessionem se parare.

Habere rosaria et oraria.

Dare interdum rationem praefecto, quid eo die didicerint.

Nostrum collegium non intrare sine facultate praefecti.

Nostra cubicula non intrare quin prius moneant ianitorem.

In nudis caligis et thorace non incedere.

Immodeste non saltare aut discurrere.

In rebus collegii nostri non occupare illos, inscio et non consentiente Rectore.

Unum tantum solum ad locum secretum ire.

Non claudere se in cubicula.

Ignilia non habere, nec intempestiue candelis uti.

Noctu collegium nostri diligenter uisitare, et claudenda claudere.

Seruare, quae seruari possunt, in regulis nostrorum officialium.

Obseruare quid mutandum, quid his omnibus addendum, cum consensu Superioris.

Claudere fenestram in bibliotheca.

Habere duplices claues pro iis locis, in quibus aliquid asseruatur.

Non ingredi coquinam, dispensam, cellas, etc.

Non facile colloqui coco.

Ante et post prandium uerrere refectorium.

Magnam curam ignis et fornacum ac luminum et caminorum habere.

Discere honestam parcitatem in omnibus.

Adhuc ad 2.am mensam non legere.

Recitare paruuli interdum carmina.

Humanistae et rhetores interdum concionari, eosque monere quando inter concionandum decorem non seruant, puta imprimis quando alios mordere intelliguntur.

Interdum pueri omnes ire deambulatum.

Sine lumine in tenebris nunquam sedere.

Angulos non quaerere, sed ad communitatem suo tempore uenire.

Diebus veneris, quando aliud ieiunium in hebdomadam non cadit, ieiunare cum aliqua offa et pomo per totum annum, excepto tempore a Natiuitate usque ad Purificationem, et a Pascha usque Pentecosten, quando seruare possunt.

126

DOMESTICAE LEGES

EORUM QUI IN SEMINARIO OLOMUCENSI COMMORANTUR [1]

1.a Qui in Seminario admittitur, debet ante omnia sibi persuasum habere se hanc domum, tanquam scholam, cum bonarum artium, tum potissimum uirtutis morumque christianae uitae, ingredi, quo nimirum et suae saluti et reipublicae christianae, nunc misere collabenti, in sacerdotalibus functionibus et aliis ecclesiasticis ministeriis consulere possit.

---

[1] Ex apographo coaevo, in cod. *Natal. instr. Germ.*, ff. 159-162. De Olomucensis seminarii erectione, vide SCHMIDL, *Hist. S. J. Prov. Bohem.*, lib. IV, nn. 30 et 31.

2. Huic, uelut totius praesentis negotii fundamento, proximum est ut constanti animo proponat legibus ac disciplinae dicti Seminarii se totum uelle subiicere et iusta arbitrium praepositorum regendum promittere. Nam quid unusquisque polliceri debeat ut admittatur in hoc contubernium, quis item modus in admittendis alumnis sit seruandus, praescribet Dnus. Reverendissimus [2].

3. Nonnulla igitur praecepta, quae ad imbuendum pietate animum moresque rite formandos consentanea uidebuntur, perstringentur, seclusis ab hoc ordine iis, quae ad studia recte instituenda ac proponenda spectant; haec enim aliis regulis continebuntur.

4. Mane, cum primum excitati fuerint, sine mora, facto signo crucis, surgent; et dum sese induunt, dominicam aliasque orationes accommodatas recitabunt, ut est salutatio angelica, symbolum apostolorum, «Domine, Deus omnipotens, qui ad principium huius diei», etc. Deinde, iis, quae ad necessitatem cultumque corporis pertinent, expeditis, orationi deuote insistent, iuxta praescripti temporis spatium duraturae, qua in primis Deo maximas de perceptis beneficiis agent gratias, ac sese totos, nouo facto proposito, cultui ac seruitio diuinae ipsius maiestatis offerent, unice illum precantes, ut quaecumque in decursu totius diei praesentis ipsi cogitaturi, dicturi et acturi sunt, sic instituantur, ut per ea eius nomen et gloria syncere illustretur et glorificetur.

5. Vnusquisque ad orationem suam instructus erit libello horarum B. Virginis, quas quotidie recitabit (quousque ad horas maiores recitandas teneatur), uel eius rosarium, quod omnes apud se habebunt, nisi sit idoneus, qui possit meditari cum fructu, ex consilio confessarii; et tamen nunquam orationem uocalem omittet. His adiungi potest lectio piorum opusculorum, ut Gersonis, de imitatione Christi, et id genus aliorum, ut non solum orare, uerum etiam seipsos, iuxta Christi doctrinam et exemplum, abnegare et in solidis uirtutibus proficere consuescant. Demum in hac rerum spiritualium exercitatione omnes maiorum suorum iuditio se subiicient, qui illorum singulos pro eorum captu recte instituere curabunt.

[2] Vide supra, pag. 800, annot. 3.

6. Conscientiae examen, prout edocti fuerint, quotidie constituto tempore frequentabunt, cui, si uidebitur, adiungere poterunt, pro uniuscuiusque deuotione, orationes aliquas, ex libello precatorio uel aliunde petitas, si quid temporis post finitum examen illis supererit.

7. Quotidie interesse debebunt missae sacrificio, cui etiam omnes ministrare discent, in quo, praeter deuotionem interiorem ac reuerentiam erga sacra mysteria, afferent ipsi singularem modestiam. Quocirca, ubi opus erit, genua flectent, manus quietas, ac totum corpus decenter compositum habebunt in toto missae decursu.

8. Porro audiendi sacri hic modus esto: ut ea, quae sacerdos alta uoce profert, diligenter ac reuerenter auscultent; vbi uero ipse uerba sacra secrete pronuntiat, mysterium aliquod vitae aut passionis Christi meditandum, uel orationes aliquae ex libello precatorio recitari poterunt.

9. Exposcit etiam christiana religio ac pietas, ut sanctos omnes, coelesti gloria perfruentes, sedulo inuocent et honorent, tanquam singulares apud Deum patronos, inter quos, sicut praecipuum locum obtinet Deipara Virgo, ita merito impensius est tum colenda, tum inuocanda. Deinde, praeter apostolorum principes Petrum et Paulum, accuratius uenerentur Michaëlem archangelum, ecclesiae Christi uniuersae praepositum. Similiter et eum angelum unusquisque colat, quem ex diuina bonitate sibi tutelarem et custodem accepit. Denique, ex aulae coelestis ciuibus quisque sibi deligat certos patronos, quos prae caeteris speciali deuotione ac ueneratione prosequatur.

10. Ad haec sacrosanctum Eucharistiae sacramentum, non solum in templis asseruatum, uenerabundi supplicesque adorabunt, uerum etiam dum in plateis aliquo defertur, aut alias in supplicatione publica circumfertur, pari honore afficient. Sed et reliquiis imaginibusque sanctorum debitam uenerationem deferre non negligent.

11. Verum ne diuturnitas in orando studiis literarum detrimentum afferat, neue omnino breuior, quam par sit, saluti incommodet, haec inter uitanda extrema adhibebitur moderatio, ut ma-

tutinae orationi detur dimidiata hora, unus uero quadrans orationi ante prandium tribuatur: alius item examini conscientiae, quod fiet quum sunt ituri cubitum; quae temporum distinctio pulsu campanulae ad initium et finem circumscribetur; ad cuius etiam campanae signum conuenient ad alias suas obedientias, ut erunt instructi.

12. Reliquum uero temporis, quod illis ab oratione, cibo sumendo, somno, ac honestis recreationibus supererit, totum studiis iis diligenter impendent, ad quae a maioribus suis erunt destinati; in quibus ita insudabunt, ut tandem aliquando ecclesiae Dei possint prodesse. Praeceptores proinde suos amabunt ac uerebuntur, et erunt illis obedientes, ac eorum solicitudini sua diligentia respondebunt.

13. Illud etiam in primis curabunt, ut doctrinam christianam diligenter ediscant, et singulis mensibus confessario, praescripto a Superiore, sua peccata confiteantur, atque etiam sanctissimum Eucharistiae sacramentum sumant, si id confessarius consuluerit. Quin etiam qui recens uenerint, siue conuictores, siue alumni, post unam aut alteram confessionem particularem, confitebuntur generaliter, instructi primum diligenter a Superiore.

14. Sacras conciones attente audient; atque ut modum probe ac fideliter exercendi uerbi ministerium, tantopere in ecclesia Dei necessarium, consequantur, aliquando conciones habebunt in refectorio, prout illis fuerit a Superiore constitutum. Similiter et diuinis officiis intererunt diebus festis, et ea exercebunt commode, ut paulatim iis ministeriis assuescant, quae debebunt ipsi aliquando exercere; quanquam, quid in hoc genere illis erit praestandum, praescribet R.^{mus} D.^{nus} Episcopus.

15. Suis locis ac temporibus seruabitur silentium, nempe in mensa, dum sumitur cibus, et quibus temporibus praescribet Superior non esse tempus terendum colloquiis.

16. Quando autem cum aliis colloqui permittitur, diligenter attendendum est, ne lingua absque freno in sermonem aut uanum, aut scurrilem, aut lasciuum, aut arrogantem, aut maledicum soluatur. Quin et maiore cura cauendum erit mendacium, periurium, et ne omnino iurent; et in summa omne uerbum, quo di-

uina maiestas quoquo modo offenditur. *Omnis sermo malus,* inquit Apostolus, *ex ore uestro non procedat: sed si quis bonus ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus* [3]. Secum ergo reputet ingenuarum disciplinarum candidatus puritatem modestiamque sermonis ad se cum primis pertinere.

17. Haec uirtus, modestia inquam, non solum in sermone, sed etiam in omni opere relucere debet; ut, exempli gratia, in mensa uelocitas in edendo aut bibendo euitari debet, quemadmodum et nimia tarditas (nam de turpissimo ebrietatis uitio, et id genus aliis, non est hic sermo, quia huiusmodi nec nominari, nedum fieri debent inter uirtutum amatores), manuum item gesticulatio, pedum uacillatio, capitis in hanc uel illam partem facilis conuersio, oculorum uagus discursus; quod honestatis genus non in mensa solum, sed ubique obseruari debet. Incessus quoque sit grauis ac bene compositus, omnis leuitatis expers, siue domi siue foris ingredi oporteat.

18. Huc pertinet ut nullus domo egrediatur absque facultate Superioris, et socio accepto ab eodem; neque externum aliquem ad collegium admittet; sed neque literas aut accipiet, aut dabit, nisi prius eas Superiori exhibuerit. Cum autem ad scholas uel ad templum illis erit egrediendum, bini procedent, ab uno uel altero de Societate, qui eos subsequatur, deducti.

19. Nulli fas erit rem ullam uel minimi pretii aut dare aut uendere, inscio Superiore, quemadmodum nec dono accipere, eo nesciente, licitum erit, aut pecunias apud se retinere; quas apud eos, qui curam habebunt legitimam rei pecuniariae, deponet, qui illi in usus duntaxat necessarios insumendas restituent. De permutatione siue librorum, siue aliarum rerum, idem esto prorsus iudicium. Libros uero nullos retineant, qui prius non sint a Superiore approbati.

20. Mundities ac rerum ordo ac decentia ad unguem in omni re et ubique seruetur, in cubiculo, in suppellectili, in corpore, in uestitu. Ad externarum autem rerum conseruationem ea ab omnibus cura adhibeatur, quam singulis ratio charitasque prae-

---

[3] EPHES., IV, 29.

scribunt. Nec etiam tamdiu aut calceos, aut caligas, aut reliqua corporis indumenta quisquam gestabit, donec omnino, uel siue maiori dispendio, reparari nequeant. Sed ubi primum aduerterit quicquam horum incipere lacerari, illud curabit ilico reficiendum.

21. In summa, cogitent omnes genuina adolescentium ornamenta esse: Primum, pietatem mentis et affectus deuotionem; deinde modestiam, simplicitatem, et uerecundiam, loquacitatis omnisque temeritatis expultricem: ad quas uirtutes strenue capescendas debent toto pectore anhelare; nam si his iuuentus uel tenera aetas destituatur, uix ullum futurae probitatis relinquitur inditium.

22. Quamobrem boni consulent omnes superiorum suorum reprehensiones [demisso animo audiendo], si quando contigerit eos [regulas] [a] transgredi uel minus diligenter obseruare; libenterque admittent ac prompte exequentur poenitentias omnes, etiam publicas, quae illis pro suis erratis iniungentur. Si quis autem (quod Deus auertat) fuerit discolus, nec possit ad disciplinam facile adduci, sciat se e collegio eiiciendum mandato Reverendissimi, ne alios corrumpat uel eis sit offendiculo. Amen.

Inscriptio, ut videtur, manu P. Didaci Jimenez. † Regulae pro seminario Olomucensi.

127

†

INSTRUCTIO PRO PRAEFECTO SEMINARII OLOMUCENSIS [1]

1. Etsi Praefectus totius Seminarii superior sit, illius tamen omnimodam superintendentiam Rectori collegii nostri commissam esse non ignoret; ob eamque causam cum eo de rebus omnibus iuxta ipsius praescriptum conferet, et ex ipsius iuditio ac di-

[1] Ex apographo antiquo, in cod. *Instruct., 1546-82,* ff. 140 et 141.

[a] *In ms. desiderantur ea, quae inter uncinos in hac periodo addidimus: sensus, ut legenti patet, imperfectus relictus erat.*

rectione Seminarium administrabit, ut, hac necessariae subordinationis harmonia seruata, gubernatio prospere succedat.

Puerorum quatuor aut quinque annorum poterit is, qui praeest illi classi, dare curam aliquibus ex maioribus eiusdem classis, vt eos doceant, vel audiant eorum recitationes, saltem quando sunt discessuri ex scola; et quemadmodum de aliis solent facere, ita de his reddant certiores parentes, si absunt.

P. Bartholomeo adiungetur coadiutor in classibus suis M. Joannes antuerpiensis [3], vt ipse sit primarius preceptor et M. Joannes sub illo, vt P. Bartholomeus doceat quidem suos

[2] In catalogo collegii Dionantini ter de P. Bartholomaeo agitur, at semper suppresso cognomine. Ait enim: «P. Bartholomeus perseueret in suis exercitiis, et habeat Rector curam eius valetudinis, et non erit necessum vt hinc ad aliud collegium discedat.» Et paulo inferius: «Consiliarii Rectoris: P. Leonardus, P. Joannes Lamberti et P. Bartholomeus...» Vide etiam sequentem annotat.

[3] In catalogo, in superiori annotatione citato, vocatur Joannes Roberti. Sic enim dicitur: «M. Joannes Roberti exercebit se in studio priuato, et in refectorio legendo, et concionando aliquando, vt possit expedire linguam, et possit esse vtilis ministerio collegii. Erit socius classico P. Bartholomei in vltima classe.»

figuristas vt decet. Iuuetur autem vel ibi vel in alia classe a M. Joanne; quemadmodum autem ab ipso sit iuuandus et quibus in rebus, id constituat consulte Rector. Et ita constituat vt omnes simul possint audire missam; eam vero audient post horam octauam, qua hora veniet ad scholas P. Bartholomeus cum socio coadiutore, et inde binos cum summa modestia ducent ad templum, vbi celebrabit quotidie sacrum M. Bartholomeus; et interim M. Joannes continebit eos in disciplina, et modestia, et honestate, ut legant in suis libellis, vel recitent rosarium, et sint deuoti. Ad celebrandum pro pueris habeat vestimenta vndecumque, etiamsi esset necessum domestica mittere quotidie. Quod vero attinet ad tempus antequam veniant praeceptores ad classes, iniuste accusamur, quod sint inquieti et parum modesti pueri; suscipimus enim curam praesentium, non absentium; et tamen diligenter curabit Rector, vt P. Bartholomeus designet aliquos ex discipulis suis probatiores, qui curam habeant quo tempore expectantur praeceptores, quoad fieri poterit, ut contineant eos in disciplina, et deferant ad praeceptorem, cum primum venerit, quinam immodeste se gesserint; et his obseruatoribus iniunget praeceptor vt tempestiue veniant ad classes.

Quot attinet ad missam, diebus dominicis et festiuis, et vesperas, plane profiteamur nos non esse curaturos eos qui canunt, sed tantum reliquos, qui, quemadmodum hactenus, continebuntur in disciplina et modestia ab vno ex nostris: is poterit esse M. Joannes antuerpiensis, vel alius, ne sit molestum vni semper idem facere.

Pueri cogantur venire ad templum diebus dominicis et festis, quemadmodum solebant venire antequam nostri venirent.

Habeant certum tempus, quo sumant ientaculum et merendam, et praemittant suam orationem, quemadmodum hactenus fecerunt; et tamen potest indulgeri paruulis, vt ei videbitur, non grandioribus, vt extra tempus illud aliquid cibi possint capere.

Letaniae, quoad suppetent cantores, qui eas cantu figurato possint cantare, eo cantu cantentur, quemadmodum hactenus factum est: vbi vero deessent cantores, ex iudicio Rectoris, ne omittantur quidem, sed canantur cantu gregoriano.

DE ALIIS REBUS COLLEGII

Quod attinet ad summam totius negotii de fundando collegio, primum hoc anno nihil videtur intermittendum de exercitiis vel ministeriis, quae hactenus obiuimus.

Preterea speramus firmum esse, quod dixit nobis consul Fabius, securos nos esse debere quod accipiemus trecentos florenos, quemadmodum hactenus anno etiam proximo, qui incipiet a Septembri.

Ante elapsum annum oportuno tempore videretur agendum de fundatione, primum apud Episcopum [4], a quo intelligamus num cum ipso res tota sit agenda aduocatis dionantensibus, aut cum eius voluntate, cum dionantensibus Dionanti. Ratio autem huius tractationis videtur haec esse posse. Primum, vt dicamus illis aperte indulgentia eorum, qui hoc collegium inchoarunt, factum esse, vt institutum Societatis de fundandis collegiis non seruaretur, et plures darentur lectiones et praeceptores, quam pro mediocritate fundationis, quae hic sperari potest. Itaque consultum videri ad perpetuitatem collegii, vt firmiter alia ratio collegii instituatur iuxta Societatis consuetudinem. Proponeretur illis ratio primi ordinis collegiorum Patris Lainez.

Deinde illud etiam est agendum, vt nostrae illae tres scolae sint simul, nec teneamur scolae canonicorum praeesse, vel ducere pueros ad eorum ecclesiam. Erit danda etiam opera, vt, vendita vel commutata hac domo, quam eminus, aliam habeamus, quam poterimus proximam templi sancti Michaëlis: deinde vt habeamus vsum liberum templi diui Michaëlis ad ministeria Societatis exercenda absque vlla obligatione; et nominatim illa conditio nullo pacto est admittenda, quam hactenus videntur exigere a nostris, vt nullum possimus extra collegium dimittere absque consensu senatus.

---

[4] Leodiensis episcopus (1562-1580) fuit Gerhardus van Goesbeck, primum autem coadjutor; nam ejus praedecessor, qui supremum diem obiit 26 Januarii anni 1565, usque ad diem 22 Julii 1563 non resignavit. Vide GAMS, *Series episc.*

Haec ita agenda videntur iuxta Societatis institutum et instructionem, quam misit Pater Generalis ad R. P. Natalem, etiamsi non acceperit hactenus formulam; et tamen videtur esse difficile post tantam indulgentiam, qua vsi sunt, qui hoc collegium inchoarunt, propter etiam tenuitatem oppidi et paruum vsum ciuium in his rebus, cum etiam Episcopus videatur tenuiter fauere huic collegio, videtur (inquam) difficile propter has et alias rationes illis proponere summum ius et exactionem fundandi collegii. Igitur, si Patri videretur nostro, nos putaremus sat esse, si proponeremus illis tres quidem classes, etiam cum obligatione, explicaremus etiam Societatis consuetudinem de concionatore absque vlla obligatione, neque exigeremus dotationem maiorem, quam quae sufficeret ad alendos quindecim.

Libros obscenos, vt Marcialem, Terentium, habeat Rector: posset tamen concedere praeceptoribus, ita tamen vt nihil obsceni legant; et cum fuerit impressus Martialis castus, nulli concedatur integer, atque ideo videntur comburendi: chiliades etiam Erasmi habeat, et possit concedere legentibus, sed ita vt restituant. Poterunt habere compendium adagiorum, commentaria prohibitorum authorum in libros ethnicorum, praeceptores, qui illos interpretantur, hac lege, vt, si quid inter legendum occurrat, quod attineat ad religionem quoquo pacto, id puncto ad marginem notent, et ostendant Rectori. Nullos alios libros haereticos possit legere quispiam, nec domi habere.

Caueant nostri cum legunt Ferum [5], ne illius phrasi siue modo loquendi, quo nonnunquam videtur ad haereticorum modum accedere, vtantur. Quoad eius fieri poterit, nihil legent nostri, etiam ad explicandos authores quos enarrant, quod ad lasciuiam spectat, vel eorum animos turbet in hoc genere.

Ne semper eat idem Pater aut frater cum commensalibus ad campos, vt omnes possint se recreare vicissim cum fratribus;

---

[5] «*Ioannes Ferus* (Wild † 1554), O. Min... In Novi Test. libris explicandis a novis haereticorum sententiis non satis cavit; quare Dominicus Soto vehementer eum aggressus est, et commentarii Evangeliorum in indicem librorum prohibitorum sunt inscripti, donec corrigerentur.» CORNELY, *Introductio in V. T. libros sacros*, t. I, pag. 693.

nam qui eunt cum commensalibus, illi amittunt eo die recreatio nem suam. Cum commensalibus non debet ludere, sed eos obseruare.

Si his, quae accipiunt a ciuitate, satis commode sustentari non possint, erit illis liberum petere eleemosynas, vel ab abbatibus, vel ab Episcopo, vel ab aliis nobilibus et primariis viris, et his, a quibus expectari posse videbuntur; nam cum non sit collegium fundatum, debet, si egeat, petere eleemosynas.

Poenitentiae non semper dentur per vnum, sed in vno cubiculo per suum praefectum, et in alio per alium apud commensales.

Dentur quidem hae poenitentiae commensalibus, quae solent dari hoc tempore; et tamen, si viderentur per illas non proficere, vel eas contemnere, possunt vsurpare aliquas ex illis, quae fuerunt praeterito tempore, vel alias.

Qui e nostris habitant cum commensalibus, habeant scrinia, vbi suas res reponant, etiam clausa.

Vno quadrante ante coenam pulsetur campana, vt solet in aliis collegiis fieri.

Die dominico a prandio non concedatur ludus commensali bus; sed caeteris diebus concedi potest, tam a prandio quam a coena, iuxta arbitrium Superioris: potest totus remitti, si videatur.

Literae, quas mittunt ad commensales, qui illos alunt hic, aut quas ipsi ab eisdem recipiunt, nihil est quod videant nostri: reliquas videat eorum praefectus.

Habeatur obseruatio, qui possint alloqui commensales, et cum illis agant, quae ad literas et aedificationem pertinent.

Qui praesunt commensalibus, vt habeant curam aliarum rerum, ita praecipue debent habere rerum spiritualium, et inter eos confessarius curabit eos instruere in rebus spiritualibus.

132

QUAE VISA FUERUNT REFERENDA

AD PATREM NOSTRUM

EX HIS, QUAE DIXIT P. NATALIS IN COLLEGIO DIONANTENSI [1]

[Sequuntur quinque paragraphi praecedentis monumenti (131), quorum primus incipit hoc modo: «De aliis rebus collegii. Quod attinet ad summam totius negotii...»; et quintus sic desinit: «neque exigeremus dotationem maiorem, quam quae sufficeret ad alendos quindecim.»]

Consulat Pater Prouincialis Generalem, an debeant miscere aquam vino.

Idem faciat de lusu pilae.

Possunt ludere damis, vt consuerunt nostri, interea dum Romam scribitur.

---

[1] Ex apographo coaevo, Romam misso, in cod. *Natal. instr. Germ.*, fol. 259. De tempore, quo hae instructiones datae sunt, vide dicta in numero praecedenti.

APPENDIX

I

P. Joannes Fernandez

P. Hieronymo Natali

Roma 20 Novembris 1575 [1].

Epistola necrologica, in qua eximiae virtutes et gloriosa mors Patris Ledesmae narrantur.

Pax Xpi. etc.

Etsi multis occupationibus impeditus, vix (ut ita dicam) respirare detur, nam praeter lectiones quotidianas D. Mathaei, quas in scholis nostris habeo, insuper hoc anno sancto in ecclesia nostra Epistolas D. Pauli singulis diebus dominicis et festis populo pro suggestu explicare iussus sum; nihilominus tamen, quia mihi occasio scribendi R.ae V.ae (quem ego charissimum habeo) sese obtulit, et materia rara, ac sine dubio aedificationis non exiguae, omnibus impedimentis remotis, alacer ad scribendum, si non pro rei dignitate, saltem pro desiderio et pro viribus, animum alioquin pigritantem induxi.

Placuit divinae Bonitati et Providentiae hoc anno sancto, die 18 Novembris, ad se vocare Patrem nostrum Jacobum Ledesmam, doctorem theologum, et nostrum omnium in studiis literarum praefectum et moderatorem non poenitendum in hoc Romano collegio, cuius mors non minus nos omnes, qui praesentes eramus, quam absentes (erat enim cunctis fama clarissima notus) in Domino aedificavit, et ad omne genus virtutis illos etiam, qui inter nos velocius et alacrius currunt, inflammavit, et quasi adhibitis calcaribus ad maiora impulit capessenda. Creditur autem eum ex nimio labore in resolvendis casibus conscientiae in D. Petri Poenitentiariae collegio (ubi hoc anno sancto fuit) occurrentibus, morbum capitis contraxisse, de quo et mortuus est. Confluebant enim ad eum omnes, tam nostri Patres, quam extranei, tum incolae, tum ex omnibus nationibus peregrini, tamquam ad oraculum quoddam, ut de suis conscientiis et negotiis

[1] Ex apographo, in cod. *Epist. Italiae, 1575*, fol. 49. Aliud extat exemplar in codice *Vocationes illustres*, t. I, n. 90.

resolutionem dilucidam habere possent, quibus indefessus ille die noctuque satisfacere volens, nulli labori parcebat: tanta charitate Christi flagrabat homo Dei!

Cum vero in morbum incidisset, vocato ad se P. Rectori [2] et se male habere dixit, et quasi certitudinem, quod Deus eum vocaret, cum tamen vix tunc lenta febricula teneretur; idque tertio eisdem verbis confirmavit, cum P. Rector assereret se tali tempore et loco non credere huiusmodi revelationibus; immo, etsi verae essent, debere eum Dominum rogare ut se collegio illi et peregrinis aliisque tantisper concederet; idque obnixe P. Rector petebat, dicens: Tua tibi, Pater, merita manent. At ille: Non est, inquit, opus; iam extat anni jubilaei finis. Et tua, inquit P. Rector, scripta tam varia, tam utilia, quae bona ex parte sunt imperfecta? Nihil, inquit, refert; fuerunt etiam imperfecta et Patris Laynez et D. Thomae opera et aliorum.

Voluit ergo sibi adhuc integris sensibus omnia sacramenta ministrari. Cum vero corpus Dominicum in viaticum de Ecclesiae more accipere debuisset, manibus et oculis in coelum elevatis, clara voce longam habuit orationem, qua invocavit Trinitatem ineffabilem, omnesque, cum Regina coelorum, Sanctos et Beatos, inter quos animam suam Patri quoque Ignatio commendavit; et Patres et Fratres, Dei servos, quos potuit, nominibus propriis compellavit, maxime illos, quorum animas post in paradisi gaudiis se visurum sperabat, ita ut ad lacrymas, quas ipse copiose fundebat, omnes moverit circumstantes, et cunctorum animis liquefactis pietatem ingesserit singularem.

Caeterum Pater quidam, spiritualis confessor eius, rogavit eum paulo post ut aliquid illi de sua vocatione et de his, quae Deus ipsi communicaverat, in aedificationem Patrum Fratrumque nostrorum revelare in confessione vellet, data sibi facultate, ut illa, post mortem eius, in gloriam Dei divulgaret. Acquievit Pater tandem (quae sua erat pietas et religio) precibus confessoris, nonnullaque ex multis clara voce narravit, ex quibus quidem ego cum aliis, quae etiam ex eius oratione cognovi, breviter huic epistolae inseram, ut R.ª V.ª (si ei visum fuerit) per provinciam suam ad collegia nostrae Societatis exemplar mittat, ut nullus tantae sanctitatis exemplo privetur, quando Deus illud nobis in nostram utilitatem reliquit.

Pater ante hos 20 annos se ad Societatem a Domino vocatum explicuit; fuit enim in eam admissus vivente Patre nostro sanctae memoriae Ignatio; sed cum ante ingressum dubius esset an perseverare posset, et maxime de castitatis voto emittendo sollicitus esset et anxius, confortatus est mirifice responso cujusdam

---

[2] Rector collegii Romani ab anno 1574 ad an. 1583 fuit P. Ludovicus Maselli. Sic in catal. rectorum collegii Romani.

Patris Societatis, nomine Leonardi [3], qui, cum magnae sanctitatis opinione, collegii Coloniensis rector fuit: erat autem responsum quasi miraculosum. Quia, cum P. Ledesma obambularet haesitans cogitatione, an perseverare posset, nihilque de sua fluctuatione P. Leonardo praeindicasset, ille tamen, quasi divinitus, ad cogitationes occultas respondit ei, dicens: Quid fluctuas? Quid haesitas? Sine dubio perseverabis in Societate. Bono animo esto.

Deinde bonus hic Pater, cum esset Augustae, adhuc pro dono perseverantiae castitatisque sollicitus, orationi vacans, ecce Christus Dominus (sicut olim nostro P. Ignatio) similiter illi forma visibili apparuit, promisitque perseverantiam et similiter castitatis donum, quod tantopere desiderabat. Sed cum hanc visionem P. Ledesma suo confessori narraret, rogatus fuit ab eo sub qua forma vel habitu Christum Dominum conspexisset. Cui ille respondit se, prae magnitudine gaudii et stuporis, quo fuerat repletus, nihil aliud advertere potuisse, nisi quod Christus ei loqueretur et laetissimo vultu haec ei verba diceret, super humanum intellectum suavissima, quibus ossium illi medullas iubilo et consolatione repleverat, et in extasim raptum, quasi extra se ipsum elevaret.

Post haec, cum per Brixinum iter faceret, in eandem cogitationem de castitate servanda incidit; et cum oraret instanter, ecce Virgo Deipara in forma visibili, pulchrior sole, astitit illi, tribus comitata sociis, quas statim agnovit: 1.ª erat Virgo et martir Catharina, alia S.ta Catharina Senensis, 3.ª S.ta Maria Magdalena. Promisit autem ei Virgo Mater donum castitatis cum perseverantia usque ad mortem; et tu, inquit, me videbis in morte tua iterum, et experimento disces quantum sit hoc donum puritatis, et quantam tibi gloriam pariet. Hoc idem illi tres S. Virginis Matris sociae et testes promissionis asseverarunt, coeperuntque, illo audiente, canere suavissime dicentes:

Quantum est donum castitatis,
quod Deus confert pietatis!

Postremo, ut alia multa praetermittam, cum iam Pater iste Romae receptus esset, et ad mensam fuisset P. Vicarii generalis invitatus, Jacobi scilicet Laynez, et aliis Patribus praesentibus, qui assistere consueverunt P. N. Ignatio, in tantum raptus est et super se ipsum divinis quibusdam igniculis elevatus, ut sibi cum S. Paulo in paradiso esse videretur, tanta repletus dulcedine, ut omnem sensum humanum superet. Deinde, cum ad se reversus esset, et dubitaret an habere posset in Societate magistrum spiritualem, qui doceret eum quomodo in his gerere se

[3] Leonardi Kessel.

deberet, advertit Patrem Laynez bon. mem. attentum esse et considerare faciem eius diligenter, atque vultu annuere illi, dicentem, non defuturum illi magistrum, quasi quod cogitationes eius cognovisset. Tunc surrexit P. Laynez et, eum manu tenens, bono animo esse iussit, seque illi magistrum in spiritualibus obtulit.

Post haec satis in Societatis proposito Pater hic tandem confirmatus, saepissimeque divinis consolationibus, tantum brevi profectum in omni virtutum genere fecit, ut merito rebus ipsis ostenderit veras fuisse coelestes, quas fuerat expertus, visitationes; a fructibus enim arbor cognoscitur [4]. Quamvis autem innumerae sint, quae de virtutibus eius dici poterant, quatuor tantum, quasi bigas ceu mirabiles colligationes aut combinationes (ut ita dixerim), quas singulariter in illo fuisse perspeximus, brevi constringam.

Prima virtutum biga fuit, scientia singularis, doctrinaque varia et excellens cum humilitate summa. Porro huius eruditio Patris tota Italia celebris erat, et nobis, qui cum illo familiariter egimus, admirabilis. Hanc tamen ille sic modeste occultabat cum opus erat, sic eam discrete communicabat et simpliciter, cum proximus indigebat, sic quoque profuse, cum res postularet, servatis humilitatis summae ponderibus, ut omnes in admirationem raperet.

2.ª biga virtutum fuit, ingenium naturale perspicax, discursivum, acutum, circumspectum exactissime; ex alia vero parte, quod eiusmodi ingeniis raro accidit, tanta pietas et devotionis candor, ut nullus rusticus aut simplex anus sic pie calculos benedictos, aquam sanctam, parvas imagines, oratiunculas devotas et omne genus pietatis et religionis exactissime complecti soleat, sicut ipse, omnia pie interpretatus, omni pietati facilem se praebens et propensissimum, quod certe nunquam alias vidi.

3.ª colligatio diversarum virtutum fuit, summa diligentia in omnibus rebus, quas gerendas ei obedientia imposuisset, cum summa patientia et molestiarum tolerantia, quod etiam rarum est in eodem homine reperire (qui enim diligentissimus natura fuerit, profecto cholericus esse solet, et non in extremo patiens et mansuetus). Hic autem Pater, in exequendo munere suo, quasi leo, circuibat quaerens hinc inde praedam [5]; in tolerandis vero contradictionibus, quasi agnus mansuetus, aut quasi columba. Porro nemini parcebat, quin ei diceret quid opus esse ad suum munus recte gerendum videretur. Sed neque cuiquam asperitatem ostendebat, etiamsi proterve reluctantem et contradicentem

---

[4] MATTH., VII, 17-20.

[5] 1.ª PETR., V, 8.

videret; ita cunctis amabilis et venerabilis erat, cunctis utilis, omnibus amicus, onerosus nemini.

4.ª virtutum copula ceu coniunctio fuit, zelus eximius, quo, saepe inflammatus, Superiores ipsos certiores de minutissimis etiam subditorum defectibus faciebat, ut omnibus prospiceretur in Domino; et ex alia parte tanta resignatio proprii iuditii et obedientia intellectus, ut, cum Superior diceret condescendendum esse infirmis, et eius sententiae (quae omnia reformare voluisset) contradiceret, statim penitus acquiesceret cum tanto respectu erga Superiorem, ut detecto capite vel ipsi ministro loqueretur, nec latum quidem unguem ab ordine obedientiae discederet aut mente dissentire auderet.

Hae sunt quatuor bigae singulares, quas, qui in illo experti sumus, non possumus non mirari, et in hoc Patre divinam quandam Spiritus sancti assistentiam recognoscere. Erat enim totus Deo deditus, parcus in loquendo cum loqui opus non erat, copiosissimus cum opus erat, semper subridens, semper subtristis, ut altero laetitiam ingereret omnibus et cordis pacem prae se ferret, altero vero nec ipse dissolveretur, nec alios dissolvi permitteret.

Numquam otiosus visus est; numquam extra rem confabulabatur; numquam in carnis desideriis curam egit; immo neque recreationi vix unquam vacare potuit, aut quovis privilegio spirituali uti, cum iam et senescere inciperet et debilis esset; sed arctius se regulis quotidie ligans, ligamen obedientiae et religionis ac disciplinae, summam libertatem reputabat. Denique, cunctis prodesse curans, aliorum potius utilitati et Dei plane voluntati deservire semper pro viribus obnixe curavit.

Heu, nos tanti viri pro nostris peccatis iacturam fecimus! Ipse cum Deo suorum laborum praemia iam tenet, ut credere par est.

Haec breviter de Patre nostro charissimo scribere potui R.ae V.ae Obsecro parcat negligentiis et pigritiae meae, et in suis sacrificiis et orationibus meminerit huius sui servi inutilis in Domino, faciatque huius epistolae exemplar, si libuerit, ad alia Provinciae collegia transmitti, ut in huius Patris nostri obitu felicissimo Patres et Fratres nostri aedificentur, et ille bonorum omnium munerum singularium largitor, Deus, sine fine glorificetur. Amen.

Datae Romae 20 die Novembris anno 1575.

R.ae V.ae servus indignus in Xpo.,

Joannes Ferdinandus.

Harum exemplar primum, ut putatur, asservatur in bibliotheca collegii Halensis Societatis Jesu [6].

---

[6] Eadem manu, ac epistola, exarata fuit praecedens annotatio.

II

DE RATIONE THEOLOGIAE

ET SACRAE SCRIPTURAE DOCENDAE [1]

DE STUDIO THEOLOGIAE

Triplicem in Societate theologiam tradendam esse Constitutiones dicunt: Scholasticam, Scripturam, et Moralem, quam positivam vocant. Est autem non unus omnibus, sed suus cuique tradendae modus accommodatus. Alios alia praeceptores, alios auctores, aliud tempus, aliam docendi rationem, alias exercitationes, alios denique auditores postulat.

DE SCHOLASTICAE PRAECEPTORE

Scholasticae theologiae Praeceptor et natura esse debet ingenio acuto, acri, perspicuo, iudicio vero minime levi, minime temerario, firmo, intelligenti, et studio latinae, graecae hebraicaeque linguae non ignarus, ne aut sordide aut ridicule loquatur, aut linguarum ignoratione minus fortiter contra haereticos, plerumque linguis armatos, pugnare possit ; in omnibus vero philosophiae partibus versatus sit, ut vel philosophiam docuerit aliquando (quod magis optandum est), vel magna certe cum laude docere possit. Multo vero magis in omnibus theologiae partibus exercitatum eum esse necesse est : primum quidem in litteris sacris, qui omnis theologiae fons est, ut possit Scripturis haereticos refutare ; deinde eadem de causa in conciliorum decretis et veterum doctorum libris ; in dogmatibus ecclesiasticis ; in sacris historiis, unde petenda sunt saepe argumenta ; ad extremum in scholasticis auctoribus tam diligenter, ut omnes, aut plerosque eorum, de quaque re, sententias cognitas habeat; in uno autem aliquo, ut D. Thoma, diligentissime sic prorsus, ut perdidicerit.

DE AUTHORIBUS

D. Thomas in primis in nostris scholis explicandus videtur, et quia id Constitutiones nostrae praescribunt, et quia omnium

[1] Ex cod. *Instruct., an. 1577-1596,* ff. 92-94. Aliud extat exemplum in eodem codice, ff. 160 et 161. Quoniam hoc monumentum P. Maldonati nuper ad nostras manus pervenit, ideoque suo proprio loco inseri non potuit, ne tanti viri sententia in ratione facultatis theologicae edocendae lectorem defraudaremus, in hac appendice illud edendum existimavimus. Inscriptionem praecedentem addidimus, cujus loco haec habentur in apographo: «De ratione theologiae docendae. De studio theologiae. P. Joannis Maldonado.»

scholasticorum praestantissimus est, et quia eius doctrina magis ab Ecclesia probata quam aliorum. Sed non videtur ita sequendus, ut non liceat ab eo nonnullis in rebus dissentire.

DE TEMPORE

Tempus quoque, quo theologia scholastica doceatur, Constitutiones sex annos esse volunt, quod nullo modo videtur esse minuendum, sed rogandus potius R. P. N. Generalis ne permittat ut quisque, sive nostrae Societatis sine externus, minore tempore in nostris scholis doctor fiat, neve quisque nostrorum professus, nisi audita diligenter et magno cum fructu per quatuor annos theologia, et adhibitis prius exercitationibus, quae in Constitutionibus praecipiuntur.

In integris collegiis duae quotidie praelectiones scholasticae theologiae videntur esse necessariae: una quidem mane per unam horam, altera vesperi per horam alteram, praeter unam horam repetitionum separatam, ita ut auditores tres in scholis horas quotidie consumant. Praeceptores vero poterunt materiam sic inter se distribuere, et, cum opus erit, resecare, ut quatuor annis, quemadmodum Constitutiones jubent, totum theologiae cursum absolvant.

DE RATIONE DOCENDI

Docendi ratio ea videtur esse optima, quae ad consequendum finem theologiae maxime sit accommodata. Finis autem theologiae scholasticae est religionem defendere, haereses refutare, bonos mores formare, pravos corrigere, de divino deque ecclesiastico iure consulentibus dare responsa, concionari, confessiones audire. Praeceptor ergo theologiae optime docebit, si earum rerum, quae ad conservandam religionem, haereses vero refutandas, necessariae sunt, primam curam habeat, easque diligentissime, doctissime, copiosissime tractet; 2.ª vero illi cura morum sit; 3.ª ut auditores ad concionandum et ad confessiones audiendas; 4.ª ut ad danda consilia aptos ac prudentes efficiat; 5.ª earum quaestionum esse debet, quae, etsi parum admodum ad hunc finem iuuare videantur, tamen et habent aliquid doctrinae, et ingenium utiliter exercent. Illas vero quaestiones, quae aut a theologia prorsus alienae sunt, aut plus habent curiositatis quam emolumenti, omnino praetermittat. Denique tantum in unaquaque re operae, tantum studii, tantum laboris, tantum temporis debet ponere praeceptor, quantum eius rei dignitas utilitasque postula bit. Habito rerum delectu, magnopere curare debet, ne in quaestionibus, de quibus aget, vel argumentorum multitudine, vel confusa opinionum varietate dubios relinquat auditorum animos,

sed omnibus in rebus iudicium adhibeat certum, firmum, deliberatum, quod auditores sequi possint, et quidem ita adhibeat, ut quasi libra suum cuique rei iustum pondus attribuat, expensisque momentis argumentorum, sententiam ferat de sententiis : quae sit fides, quae opinio, quae ad fidem, quae ad opinionem propius accedant, quae haeretica propositio, quae haeresim sapiens, quae male sonans, quae temeraria, quae periculosa, quae nova, quae probabilis, quae vera. Hoc enim illud est iudicium, in quo qui excellit, verus praeceptor est. In rebus difficilioribus varias opiniones earumque argumenta recitare debet (pars enim eruditionis est scire quid quisque de quaque re senserit); deinde, quam probabilissimam esse iudicaverit, confirmare, caeteris refutatis. Sed id faciet cum delectu et quatenus ad propositum finem satis sit. Res difficiles non refugiet ; sed etiam maiore potius cura, facilitate, perspicuitate et pluribus exemplis enucleabit. Partietur autem distribute res, eaque ratione ac via tractabit, ut auditores totam theologiae effigiem singulaque membra, usque ad minimas partes, habeant omnino comprehensa. Omnibus rebus explicandis, quantam poterit, maximam facilitatem, perspicuitatem et acrimoniam adhibebit; quibus rebus, maxime tribus, auditores allici tenerique solent. Caveat ne longus sit, in rebus praesertim non necessariis; ne lentus vel tristis in docendo, ne nauseam auditoribus forte moveat ; sed citatus, hilaris ac vehemens, ut semper auditorum animos attentos et erectos habeat. Siquidem D. Thomam explicabit, nihil dictabit, quod apud D. Thomam vel apud Caietanum sit, nisi aliquid sit eiusmodi, ut brevi aliqua annotatione explicandum esse videatur. Dictabit autem breviter Scripturae sacrae et veterum authorum testimonia, aliorum scholasticorum opiniones, rationes, si quas praeter eas, quae sunt apud D. Thomam et Caietanum, novas vel ad probandum vel ad confutandum adduxerit. Animadvertet ex auditorum vultu num ii, qui aliquid habent ingenii, intellexisse, quod dicit, videantur, neque ante progrediatur, quam bene intelligant. Afficiat auditores ad pietatem bene et ad eas opiniones, quae magis erunt cum pietate coniunctae, tum etiam ad D. Thomam, quem illis interpretabitur. Denique formabit in auditorum animis iudicium illud, quod in praeceptore ipso oportere esse diximus. Hic enim maximus est auditionis fructus, ut auditor praeceptor esse possit, quod tunc consequetur, cum iudicium habebit efformatum atque maturum ; hac enim re maxime praeceptor a discipulis distinguitur.

DE EXERCITATIONIBUS

Exercitationes vero, quanto plures erunt ac utiliores, tanto doctiores efficient auditores. Septem autem videntur esse neces-

sariae: Prima est, ut finitam praelectionem et recentem adhuc, vel in ipso gymnasio vel alibi repetant, quoad recte omnia intellexerint et memoriae mandaverint; 2.ª, ut alia hora eiusdem diei iterum repetant deque ea disputent in schola aut alibi, praesente praeceptore; 3.ª, ut die sabbathi aut festis diebus disputent in schola aut alibi, praesidente praeceptore, per duas horas; 4.ª, ut singulis mensibus celebriores disputationes habeant per dimidium diem, ubi non solum discipuli, sed etiam praeceptores disputent; 5.ª, ut singulis quoque annis, ante studiorum renovationem generalem, per unum aut alterum diem cum quanta maxima fieri poterit celebritate disputationes sustineant; 6.ª, ut praelectiones aliquando de rebus privatim domi habeant, ut paulatim in praeceptores efformentur; 7.ª, ut quaestionem aliquam scripto tractent et praeceptori corrigendam praebeant: ut discant scribere non opus erit.

DE AUTHORIBUS

Auditores theologiae primum quidem ingenio et iudicio valere oportet; deinde philosophos esse; 3.° loco aliis curis non distrahi; 4.° assiduos esse atque constantes, ut tanto difficilius ante 4.m annum a theologiae, quam ante 3.m a philosophiae cursu discedant, quanto magis est necessaria latiusque patet theologia quam philosophia. Postremo diligenter audire et 7 illa exercitiorum genera praestare, quae supra notata sunt.

DE SCRIPTURA

In eo, qui divinas Litteras interpretatur, ea omnia, quae in scholasticae theologiae magistro requisivimus, et quidem plenius, cumulatius, excellentius esse debent. Praeterea trium linguarum non vulgaris, ut in illo, sed perfecta cognitio et splendor orationis gratiaque dicendi maior, geographiae et profanarum etiam historiarum notitia, usus etiam profanos authores interpretandi, et linguam unam in alteram convertendi, et magna quaedam ac naturalis sagacitas ingenii ad faciendas tenuissimas coniecturas, ex quibus multorum locorum intelligentia saepe dependet, summa diligentia, patientia ad conferendum locum loco, verbum verbo, syllabam syllabae, apicem apici, pene incredibilis. Illud etiam est maxime necessarium, ut cum sit graecus et hebraeus lingua, sit animo latinus, id est, non graecorum et hebraeorum admirator. Ut enim alii earum linguarum inscitia, ita alii nimia earumdem admiratione in Scripturis interpretandis errare solent.

DE AUTHORIBUS

Ubi duo erunt, qui sacras Litteras doceant, alter vetus, alter novum Testamentum interpretetur. Vbi autem unus tantum, is

uno anno vetus, altero novum explicare poterit; sed ex novo quidem omnia, ex veteri vero Genesis, Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica Canticorum, Prophetae enarrari debent; caeteros veteris Testamenti libros poterit hebraice, qui eam docebit linguam, interpretari.

DE TEMPORE

Tempus, quo Scriptura discenda est, vitae termino finiri debet. Tempus autem, quo audienda, non videtur brevius 4 annis esse posse, ut duobus annis vetus, totidem novum testamentum audiatur; quod non satis est ut auditores Scripturae scientiam assequantur, sed ut, in eam introducti, studendi interpretandique rationem discant. Danda est autem Scripturae praelectioni una hora quotidie, repetitioni vero minimum dimidiata.

DE RATIONE

Primo loco, qui Scripturam interpretatur, agere debet de lectione, si ea sit varia aut minus emendata. Deinde de versione; qua in re auctoritatem semper versionis nostrae conservabit, docebitque quomodo noster interpres hebraice vel graece legisse videatur: ut, si legerit Sapientiae, 4.°, 19; *Disrumpet illos inflatos sine voce,* dicet nostrum interpretem non legisse πρήνους, ut nunc est, sed πρήσους; neque αφρόνους, ut nunc in exemplaribus graecis est, sed ἀφώνους. Deinde, si corrupta versio sit, emendabit, tum ex fontibus, tum ex aliis latinis exemplaribus. Ut si invenerit, Sap. 5, 22: *Tamquam habenae curvato arcu nubium,* dicet legendum esse, ut graece est, καὶ [ὡς] ἀπὸ εὐκύκλου τόξου [τῶν] νεφῶν, et sic in aliis emendatioribus latinis legitur, et sicut sensus ipse requirit: *Tamquam a bene curvato arcu nubium* [2]. 3.° loco proponet omnes litterales sensus omnium authorum in locis tantum difficilioribus et singulorum rationes. 4.° loco interpretabitur litteralem sensum iuxta versionem nostram, probabitque melius nostrum interpretem quam alios sensum reddidisse. 5.° Magno iudicio, consulta prius fide catholica, deinde hebraicis graecisque exemplaribus adhibitis, collatis aliis Scripturae locis, lectisque semper optimis commentariis, verum sensum enucleabit. 6.° Videbit ecquod ecclesiasticum dogma ex eo loco confirmari possit, idque faciet accuratissime, inductis aliis ad eam rem Scripturae locis. 7.° Scire debet num haeretici eo loco ad probandum errorem aliquem suum

---

[2] Optime haec notat Maldonatus; nam correctio Clementina, quae sensum graecum et verum restituit vulgatae latinae, facta fuit anno 1592, id est, post mortem P. Maldonati, qui diem supremum obiit anno 1587.

abuti soleant, eorumque interpretationem, lectionem versionemque diligentissime refutabit. 8.° Scripturae sensum ad mores accomodabit, adhibitis aliquando paucissimis quidem, sed lectissimis allegoriis, iisque in sensu ipso litterali quodammodo natis. 9.° Caveat, cum litteralem sensum vestigabit, ne nimium hebraeorum punctis vel rabinorum interpretationi tribuat, divinetque, sublatis punctis, quomodo vel noster, vel septuaginta, vel alii antiqui interpretes legerint, cum puncta non essent. 10.° Denique fugiat vulgare vitium, ne ad quaerendas allegorias vel scholasticas subtilitates vel ad concionandum evagetur; sed haereat semper in loco et in sensu litterali, quo invento, asperget, si volet, eleganter aliquam allegoriam. 11.° Vetus testamentum per novum, ut docet B. Augustinus, et novum per vetus, quoad eius fieri poterit, explicabit. 12.° Si quid dictare volet, id faciet paucissimis et clarissimis verbis.

DE EXERCITATIONIBUS

1.ª ese debet auditio; 2.ª, repetitio, eaque frequentissima; 3.ª, nonnullos libros, ut Psalmos et Proverbia, memoriae mandare; 4.ª, disputare, de iis praesertim locis, quibus vel probantur ecclesiastica dogmata, vel haeretici suos errores asserunt; 5.ª, praelectio private habita; 6.ª, scriptio.

DE AUDITORIBUS

Auditores magis idoneos ut Scripturam, quam ut scholasticam theologiam audire possint, esse oportet. Nam et meliore iudicio, et aetate prouectiores, et in scholastica theologia magis versati sint, necesse est, et ut maiorem linguarum et aliarum rerum cognitionem habeant.

DE CASIBUS CONSCIENTIAE

Praeceptor, qui casus conscientiae docturus sit, magno in primis iudicio et prudentia esse debet, et ingenio non inquieto, non vago, non incerto. Deinde, in ea parte theologiae, quae moralis est, et in summis, quae de hac re scriptae sunt, valde versatus, et, si fieri poterit, non librorum tantum, sed etiam negotiorum usum habens, quique de rebus omnibus dubiis, quae in confessionibus occurrunt, ociose ac meditate constituerit, quid teneri, quid dici, quid responderi debeat.

DE AUTHORIBUS

Author aut nullus explicandus, aut qui brevissimus erit vel clarissimus, ut Bartholomaeus Fumus.

DE TEMPORE

Tempus docendi videntur esse omnes dies festi, ubi id fieri potest; sin minus, unus aut alter dies hebdomadis, quo commodissime possint auditores convenire.

DE RATIONE

Doceri debet breviter, resolute, distincte, traditis generalibus regulis, quibus non solum quaestio proposita, sed multae aliae consimiles enodari possint. Opiniones variae non debent nisi raro recitari; argumenta vero ad probandum sententiam, quae sequenda est, non omnia afferenda, sed ea tantum, quae veluti fundamentum et bases sunt. Distinctiones adhibendae sunt dilucidae ac plenae, quibus omnia, quae possunt accidere, comprehendantur. Exempla non fingenda, sicut in aliis disputationibus, sed ex iis, quae frequenter fiunt, sumenda sunt. Praelectio saepe ac saepius et a praeceptore et a discipulis repetenda. Nihil dictandum; haec enim scientia non scripto, sed memoria teneri debet, quamquam auditores poterunt memoriae causa aliquid cursim excipere.

DE EXERCITATIONIBUS

1.ª erit, repetitio quam frequentissima. 2.ª Auctores saepe de ea re lectitare et pene ediscere. 3.ª Audire frequenter confessiones. 4.ª Conferre discipulos cum discipulis, et alios interrogare, alios respondere.

DE AUDITORIBUS

Auditores esse debent omnes presbyteri, omnes theologi, omnes, qui intra duos annos sacerdotes futuri sunt.

III

P. ALPHONSUS SALMERON

P. CLAUDIO AQUAVIVAE, PRAEPOSITO GENER. S. J.

Neapoli 1 Septembris 1583.

Epistola, in qua suam profert sententiam circa rationem tenendam in theologia et philosophia docendis. Archetypum habetur in cod. *De rat. stud.*, ff. 30 et 31, ut jam diximus supra, pag. 15.

Edita est gallico sermone in recensione Patrum Parisiensium S. J., cui titulus «Études» (a. 1864, t. III, pag. 557), et inde a P. Dominico Palmieri desumpta, et in tractatu *De Deo creante et elevante,* pag. 781, iterum edita. Non omnino integra ibi prolata fuit, nec cum archetypo illa versio concordare videtur in nonnullis, licet, ad sensum quod attinet, variantes non majoris momenti aestimari debent.

IV

LOCA VARIA

AD STUDIORUM REGIMEN SPECTANTIA [1]

CHRONICON P. POLANCI

Nihil particulatim de eo dicendum ducimus, quia initio singulorum collegiorum, singulis annis ea, quae ad studia pertinent, pertractat.

LITTERAE QUADRIMESTRES

TOMO I, pag. 169 ad calcem: «Mei confratres in studiis magnam adhibent diligentiam, eumdem servantes ordinem, qualem ad longum aliquando scripsi.» (P. Kessel, Colonia 20 Aug. 1549.)

Ibid., pp. 349-358. Epistola P. Annibalis de Coudreto cum ratione studiorum Messanensis collegii. (Messana 14 Julii 1551.)

EPISTOLAE P. NADAL

TOMO I, pp. 120 et 121. «Gli essercitii nostri in littere sonno... Si serua il modo di Pariggi.» (Messana Decembri 1551.)

EPISTOLAE MIXTAE

TOMO I, pp. 587-593. «Prima studiorum constitutio» Patavini collegii.

---

[1] Non fert animus omnia adducere loca, in quibus de studiis quomodolibet sermo habeatur; sed illa tantum indicare, ubi de ratione et ordine completo studiorum alicujus collegii mentio, quantumvis generaliter, fiat. Opera, unde hujusmodi loca decerpimus, sunt *Monumenta historica S. J.*, et *Cartas de San Ignacio de Loyola* (Madrid, 1874-1889).

—TOMO IV, pp. 643 et 644. «Quanto á la manera de proceder en las scuelas, el rey se remite en todo á nuestras reglas quedando exempto todo nuestro collegio... Acerca de todo esto guardaremos la orden que V. P. nos quisiere dar, y entretanto haremos lo que supiéremos, conforme á las constituciones y reglas que tenemos; y será necesario que V. P. nos mande reglas acerca de cómo se han de haber los lyentes de las artes, porque hasta ahora no tenemos más que las que tocan á humanidad.» (P. Miron, Ulyssipone 4 Maji 1555.)

Ibid., p. 781. «La copia de los estatutos que hastagora ha hauido en el collegio real, mando á V. P. para que los vea, y assí también la institutión del collegio mesmo y el regimento de las artes que se hizo después. Todo esto no lo mando para más que, si V. P. le paresce bien alguna regla dellos, la tome. Acá estamos aguardando por las reglas de las vniuersidades de la Compañía, y assí quiere el rey que no nos obliguemos á guardar otras reglas que las nuestras; y por no ser venidas, no se haze el contrato de la donatión del collegio.» (P. Miron, Ulyssipone 25 Augusti 1555.)

CARTAS DE SAN IGNACIO DE LOYOLA

TOMO VI, pp. 455-461. «Istruzione per il collegio di Praga.» 12 di Febraio 1556.

Ibid., pp. 462-464. «Istruzione particolare per le persone che vanno a Praga.»

Ibid., pp. 499-512. «Instruzione pel collegio che si manda ad Ingolstadio.» Romae, 1556.

Vide quae de hoc scripto dicimus supra, pag. 758, annot. 2.

V

INSTRVTTIONI PER I MAESTRI

E CONSUETUDINI CHE SI OSSERUANO NELLE CLASSI DALLA RETTORICA IN GIÙ INCLUSIUE

Exstat in *cod. Rom. stud. II,* ff. 368-401, italicum apographum, et in ejus margine, Patris Brunelli manu, haec sunt notata: «Raccolte per ordine del P. Agostino Justiniano, rettor del collegio Romano circa l' anno 1589, et gran parte son inscrite negli ordini stampati, altre son' abrogate, altre son' proprie del Collegio.» In eodem codice, ff. 190-200, aliud habetur exemplum, sed non adeo completum et perfectum; desiderantur enim in illo fere integra capita I, III et IV.

Altera pars huius scripti habetur in eodem codice, ff. 332-345, et hanc exhibet inscriptionem:

ORDINI DE STUDII NELLE SCUOLE SUPERIORI, CIOÈ THEOLOGIA, CASI ET FILOSOFIA; cui titulo haec addidit Pater Brunelli: «secondo la praxi del 1590 nel Collegio Romano, raccolti dal P. Agostino Giustiniano allora rettore.»

Licet hoc monumentum, utpote post annum 1586 scriptum, ad nostram collectionem non spectet, illius tamen mentionem faciendam duximus, quia aliquam forte utilitatem afferat, iis praesertim, qui rebus collegii Romani illustrandis dant operam. In margine autem indicatur, ad quem Visitatorem vel Praepositum provincialem singula decreta vel ordinationes sunt referenda; quorum praecipui sunt PP. Fabius de Fabiis, Joannes Carminata et Sebastianus Morales.

INDICES

I

AUCTORES ET LIBRI

QUORUM TESTIMONIA IN HOC VOLUMINE PROFERUNTUR [1]

ACHILLINUS, Alexander.—De intelligentiis.

ADRIANUS, v. HADRIANUS.

AEGIDIUS, v. COLUMNA.

AESOPUS.—Fabulae.

AGRICOLA, Ignatius, S. J.—Historia Provinciae Societatis Jesu Germaniae Superioris quinque primas annorum complexa decades. [Tom. I] Augustae Vindelicorum anno MDCCXXVII.

AGRICOLA, Rodolphus.—De inventione dialectica.

ALBERTUS MAGNUS, O. Pr.—De homine et diversis ejus definitionibus.—De unitate intellectus contra Averroëm.

ALEGAMBE, Philippus, S. J.—Heroës et victimae charitatis Societatis Iesv. Romae, MDCLVIII.

ALEXANDER AB ALEXANDRO.—Genialium dierum libri VI, varia ac recondita eruditione referti.

ALEXANDER APHRODISAEUS, magnus Aristotelis commentator, «secundus Aristoteles» dictus.—De anima.

ALGAZZALI vel ALGAZEL.

ALPHONSUS X.—Alphonsi regis Castellae coelestium motuum tabulae, nec non stellarum fixarum longitudines ac latitudines.

ALTAMURA, Ambrosius de, O. Pr.—Bibliothecae Dominicanae... Accuratis Collectionibus, Primo ab Ordinis Constitutione, vsque ad Annum 1600 productae hoc Seculari Apparatu incrementum, ac prosecvtio. Romae, M.DC.LXXVII.

AMMONIUS ALEXANDRINUS.—[Nihil scriptum reliquit.]

AMMONIUS HERMEUS.—[Citatur tantum a Mirandulano.]

APHTHONIUS.—Progymnasmata [seu exercitia rhetorices].

APOLLINARIS, Offredus, cremonensis.—Commentarius lib. «de Anima» Aristotelis.

[1] In hoc indice continentur: 1) opera in toto volumine nominatim laudata, ceu textus aut libri in singulis scholis explicandi; 2) libri et auctores, qui ad illa opera illustranda in his monumentis commendantur; 3) libri et auctores, de quibus ipsi in annotationibus mentionem fecimus.

Quando inscriptio operis in monumentis non exprimitur, nomen saltem auctoris afferimus.

APOLLONIUS PERGAEUS.
AQUINAS, v. THOMAS AQUINAS.
ARCHIMEDES.
ARISTOPHANES.
ARISTOTELES STAGIRITA. —Rhetoricorum ad Theodecten lib. III.—Poëticae artis lib. I.—Perihermenias lib. II. —De historia animalium lib. IX. —De moribus ad Nicomachum lib. IX.
Ars metrica Conimbricensis.
AUGUSTINUS, sanctus. —Libri XII de Genesi ad literam.—Libri quindecim de Trinitate. —De ecclesiasticis dogmatibus.
AVERROËS. – Commentarii in Aristotelis libros tres de Anima.
AVICENNA.—De anima.
BARBUS, Paulus (Soncinas, a patria Soncino, dictus), O. Pr. – Quaestiones super divina sapientia Aristotelis. Lugduni, Venetiis, 1502, 1526, 1576, 1579. —Quaestiones acutissimae metaphysicales. Lugduni, 1579.
BASILIUS, Sanctus.—[Aliquot orationes.]
BERNARDUS CLARAVALLENSIS, sanctus, O. Cist. — Meditationes. —[Alia opera, quae expresse non citantur.]
BIEL, Gabriel, O. Pr.
BLUTEAU, Raphaël. — Vocabulario portuguez e latino... Coimbra, 1712-1728 (10 vol., quorum duo postrema continent «Supplemento»).
BOCCATIUS (Boccaccio), Joannes de Certaldo, seu de Cerraldo.—De genealogia deorum.
BOËTIUS, v. SEVERINUS BOËTIUS.
BRAUNSBERGER, P. Otto, S. J. –Beati Petri Canisii, Societatis Iesu, epistulae et acta. Volumen tertium, 1561, 1562.—Friburgi Brisgoviae, MCMI.
BURANA, Joannes Franciscus.—Latina interpretatio mediae expositionis Averrois in libros priorum resolutionum.
BURLAEUS (BURLEIGH, BURLEY), Gualterus, O. S. Fr., Doctor planus et conspicuus dictus.—[Citatur tantum ut averroista.]
CAESAR, C. Julius.—Commentarii de bello Gallico.—De bello civili.
CAJETANUS DE VIO, Thomas, v. VIO.
CALEPINUS, Ambrosius. — Septem linguarum Calepinus, hoc est lexicon latinum, variarum linguarum interpretatione adjecta.
